Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Balthasar Mentzer

Balthasaris Mentzeri, Theologi Giessensis, Exegesis Augustanae Confessionis, In qua non solum Thesis, sed & Antithesis, contra potiores Adversarios, succincte nervoseque concinnata reperitur

Editio nova, & ab innumeris priorum editionum mendis quam diligentissime repurgata. Accedit Index Capitum, Autorum, rerum, verborumque, accuratus, Wittenberg: Lipsiae: Goderitsch, 1704

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821778757

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Zt. 616 p Rey
Ep. 678 p Ind
f 55 a. 12

1 Titelkupfer

374

F.g-3022 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn821778757/phys_0002
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821778757/phys_0005
DFG



SAMUEL SCHELGUIGI,
S. THEOL. D. ET PROF. P. ATHE-
NÆI GEDANENSIS RECTOR ET AD
SS. TRINIT. PASTOR. Natus MDCXLIII.
Depictus MDCCIII. C. G. Ludwig fieri curavit.

I. C. B. Sc.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821778757/phys_0006
DFG

BALTHASARIS MENTZERI,

Theologi Gieſſenſis,

EXEGESIS

AVGVSTANÆ CONFESSIONIS,

In qua non ſolum Theſis, ſed & Antitheſis, contra potiores Adverſarios, ſuccincte nervoſeque concinnata reperitur.

Editio nova, & ab innumeris priorum editionum mendis quam diligentiſſime repurgata.

Accedit Index Capitum, Autorum, rerum, verborumque, accuratus.

CVM PRIVILEGIO

Reg. Maj. Polon. & Sax. Elect.

VVITTENBERGÆ & LIPSIÆ,

Apud IO. MICH. GODERITSCHIVM,

A. C. cIↃ IↃCC IV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821778757/phys_0007
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821778757/phys_0008
DFG

ILLVSTRI ET GENEROSISSIMO

Domino, Domino

ANTHONIO GVNTHERO

Comiti in Oldenburg & Delmenhorst. dynastæ in Jever & Kniphusen, &c. Domino meo benignissimo, salutem & felicitatem perpetuam precor.

ILlustris & Generosissime Comes, Domine benignissime, excitavit me insignis tua pietas & virtus eximia, ut quam gratiam G. T. Clementia mihi exhibuit, ejus optarem publicum extare apud omnes monumentum. Offero igitur G. T. C. humiliter parvum hunc Libellum: quem commendare poterit & argumenti, quod in eo tractatur, dignitas, & brevitatis, quod mihi temporis angustia imperavit, studium. Nam ex multis se legi paucula, quæ speravi inservire posse aliorum ædificationi. Expoliri ea & amplificari, si res postulaverit, facile poterunt ex prælectionibus meis, quas de eo argumento habui & in hac, & olim Marpurgensi, Academia. Scopus hic fuit, Augustanæ Confessionis genuinam ostentare faciem, ut intelligerent, quicunque se ejus socios jactant,

quanta sit inter ipsam, & sobolem Papæ, & Zvvinglii discrepantia. Unum demisse peto, ut G. T. C. animum meum sibi patiatur satisfacere in eo, quod maxime optat, hoc est, ut gratæ mentis meæ hoc indicium non sit ingratum ei, quem, ut debeo, pie veneror, omniaq; ei a Deo precor felicissima: ut ipsius pietatis & virtutis splendor irradiare pergat Christianum orbem, & felicitate perfruatur sempiterna. Vale. Giessæ Hassorum XV. Martii, Anno a nato Christo millesimo sexcentesimo decimo tertio, quem enumerat vox jam olim ominosa: IVDICIVM.

G. V. C.

humilis & ad obsequia promptissimus servus

BALTHASAR MENTZERVS.

CHRI-

CHRISTIANO AC BENEVOLO LECTORI

S. P. P.

CVm Exegesin meam Augustanæ Confessionis, Christiane & benevole Lector, Typographus noster revidendam offerret mihi, auditores mei, ipsius consilii conscii, apud me institerunt, ut haud gravate laborem novum in me reciperem, brevemque Photinianæ doctrinæ (cujus adeo frequens nunc passim incidit mentio) descriptionem, & succinctam refutationem adornarem. Cui petitioni tam honestæ, & nisi fallor, necessariæ, refragari non debui. Tametsi enim multa sese mihi offerrent, quæ absterrere ab hoc instituto, in hac temporis angustia, me facile possent, tantum tamen apud me valuit boni publici pro virili promovendi, & informandæ piæ juventutis studium, ut omnino amicorum voluntati gratificandum constituerem. Qua in re non parum me confirmavit Vir Reverendus, & qua pietatem, qua doctrinam Ornatissimus Dominus *Michael Blanckius* Dantiscanus, Ecclesiæ patriæ symmysta fidelis, amicus meus honoran-

dus & dilectus, missis ad me, quos ab eo, ex Academia nostra discedente, enixe petieram, & aliunde quantovis pretio hactenus acquirere non potueram, tractatibus quibusdam Photinianis, Socini, Moscoruvii, Ostorodi & Smaltzii, sine quibus frustra eram in hoc argumento versaturus. Cum autem summa esset brevitatis ratio habenda, ne nimium excresceret liber; mihi ipsi satisfacere non potui, vel in explicandis plenius Photinianorum argumentis, vel in iisdem solidius refellendis: satis fore putans, hac vice, si doctrinam eorum, breviter exponerem, hactenus a plerisque nostrorum hominum maximam partem ignoratam, & quasi indice digito ostenderem fontes refutationum. Talis enim profecto illa est, ut detexisse eam sit refutasse. Estque hæc illius sectæ indoles singularis, ut tota magis in destruendo occupetur, quam ædificando: hoc est, orthodoxam de Deo, Christo, Evangelio, Sacramentis, & fide, doctrinam impugnat magis, quam propria dogmata sua confirmare studet. Vnde non absurde eius propugnatores similes esse dixerimus militibus latrocinantibus, qui propriis bonis exuti, ex urbium pagorumque invasionibus eversionibusque prædam colligere gaudent, non soliciti de nova urbe, pro suo domicilio, exædificanda. Quod ne quis temere a me dici opinetur, placet rem ipsam ante oculos ponere & considerare.

Docemus nos ex verbo Dei, nobis revelato, *Deum esse unum*, nempe Patrem, & Filium, & Spiritum

ritum sanctum, sicut se ipse in verbo suo nobis patefecit, & admiranda manifestatione in baptismo Christi apud Jordanem revelavit, nosque ipsos etiam in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, baptizari jussit. Docemus etiam, *Dei filium unigenitum, & proprium*, Psalm. 2. v. 7. Joh. 1. v. 18. c. 3. v. 16. Roman. 8, v. 32. juxta divinas promissiones, Gen. 3. v. 15. c. 49. v. 10. 2. Sam. 7. v. 13. Psalm. 89. v, 29. & seqq. Psalm. 132. v. 11. & seqq. Esa. 7. v. 14. c. 9. v. 6. &c. in plenitudine temporis ex muliere natum, Gal. 4. v. 4. & assumpto semine Abrahæ, Hebr. 2. v. 16. factum esse carnem, Johan. 1. v. 14. & habitasse in nobis, *ibidem*, factum nobis similem in omnibus, Hebr. 2. v. 17. assumpta servili forma, Phil. 2, v. 7. ut tentatus aliis posset succurrere, Heb. 4. v. 15. docuisse Evangelium, & miraculis divinis confirmasse, & tandem in ara crucis pro nobis passum & mortuum, tertia die revixisse, & ablegatis ad Evangelium per totum terrarum orbem prædicandum discipulis, adscendisse in cœlum, & consedisse ad dextram patris, & in die Pentecostes Spiritum sanctum visibiliter effudisse super Apostolos, reversurum ad judicium in fine seculi. Quæ omnia in historia Evangelica ita clare & perspicue proponuntur, ut radio solis scripta videri possint. Hunc igitur Jesum Christum, unicum inter Deum & homines mediatorem, 1. Tim 2. v. 5. docemus. peccata nostra in se transtulisse Esa. 53. v. 4. 6. Psalm. 69. v. 5. 2. Corinth. 5. v. ult. eaque tanquam agnum Dei portasse, Joh. 1. vers. 29. suaque morte in ara crucis expiasse, Col. 1, v. 13. 14.

20. 22. Eph. 5. v. 2. Hebr. 9. v. 12. 14. 22. 26. cap. 10. verſ. 10. 12. 14. atque ſic æterna redemptione inventa, Hebr. 9. verſ. 12. adduxiſſe juſtitiam ſempiternam, Daniel. 9. v. 24. ut nos per peccata a Deo diviſos, Eſa. 59. v. 2. & maledictioni & mortui obnoxios, Galat. 3. v. 13. Eph. 2. verſ. 1. redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus, Galat. 4. v. 5. Atque hæc taliaque Chriſti beneficia docemus in Evangelicis promiſſionibus ſive ſolis, ſive ſymbolis ſacramentalibus veſtitis, nobis offerri & exhiberi, vera fide apprehendenda & poſſidenda: ut in uno Chriſto habeamus peccatorum remiſſionem, & vitam æternam. Quæ fides tantos theſauros conſecuta, ut gratam ſeſe Deo oſtendat, fructus edit Evangelio dignos, obſequens Deo humiliter, quantum in hac infirmitate fieri poteſt, in omnibus & officioſe inſerviens proximo ad ſalutarem ædificationem.

Hanc vero Evangelicam Doctrinam, noſtram in Prophet. & Apoſt. ſcripturis ſolidiſſime fundatam, Spiritus Photinianus odio plusquam Vatiniano proſequens, non una tantum atque altera parte, ſed totam ſimul undique ſic oppugnat, cingit atque infeſtat, ut totam Chriſtianæ veritatis arcem uno impetu eum dejicere atque evertere conari, res ipſa clariſſime teſtetur & confirmet. Nam tres in una Deitate perſonas negat: negat Deum patrem habere filium: ſibi ὁμοούσιον; negat Chriſtum eſſe natura Deum: vocari tamen Deum ait, & ut Deum coli & adorari, propter ſingulares aliquas cauſas, quas hinc inde per certos quaſi gra-

gradus commemorat: neque concedit fuisse eum apud Deum ante conditum mundum, imo ne quidem fuisse ante Mariam Virginem, in qua dicit eum cœpisse esse, & antea nusquam extitisse: Merum igitur & purum hominem Christum facit, absolute negans divinam ipsius naturam. Vnde colligere promptum est, quid de officio Christi sentiat Spiritus ille impuriſſimus, quod totum restringit tantum ad tempora Novi Testamenti, adeo, ut primos nostros parentes, Patriarchas, pios Reges & Prophetas, ne quidem promissionem habuisse ullam de vita æterna impudentissime mentiatur. Et appellat sane Christum Prophetam, & Regem, & Sacerdotem, multaque de eo splendide proponit, ut glaucomam objiciat simplicioribus: Sed talem eum *Doctorem* describit, qui de vero Evangelio, hoc est, suaviſſimo illo nuncio de peccatorum per & propter ipsius satisfactionem remissione, plane nihil docuerit, sed legem Mosis imperfectam, novis additis mandatis, perfecerit, suoque exemplo nos invitaverit, ut mandata illa observemus, & per illam obedientiam ad vitam æternam perveniamus. *Regem* vero ejusmodi CHRISTVM introducit, qui propria virtute a morte non resurrexerit, qui a resurrectione corpus mortale habuerit, qui cœnæ suæ in his terris suo corpore adesse non possit, imo quia jam carnem & sanguinem non amplius habeat, cujus regni finis sit futurus cum fine seculi. Quid dicam de *sacerdotio* Christi? Bone Deus, quam de illo impie, quam blaspheme docent Photiniani!

Fuisse Christo, tanquam victimæ, nostra peccata imposita, præfracte negant: Christi sacrificium per sacrificia V. T. præfiguratum, præfracte negant: Christum nostra peccata in ara crucis portasse, & sua sanctissima obediëtia expiasse, præfracte negant: imo, inficiantur Chr. in cruce sacrificium peregisse, quod dicunt peragi in cœlo: inficiantur etiam Christum, cum in terris versaretur, fuisse sacerdotem, &, ne quid desit extremæ impietati, negant Christum pro nobis interpellare (proprie loquendo) quia hoc pugnare cum officio ipsius regio videatur. Vbi, ne erres, monendum, verbo fateri Photinianos, Christum expiasse peccata nostra, nos redemisse a peccatis, pro nobis esse mortuum, & peccata nostra emundare, &c. Sed attende, quomodo interpretentur: nimirum metaphorice ista, ajunt, esse accipienda, quia per Christum Deus nobis ostenderit, quod fuerit ante reconciliatus: quippe cum non fuerit ipse nobis inimicus, quos potius dilexerit, sed nos ipsius inimici fuerimus. Passum autem dicunt pro nobis Christum (non vice, sive loco nostri, sed nostro bono, sive ad nostram utilitatem) ut illud, sine quo Deus nos salvare non velit, in nobis efficeret, nimirum obedientiam mandatorum Christi: Hoc est, ut brevissime dicam, mortem Christi, ajunt, non esse precium redemptionis nostræ, sive causam salutis meritoriam; sed occasionem sive exemplum, quo invitemur ad CHRISTI obedientiam imitandam. Atque in hac re summam ponunt Evangelii, quod nimirum nobis præscribat mandata

data Christi, per quorum observationem vitam æternam acquiramus. Vnde fit, ut negent, fidei justificantis fundamentum esse Christi obedientiam, legi pro nobis præstitam, eamque a nobis fide apprehendendam: quippe quam pro se ipso Christum præstitisse dixerunt, ut ad summæ gloriæ fastigium adscenderet, & nos ad sequendum invitaret. Totam igitur fidei vim in eo ponunt, ut credant homines, vera esse, quæ de Christo scripta sunt, & ipsius obedientiam imitentur, sub ea spe, fore, ut salventur, tametsi maximis premantur difficultatibus, vel etiam mortem subire oporteat. Nihil hic audis de Spir. sancti (quem Deum esse, vel subsistentem personam, præcise negant) virtute & operatione. Posse enim hominem ex propriis viribus credere prædicato Evangelio docent, & nihil quicquam credendum statuunt, quod non pulcherrime consentiat rationi: a qua quicquid deviat, ad credendum neminem obligare censent. Neque ad finem confirmandam quicquam facere vel Baptismum, vel cœnam Domini, opinantur: quæ negant, dicenda esse Sacramenta: quia baptismum Christus non instituerit, cœna vero sit mandatum opus, quod a nobis sit peragendum & præstandum Christo, in quo præter panem & vinum nihil existat, & satis sit, si panem edamus, & bibamus vinum, ad recordationem Christi. Sed quo provehor? Satis enim me, & plusquam satis dixisse confido, ad faciendam fidem superiori pronunciato de indole atque ingenio Photinianæ hæreseos, qua nihil unquam

quam impurius aspexisse solem equidem plane existimo. Et merentur sane ultimæ hujus ingratissimæ ætatis peccata cum plurima, tum gravissima, justissimas has pœnas, ut a salvifico Dei verbo, in tanta luce ineffabili Dei beneficio posito, aversi homines, ad stultæ rationis Deoque inimicæ commenta prolabantur, & credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Nostrum autem est, debitas Deo agere gratias pro conservata in Ecclesiis nostris Evangelicæ doctrinæ sinceritate, dareque operam sedulo, ut divinum illud depositum sartum tectumque ad posteritatem, si qua futura est, propagetur.

Et merito commendantur pii eorum labores, qui zelo laudabili furoribus istis Satanæ fortiter sese opponunt, & errores hæreticorum monstrant & refellunt. In quibus tamen recte discernendis accurato opus est judicio. Admodum enim infeliciter contra Photinianos pugnant, qui hypotheses quasdam fundamentales cum ipsis communes habent: Quod vel in uno *Davide Pareo* cernitur, cui sæpe, etiam ubi diligentissimus esse voluit, aqua hæret in argumentorum Photinianorum resolutione. Idque sine dubio verissimum est, quisquis absolutum Dei decretum de prædestinatione propugnat, & duarum in Christo naturarum unionem personalem non recte interpretatur, veramque inter ipsas, & earum attributa, communicationem, ipsi unioni conformem, negat, nunquam ex Photinianis solidam victoriam sperare eum posse.

se. Vbi humaniter monendus est *Johannes Piscator Herbornensis*, ut argumenta, quæ non pauca, illis suppeditavit, sub incudem vocare, & veritatis majorem, quam privatarum opinionum, rationem habere velit. Qui hac etiam parte fidelis præceptoris officium facturus est, si juste reprehendat discipulum suum *Matthiam Martinium*, Professorem Bremensem, & corrigere jubeat Titulum libri sui novi, de *duabus* in unica Domini nostri Jesu Christi persona *naturis* post exinanitionem temporariam æternum *exaltatis*. Nam si duæ sunt Christi naturæ post exinationem exaltatæ, quænam erit natura exaltans? Num etiam exaltatur ipsa Deitas? ipsa sublimitas? O infelicem contra Samosatenianos & Arianos disputatorem, qui ipsam Deitatem statuit exinanitam & exaltatam! Qualia sentientem in Arianorum societatem rapi, veriſſime dixit Leo Papa. Illius etiam dicti rationem ab eodem Martinio exiget Piscator, quosnam Vbiquitariorum nomine intelligat hæreticos. Samosatenianis & Arianis in eodem libri illius titulo aggregatos: & in qua classe me (cujus nomen majusculis literis sine dubio singularis amoris & honoris gratia, scribi voluit) reponendum censeat: quem verborum ordo tenorque in eo Titulo non satis ostendit, num ab his & illis segregatum velit, an illis solis conjunctum, an utriusque, an denique hæreticis illis pessimis pejorem habendum esse. Præter Titulum enim Libri, & Indicem, tunc videre nihil licuit: quem puto Deum in

fronte

fronte signare ita voluisse, ut primo intuitu pateret, bonum Spiritum non esse, qui in eo loquatur. Sed de hoc dies docebit. Interea quærendus conciliator erit inter eos, qui ex una parte nos invitant ad Christianam fraternitatem, ex altera relegant ad hæreticorum pessimos. Judicium penes te erit, Christiane & benevole lector, jurene hæreseos & blasphemiarum accusetur, qui sincero studio simplicissimam, in Dei verbo monstratam, veritatem amat, quærit, & per Dei gratiam pro virili defendit, erroresque quosvis, quantum in ipso est, propulsare studet: idque magni beneficii loco habet, si de errore candide moneatur: monitusque, grato pectore, sequitur rectiora monstrantem. Eadem enim libertate, qua uti hic candide soleo erga alios, ab aliis etiam, ubi opus est, moneri & erudiri cupio.

Hæc præmittere hic volui, & testari, me noluisse nunc justam sive plenam refutationem Photinianorum instituere: quod nec libelli hujus, neque temporis ratio ferebat, sed fontes tantum indicare præcipuorum errorum. Quod simili ratione in aliorum etiam heterodoxorum opinionibus examinandis facere studui. Vale benigne lector, nostrisque votis tua conjunge, ut veritatem Evangelicam, & in ea fundatam pacem Christianam, DEVS Opt. Max. conservare clementer dignetur, per & propter mediatorem unicum nostrum, & Dominum Jesum Christum, cui cum

Patre

AD LECTOREM.

Patre & Spir. sancto, Deo uni, vero & æterno, sit laus, honor, & gloria, in omnia seculorum secula, AMEN. Giessæ Hassorum XIX. Martii, Anno MDCXV. quem numerat pulcherrima sententia Psalm. 56. vers. 12. In Verbo DoMInI IgLorIa Læta VIret.



IN

IN AVGVSTVM AVGVSTANÆ Confessionis Trophæum.

AVgusta Augustana manet Confessio; glossa
Vindice Mentzero nunc peregrina ruit.
Miraris? rabidum tanta virtute Leonem
Nigra quod Alcides jecit ad antra necis.
Miror, quod Decimum confecit strage Leonem
Gloria Saxonici prima Lutherus agri.
Miraris? totum juveni quod robore mundum
Magnus Alexander clauserit imperio.
Miror, Mentzerum tam parvo, quicquid in alma
Scriptura succi est, claudere posse libro.
Tu, Romane, minas jam contrahe, contrahe & arcis
Thecas, nunc Missæ gloria spreta jacet.
Tu, Calvine, Dei mysteria ludere perges?
Decreti horribilis regula fracta jacet.
Quid, Photine? miser: ridetur miles inermis,
Et tua, quid grunnis? mens pudefacta jacet.
Augusta Augustana manet Confessio; glossa
Vindice Mentzero nunc peregrina ruit.

DANIEL Roderecht/ P. L.
Dramburgo March.

DE

DE AVGVSTANA CONFESSIONE.

I.

AVGVSTVM est Augustanæ Confessionis nomen apud omnes, qui sinceram Evangelicæ doctrinæ veritatem candido pectore susciPiunt & exosculantur, in qua cum non tantum præcipua Christianæ religionis capita ex Canonicis Propheticæ & Apostolicæ scripturæ libris perspicue proponantur, sed etiam contrarii errores, & fanaticorum hominum commenta diserte improbentur & rejiciantur: distinguuntur eo Symbolo, tanquam tessera militiæ Christianæ, & separantur nostræ Ecclesiæ, tum a Papatu sive Romanensi Synagoga, in qua humanæ traditiones divino verbo æquiparantur, vel etiam anteponuntur; tum a Sacramentariorum cœtu, in quo juxta humanæ rationis & sapientiæ acumen & arbitrium articuli fidei explicantur, ipsiusque Domini nostri Jesu Christi Sacrosanctum Testamentum misere pervertitur; tum denique a quorumvis fanaticorum turba, propria somnia &

commenta pro divinis revelationibus temere habentium & jactantium.

II. Quod ingens bonum Ecclesiis nostris invidens Sanctæ in Christo pacis & Concordiæ osor & turbator Satanas, qui summo conatu dissipare studet, & a vera fidei unitate divellere cætus Christianorum, variis usus fraudibus & machinationibus, Confessionem hanc hostiliter impugnavit; id unice contendens, ut quoquo modo illius, quam ex aperto cum divinis literis consensu habet, authoritatem labefactare posset. In quibus molitionibus ita sese mendax ille Spiritus gessit, ut cordatis omnibus constaret, verissimum esse, quod dixit Isidorus: *Diabolum tanquam serpentem lubricum, quando decipere quemquam quærit, in varias sese transmutare formas, jam in vulpinam, jam in leoninam, jam suaviter blandiri, ut fallat, jam sævire, ut terreat.* Cujus rei plenam fidem historia superioris seculi abunde comprobat.

III. Alia igitur via rem aggrediendam censuere illi, qui pulcherrimis oblatæ nobis pacis & sanctæ fraternitatis nominibus hoc consequuturos sese sperant, ut pro Confessionis Augustanæ sociis habiti, eandem sic interpretentur, quo depleris-que omnibus illius capitibus inter D. Lutherum, & Calvinum atque Zwinglium fuisse unanimem consensum simplicioribus persuadere queant. Qua in re insigne suum studium, hoc est subtilem decipiendi fallendique industriam, David Pareus in suo Irenico satis superque commendavit. Ex

quo si quæras, cur rejecta Augustana Confessione (quod separationis principium fuit) Helvetii propriam offerri suo nomine voluerint: Respondet, pag. 72. 82. 292. Anno 1537. Concordiam Wittenbergensem Lutherum iniisse cum Ecclesiis Helveticis, eamque datis mutuo fraternitatis dextris confirmasse: & ne quid desit manifestæ vanitati, calumniatur, p. 119. Lutherum eam concordiam abrupisse. Si quærendo pergas, cur Calvinus Augustanam Confessionem scripserit esse facem furiæ, ad excitandum incendium, quo conflagret tota Gallia: & cur ejus subscriptionem Beza, & alii recusaverint: respondet Pareus, pag. 293. Calvinum ipsum Augustanæ Confessioni subscripsisse: de quo ne dubites, addit, pag. 309. παραπάτην eum fuisse Evangelicorum in Colloquio Ratisbonensi An. 1541. denique p. 285. inter omnes Evangelicas Ecclesias, ait, de fundamento salutis consensum esse, semperque fuisse. Si reponas collationem doctrinæ Calvinianæ per omnes articulos cum Augustana Confessione, quæ contrarium evidenter ostendit: regerit pro suæ modesta Pareus, p. 275. esse eam ridiculam & malitiosam criminationem, itemque putida cavilla, Sophisticationes, detorsiones, coccysmos, virulentas & palam falsas insectationes. Vbi non est, ut probationem expectes tantorum convitiorum: Satis esto, ab authore Pareo profecta: ad quem proinde ea jure optimo remittimus, non passuri, ut in conviciandi palæstra cum ipso com-

mittamur. Quem potius fideliter hortamur, ut etiam atque etiam cogitet, cum sincero sanctæ pacis & Concordiæ amore consistere conviciandi & mentiendi studium nullo modo posse.

IV. Nobis hunc animum Deus indidit, ut pace & concordia nihil sit nobis optabilius, nihil gratius, nihil jucundius: nimirum quæ pro fundamento habeat divinam veritatem: extra quam, quæcunque Concordia circa fidem initur, placere Deo non potest, a quo quam longissime abstrahuntur, quicunque deserunt veritatem. Serium igitur Christianæ pacis studium non est, quod non summam habeat salvificæ veritatis rationem. Et profecto jactura est omnium maxima, conciliatio pacis cum detrimento divinæ veritatis. De hac igitur ante omnia suscipienda est cogitatio: qua recte constituta firmataque, summa consensione prompte coibunt animi ad Concordiam amplectendam & conservandam.

V. Ex quibus datur intelligi, dignam esse piis hominibus diligentiam, qua vera genuinaque Augustanæ Confessionis Sententia perspicue proponitur, vere explicatur, & divinarum literarum luculentis testimoniis stabilitur & confirmatur: quique cum ea errores pugnant, candide monstrantur & improbantur. Quod studium eo magis hodie est necessarium, quo fervidiore conatu Johannis Calvini sectatores simplicem ejus veritatem obscurare & pervertere, inque ejusmodi sensum detorquere & trahere annituntur, ut errorum

rum ſuorum latibulum invenire ſub ea poſſint. Qua in parte non dubitavit Pareus Haſſorum, (quos ſine adjecto neceſſario diſcrimine vocat) commendare conjunctas operas: quorum religionem ab Helvetica non diſſentire, diverſis locis teſtatur: neque Academiam tantum Marpurgenſem, ſed & ipſas Haſſiacas Eccleſias (neglecta rurſus differentia inter Caſſellanam partem, & Darmſtatinam) ſcribit profiteri doctrinam de S. Cœna a Zvvinglio & Calvino aſſertam. p. 31. 293. Vbi non immerito quisquam mirari poſſit Neo-Marpurgenſium ſive trepidationem, ſive diſſimulandi ſtudium, accuſationem illam de Calviniſmo privatim & publice multis verbis a ſeſe amolientium, hoc eſt, ſolem in meridie lucere negantium. Quod num veram in fide πληροφορίαν, conſcientiæque tranquillitatem arguat, penes cordatos eſto judicium.

VI. Cæterum cum aliis etiam in locis non deſint, qui hoc ſaxum magno ſtudio volvant, ut opinio hæc ſimplici Chriſtianorum plebeculæ inſtilletur, atque ſi fieri poſſit, obtrudatur omnibus, Johannis Calvini diſcipulos, quam proxime accedere ad verum Auguſtanæ Confeſſionis ſenſum; neque inter ipſos & Lutheranos (quos vocant) præter unum, vel etiam alterum, articulum ſupereſſe, in quo aliqua revera inſit diſcrepantia, quæ neque ſit adeo magni momenti, & facilem apud moderata ingenia conciliationem admiſſura videatur; & eos, qui huic ſententiæ aſſenſum

præbere renuant, esse Pseudo-Lutheranos, neque γνησίς Augustanæ Confessionis socios & amicos, sed potius desertores & hostes habendos: Summa necessitas hoc onus nobis imposuit, ut veritatis defensionem justam in nos susciperemus, proque nostra tenuitate demonstraremus, quam sit illa nostri accusatio atrox & iniqua, & falsitas vel ipsis palpanda manibus, quæ consensum Augustanæ Confessionis, & Calvinianorum errorum plurimorum simul & gravissimorum, jactare non erubescit.

VII. Vt igitur brevi & recta via eo, quo tendimus, Deo nos ducente & gubernante, perveníre valeamus, multis rejectis, quæ de hoc argumento ab aliis erudite disputata sunt, ad manum sumemus ipsam Augustanam Confessionem, ejusque in singulis articulis, viginti illis & uno (de cæteris enim alio tempore, si Deo visum fuerit, differemus,) veram & perspicuam sententiam, ex ipsis illius verbis, proponemus, deinceps (ut contraria juxta se posita clarius eluceścant) quid de singulis Zvvinglius, Calvinus, & ipsorum assecłæ publice docuerint, subjecturi: annotatis simul Pontificiorum de singulis articulis judicio & erroribus, itemque Photinianorum blasphemiis & furoribus.

VIII. Præmittemus autem majoris lucis gratia brevem descriptionem Augustanæ Confessionis: quæ de rebus multis monere utiliter poterit. *Augustana Confessio est confessio* (symbolum publicum)

Augusta-na Con-fessio.

cum) *quarundam Germaniæ Ecclesiarum, de præcipuis religionis capitibus, ex Dei verbo conscripta & approbata, & Augustæ Vindelicorum, Anno Christi 1530. in magnis illis Imperii Comitiis, Carolo V. exhibita: ad reddendam fidei rationem, & adversariorum calumnias refellendas.*

IX. Explicanda hic nonnulla erunt, ut clarius omnia intelligantur. Definitum est *Augustana Confessio*, quod nomen est inditum a loco, ubi fuit exhibita: sicut Concilium Nicenum dicitur a Nicea, Constantinopolitanum a Constantinopoli, Ephesinum ab Epheso, Chalcedonense a Chalcedone, &c. Unde hoc πόρισμα: *Quæ Confessio Augustæ exhibita non fuit, Augustanam dici non debere.* Augustana ab Augustæ urbe imperiali.

X. Genus in definitione est *Confessio* sive *symbolum*. Vbi confessionis vocem accipimus eo sensu, quo D. Apostolus ea usus est. 1. Tim. 6. v. 12. *Confessus bonam confessionem coram multis testibus:* Et regius Propheta, Psal. 105. v. 1. *Confitemini Domino, & prædicate nomen ejus: annunciate inter gentes opera ejus.* Cõfessio.

Nomen *symboli* (quod & ipsum συμβολον est) in hac præcipue significatione hic usurpamus, qua per metaphoram deducitur a signo sive tessera militari, qua socii ab hostibus & exploratoribus dignoscuntur. Eodem enim modo symbolum dicitur nota sive tessera doctrinæ Christianæ, qua Orthodoxi a Pseudo-Christianis, hæreticis, & quibusvis infidelibus, discerni possunt. Et Symbolum.

Ecclesiæ quidem nostrates Augustana illa sua confessione segregarunt sese non solum a paganis, Turcis, & Judæis, sed inprimis etiam a Papistis, Anabaptistis, & Zvvinglianis sive Sacramentariis.

Discrimē Symbolorum.

XI. Porro dicitur illa confessio non universalis, sive omnium per terrarum orbem Ecclesiarum, sed principaliter *aliquot duntaxat Germaniæ*, nempe illarum, quæ sub finem confessionis sunt expressæ, & quarum nomine primo fuit conscripta & exhibita. Deinde etiam earum Ecclesiarum confessio dicitur, quæ postea eam receperunt, Anno 1537. in conventu Smalcaldico, quarum itidem nomina sub finem articulorum Smalcaldicorum sunt notata: & rursum a compluribus fuit approbata annis subsequentibus. Denique ab exteris etiam regnis eadem confessio recepta fuit, nempe Danico & Suedico. Harum igitur Ecclesiarum symbolum illud esse dicitur: quæ hoc ipso, tanquam militari tessera, a quibuslibet aliis dogmatibus, cum Augustana Confessione pugnantibus, alienas se esse testantur.

Confessionis argumentum.

XII. *Subjectum confessionis* notatur, non universa sive tota doctrina Christiana secundum omnes suas partes, sed præcipua tantum ejus capita, & inprimis quidem ea, de quibus eo tempore mota fuerunt certamina. Unde etiam factum, ut non tantum thesis in confessione poneretur, hoc est, sana & vera doctrina, sed etiam adderetur ἀντίθεσις & errorum rejectio.

XIII.

Norma.

XIII. *Norma & fundamentum confessionis* exprimitur, verbum Dei, scripturis Canonicis, Prophetarum & Apostolorum comprehensum.

Authores.

XIV. *Authores confessionis* sunt, ordines quidam Imperii, nempe *Iohannes Dux Saxoniæ Elector, Georgius Marchio Brandeburgensis, Ernestus Dux Luneburgensis, Philippus Landgravius Hassorum, Iohannes Fridericus Dux Saxoniæ, Franciscus Dux Luneburgensis, Wolffgangus Princeps ab Anhald, & magistratus duarum civitatum imperialium, Norimbergensis & Rutlingensis,* (quos omnes *protestantes* vocant, eo quod fuissent protestati contra decretum in conventu Spirensi, Anno 1529. factum, de quo vide Sleidanum lib. 6.) & eorum Theologi, inprimis autem D. *Martinus Lutherus, & Philippus Melanchthon.* Cum enim Elector Saxoniæ Iohannes, datis Torgavia ad Theologus Wittenbergenses literis, (die Lunæ proximo post Dominicam Reminiscere, Anno 1530.) serio mandaret, ut mature deliberarent de certa formula confessionis, eamque propter instantia Comitia Augustana perficerent ante Dominicam Oculi, ipsique eo tempore eam perferrent Torgaviam: consignavit Lutherus, cui a collegis commissum fuit hoc officium, septendecim matriculos, qui extant Tomo 5. Germanico Ienensi, fol. 14. 15. 16. ex quibus postea Philippus Melanchthon Confessionem Augustanam continuavit, ita quidem, ut in plerisque eundem observaverit ordinem, neque sensum solum Lutheri expresserit, ve-

rum ipsa etiam verba & phrases sæpissime retinuerit, quemadmodum collatio ostendit. Vide hac de re epistolam Electoris Saxoniæ Augusta ex Comitiis missam ad Lutherum, (qui Coburgi in arce tum substiterat, ut esset Augustæ vicinior, si qua forte res ipsius consilium postularet Sleidanus lib. 7.) Tom. V. Ienens. fol. 21. fac. 2. cum responsione Lutheri, Dominica Cantate, Anno 1530.

Authoritas Confessionis publica.

XV. Unde patet 1. Philippum Melanchthonem conscripsisse Augustanam Confessionem, non privato consilio, sive privata authoritate. 2. Sed jussu & authoritate publica eorum, quos ante diximus. 3. Ex delineatione 17. articulorum Lutheri. 4. Missam eam fuisse Luthero revidendam. 5. Ab eodem approbatam & laudatam. Postea etiam accessit judicium & comprobatio reliquorum Theologorum, qui tum Augustam a protestantibus ordinibus erant vocati. Ac tum demum, nempe a Luthero aliisque Theologis ordinum protestantium revisa, judicata, & approbata, fuit exhibita Imperatori. Ex quo apparet, confessionem illam non privatum unius, aut etiam alterius hominis, sed publicum esse scriptum, publico nomine editum Ecclesiarum Saxonicarum, Brandeburgensium, Luneburgensium, Hassiacarum, Anhaldinarum, Norimbergensis, & Rutlingensis. Unde judicium fieri potest de ipsius authoritate. Quanquam enim neque divinis scripturis Prophetarum & Apostolorum, neque Catholicis illis & universæ Ecclesiæ symbolis, Apostolico,

postolico, Niceno, &c. æquiparanda est Augustana Confessio: eam tamen omnino in nostris Ecclesiis obtinet authoritatem, ut quibusvis scriptis & confessionibus privatis longissime præferri debeat. Qua de re paulo ante dictum etiam fuit.

Confessio nova de antiqua fide.

XVI. Nec est, ut hic objiciant adversarii, novam videri nostram religionem, utpote quæ Augustæ primum nata sit ante annos 84. Quidni enim idem valeat de Symbolo Niceno, & Ephesino, & Chalcedonensi? Confundunt igitur isti ipsum principium religionis, hoc est, scripturam Propheticam & Apostolicam, (quæ una, quantum ad nostram cognitionem attinet, fidei Christianæ fundamentum est, ac proinde fidei nostræ, & scripturæ sacræ, eadem est antiquitas) & publicas de religione confessiones: quæ ipsæ cum ex scripturis desumuntur, etsi sunt recentiores, religio tamen antiqua manet, de qua propter noviter exortos errores confessiones eduntur. Non enim confessio facit, aut gignit novos articulos fidei: non, inquam, est causa dogmatum procreans, sed est de dogmatibus ex scriptura jam ante constitutis & confirmatis solenne testimonium. Ut igitur ante res est suis causis constituta, quam de ea verum perhiberi testimonium possit: ita confessio editur de doctrina sive religione, quæ jam ante extructa est ex suo vero principio, nempe Dei verbo in scripturis divinis comprehenso. Ut si quis hodie confessionem edat in Ecclesia de Deo uno &, trino,

no, non inde novum efficietur dogma de unitate divinæ essentiæ, & Trinitate personarum, sed est de antiqua illa & vera fide illa recens confessio: Hoc est, actus confitendi est recens, sed subjectum confessionis, hoc est, dogma, de quo confessio editur, est antiquum.

Non privata sed publica.

XVII. Nec audiendi sunt alii, qui Augustanæ Confessionis authoritatem convellere conantur, eo quod sit ab uno atque altero, aut paucis saltem hominibus conscripta, idque, ut ajunt, festinanter, & in summo rerum discrimine & trepidatione. Quanquam enim Lutherus prima jecit ex tabulis sacris fundamenta hujus confessionis, & postea Melanchthon formam & dictionem addidit: & hactenus soli isti duo videri authores possunt: tamen, uti dixi, accessit judicium & approbatio, tum ipsorum Principum protestantium, tum Theologorum præstantissimorum, qui publice testati sunt, consentire istam confessionem per omnia cum scripturis divinis, & esse hanc ipsam doctrinam, quæ publice sonet in suis Ecclesiis, ut ipsa verba confessionis ostendunt: quæ ita habent: *Ecclesiæ magno consensu apud nos docent &c.* Quæ verba in primo articulo expressa, in omnibus repetenda sunt. Unde neque Lutheri illud Symbolum, neque Melanchthonis dici debet, sed omnium Ecclesiarum, quarum nomine, voluntate, & approbatione fuit editum.

Deliberato consilioscripta.

XVIII. Et quo spectat illud, quod dicitur *de festinatione*? Cum Wittebergæ satis mature, itemque

que Torgaviæ fuerit de Confessione formanda deliberatum. Quid? Annon extemporalis etiam confessio approbanda est, quæ cum Dei verbo consentit; juxta illud Apostoli, *1.Pet.3.v.15. Estote parati semper ad satisfactionem (πρὸς ἀπολογίαν) omni poscenti vos rationem, de ea, quæ in vobis est, spe.*

XIX. Neque huc quicquam facit, si unus aut alter in comitiis illis Augustanis visi fuerint timidiores. Qua de re vellem omnibus esse notissimas Epistolas Lutheri, eo tempore Coburgo Augustam scriptas, spiritu vere heroico plenissimas, quæ extant Tomo V. Jenensi, f.21. 24. 39. 40. &c. Et cur tam altum est apud eos homines silentium, de singulari constantia & fortitudine primariorum confessorum. Electoris Saxonici, & Marchionis Brandeburgici, & aliorum? quorum medius ad ipsum Imperatorem dixit vultu imperterrito: *Caput abscindendum carnifici coram majestate tua prius porrigam, quam Deum meum & Evangelium ejus abnegem.* Vide Tom.V. Ienensi, fol.27. & orationem historicam Selnecceri de initiis, causis, & progressu Confessionis Augustanæ, fol. 40. edit. Jenensi, Anno 1592. Alia lubens prætereo. Quod enim ad dogmatum, quæ in Augustana Confessione comprehenduntur, veritatem attinet, demonstranda illa fuerit in singulis capitibus, & refutanda argumenta contraria.

Confessorum fortitudo & constantia.

XX. Manet itaque illud, quod supra dicebamus, symbolum hoc esse Ecclesiarum nostrarum publi-

Tempus editæ Cō. fessionis.

publicum, cui nulla debeant privata scripta anteferri. Hactenus de authoribus & anthoritate Confessionis.

Tempus edita Confessionis.

XXI. *Tempus exhibitæ Confessionis* notatur, nempe anno a nato Christo 1539. Comitiis Augustanis. Asscribam nonnulla ex Epistola Electoris Saxonis ad Lutherum: *Nos 24. Jun. die, qui memoria Iohannis Baptistæ dicatus & sacer fuit, cum sociis in religione conjunctis, coram Cæsarea Majestate, Vngariæ & Bohemiæ Rege Ferdinando, ac omnibus Electoribus & Principibus fidei nostræ Confessionem Germanie recitaturi, ac Latino scripto comprehensam Cæsareæ Majestati subjectissime exhiberi, in Prætorio reverenter comparuimus: sed publicam fidei nostræ prælectionem eo die impetrare & obtinere non potuimus. Rege Ferdinando cum adversaria parte magno conatu illud impediente. Cæsar tamen nobis bonam spem fecit, se hodie (25. Iunii) doctrina nostra summam, non quidem publice, sed privatim in palatio suo auditurum esse: quod in hunc finem factum esse facile crediderimus, ne magna hominum multitudo recitationi illi interesse posset, &c.* Tomo V. Jenensi, f. 29.

Confessio publice lecta d. 25. Iunii.

XXII. Porro die 25. Iunii, qui fuit dies Sabbati, proxime sequens diem Iohannis Baptistæ, circiter horam tertiam pomeridianam in palatio Cæsaris, in cœtu Principum, & omnium ordinum, auscultante Cæsare, lecta fuit Augustana Confessio, clara & gravi voce, a D. Christiano Beyer, Elector. Saxonici Cancellario, ita ut & in palatio, & in area aulæ

aulæ Episcopi Augustani audiri posset: *Sleidanus, lib. 7. Lutherus, Tom. V. Ienensi, fol 30. Selneccerus, fol.* 41.42. Postea Latine & Germanice conscripta, & Principum & legatorum civitatum supra dictorum manu subsignata, per Doctorem Pontanum Seniorem Cancellarium Electoralem oblata fuit Alexandro Schweiß / Secretario Imperatoris, ut illam traderet Electori Moguntino, Imperii Cancellario: Sed ipse Cæsar sua manu eam apprehendit, & Latinum exemplar ad se recepit. Exhibita.

XXIII. *Finis* scriptæ & exhibitæ Confessionis duplex annotatur, unus *principalis* & maxime proprius, alter *secundarius. Principalis* est, ut Ecclesiæ protestantes fidei suæ rationem redderent publice, & ostenderent doctrinam suam consentire cum scriptura Prophetica & Apostolica. *Secundarius* est, ut sese purgarent Imperatori, & reliquis Imperii ordinibus, a suspicione hæresium, & rumoribus de se falso sparsis, quasi faverent furoribus fanaticorum hominum, & inprimis Anabaptistarum, qui non solum perversissima dogmata passim spargebant, sed etiam ante paucos annos extiterant authores seditionis, concitata adversus magistratum plebe. *Sleidan. lib. 5.* Unde bellum exortum fuerat funestum & exitiosum, in quo prope ad centum hominum millia perierunt, *Sleidan. lib. 7.* Finis editæ Confessionis.

XXIV. Memorabile est, quod scribit D. Lutherus in præfatione articulorum Smalcaldicorum, de Doctore quodam ex Gallis misso: *Balam*, inquit,

quit, *nobis indicabat ille, Regi suo certo certius persuasum esse, apud nos nullam esse Ecclesiam, nullum magistratum, nullum conjugium, sed promiscue omnes pecudum more vivere pro arbitrio.*

XXV. *Alphonsus Cesaris Cancellarius Hispanicus*, Augustæ in Comitiis ad Melanchthonem: *Longe aliter*, inquit, *Philippe, in Hispania de vobis fama tulit, quam ex Confessione vestra intellexi-mus: Multi nobis persuaserunt, vos negare Trinitatem, de Christo & Maria impie loqui, Sacramenta corrumpere, cœnam Dominicam convivii profani more administrare, magistratum contemnere, libidines stabilire, &c.* Unde patet, quantis fuerit Ecclesiarum protestantium doctrina onerata calumniis apud adversarios, quas repelli necesse fuit. Hactenus brevis explicatio descriptionis Augustanæ Confessionis. Qui pleniorem tractationem desiderant, tum eorum, quæ confessionis editionem antecesserunt, eamque comitata sunt, tum quæ fuerunt subsecuta, legant præter Sleidanum, Tom. V. Lutheri Ienensem, fol. 27. & seqq. & historiam Augustanæ Confessionis D. Chytræi, & alteram convertam a Theologis eam ad rem deputatis, itemque orationem D. Selnecceri de Augustana Confessione.

Confessionis mutatio.

XXVI. Antequam hinc abeamus, respondendum est objectioni Papistarum *de mutatione Augustanæ Confessionis*: ex qua illi doctrinæ mutationem arguunt, & accusant nostram in fide inconstantiam.

XXVII.

XXVII. Brevisſime reſpondeo hoc modo: Poſita definitione, ponitur definitum, & contra. Eam igitur nos vocamus Auguſtanam Confeſsionem, cui definitio a nobis propoſita & explicata, convenit. Et hanc unice tenemus.

XXIIX. *Excepit Papiſtæ:* Eſſe etiam mutatam ſæpius, & eam ipſam mutationem approbatam publice.

Reſpondeo. Latinam Confeſsionem mutatam eſſe, non nego: Sed facta fuit mutatio non authoritate publica Eccleſiarum, quarum intererat, ſed privato unius, aut paucorum arbitrio. Deinde a multis improbata fuit variatio, & ei eſt ab Electore Saxonico, & D. Luthero, & aliis, contradictum. Tertio, qui mutatam Confeſſionem admiſerunt, publice teſtati ſunt, hactenus, & non aliter, a ſe recipi, quatenus in ipſis rebus plane conveniat cum prototypo: Sicut patet ex hiſtoria conventus Naumburgici, Anno 61. Germanica autem Confeſſio non eſt paſſa tantas variationes. Privato arbitrio facta.

XXIX. Denique eſt, qui magna vehementia & verborum tumultu contendit, non conſtitiſſe publice multis annis, quænam fuerit vera, genuina, & prima Auguſtana Confeſſio: quia ſtatim ſequenti anno Wittebergæ excuſa fuerit diſſentiens a prototypo. &c. Piſtorius apoſtata.

XXX. Reſpondeo paucis ad antecedens: impudens illud eſſe figmentum: id quod inde liquet, quia in ipſis Comitiis Auguſtana Confeſsio translata fuit in varias linguas, Gallicam, Italicam Confeſsio in multas linguas

translata. licam, Hiſpanicam, Anglicam, Belgicam, & alias, & miſſa Pontifici Romano, & quibusdam Regibus. Omnino igitur conſtare potuit etiam exteris Regibus, quænam ſit vera & genuina Auguſtana Confeſſio. Qua de re, quia alii prolixe ſcripſerunt, non puto hic plura eſſe addenda: Præſertim cum adhuc in Archivis imperii extet illud ipſum exemplar, quod a proteſtantibus ordinibus ſubſcriptum, & ipſi Imperatori fuit exhibitum.

XXXI. Unde colligere eſt facile, Papiſtas cum in ipſarum rerum tractatione nihil inveniant, quod ſpecie aliqua veritatis impugnare valeant, occupari circa minutias minutiarum, ne deſit materia ſophiſticandi. Hæc igitur hoc loco ſufficiant, tanquam Prolegomena, de Confeſſione Auguſtana: Cujus tractatio ſpectatur tum in doctrinalibus, tum in ceremonialibus. Prima pars *de doctrinalibus* continet articulos viginti & unum. Primus eſt de Deo, tum in eſſentia, tum in perſonis. 2. De peccato originis. 3. De Chriſti perſona & officio. 4. De juſtificatione. 5. De miniſterio Eccleſiæ. 6. De bonis operibus. 7. De Eccleſia. 8. De mixtura bonorum & malorum in Eccleſia. 9. De Baptiſmo. 10. De Cœna Dominica. 11. De Confeſſione. 12. De Pœnitentia. 13. De uſu Sacramentorum. 14. De ordine Eccleſiaſtico. 15. De ritibus ſeu ceremoniis Eccleſiaſticis. 16. De ordine Politico. 17. De extremo judicio. 18. De hominis Arbitrio. 19. De cauſa peccati. 20. Collatio doctrinæ Evangelicæ & Pontificiæ de fide & bonis operibus. 21. De cultu ſanctorum.

XXXII.

XXXII. Posterior pars, *de abusibus* in Ecclesiam invectis, continet septem capita. Primum est de utraque specie in sacra Cœna. 2. De conjugio sacerdotum. 3. De missa. 4. De confessione. 5. De discrimine ciborum. 6. De votis monasticis. 7. De potestate Ecclesiastica.

XXXIII. Non autem puto necessarium, de præfatione Confessioni præmissa ad Cæsarem sigillatim verba facere, quæ ad acta historica potius, quam ad ipsam doctrinam fidei pertinet. Exponit enim causas tum indictorum Comitiorum Augustanorum, tum exhibitæ Confessionis: cum protestatione de ratione fidei plenius reddenda in generali, libero, & Christiano Concilio, si alio modo componi res ea, & concordia sanciri non possit.

ARTICVLVS I.

DE DEO VNO ET TRINO.

ECclesiæ magno consensu apud nos docent, decretum Nicenæ Synodi, de unitate essentiæ divinæ, de tribus personis, verum & sine ulla dubitatione credendum esse: videlicet, quod sit una essentia divina, quæ & appellatur & est Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate: Creator & conservator

rerum omnium, visibilium & invisibilium: Et tamen tres sunt: Pater Filius, & Spiritus sanctus. Et nomine personæ utuntur ea significatione, qua usi sunt in hac causa scriptores Ecclesiastici, at significet non partem, aut qualitatem in alio, sed quod proprie subsistit.

Damnant omnes hæreses, contra hunc articulum exortas, ut Manichæos, qui duo principia ponebant, Bonũ & Malum, item Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Mahometistas, & omnes horum similes. Damnant & Samosatenos veteres, & neotericos, qui, cum tantum unam personam esse contendant, de Verbo & de Spiritu sancto astute & impie rethoricantur, quod non sit personæ distinctæ, sed quod Verbum significet verbum vocale, & Spiritus motum, in rebus creatum.

I.

Desumptus est hic Articulus ex primo inter Septendecim D. Lutheri Tom. V. Ienensi, pag. 14. quem integrum annotabo, ut collatio instituí possit: Sic igitur habet: Daß man fest und einträchtiglich lehre/daß allein ein einiger warhafftiger GOtt sey/Schöffer Himmels und der Erden/also/daß in dem einigen warhafftigen Göttlichen

lichen Wesen / drey unterschiedliche Personen sind: nemlich Gott der Vater/Gott der Sohn/ Gott der H. Geist. Daß der Sohn vom Vater geboren von Ewigkeit zu Ewigkeit / rechter natürlicher Gott sey mit dem Vater; und der H. Geist/ beyde vom Vater vnd Sohne/ auch von Ewigkeit zu Ewigkeit rechter natürlicher Gott sey/mit dem Vater und dem Sohn/wie das alles durch die Schrifft klärlich und gewaltig mag beweiset werden. Als Joh. 1. Im Anfang war das Wort/und das Wort war bey GOtt/ und GOtt war das Wort / alle Ding seynd durch dasselbige gemacht ꝛc. und Matth 28. Gehet hin/und lehret alle Heyden / und tauffet sie im Nahmen des Vaters/ und des Sohns/und des heiligen Geistes / und dergleichen Sprüche mehr/sonderlich im Evangelio Johannis.

II.

Fuit hic Articulos a Pontificiis receptus & approbatus. Iudicium Papistarum de primo Articulo.

III.

Porro constat thesi & antithesi: Thesis *est tum de unitate divinæ essentiæ, tum de trinitate personarum: quæ confirmatur authoritate Synodi Nicenæ, & declaratur per expositionem vocabuli personæ.* Antithesis *damnat* 1. *generatim omnes hæreses contra hunc articulum exortas,* & 2. *specialim Manichæos, Valentinianos, Arianos,*

Eunomianos, Mahometistas, & denique Samosatenos veteres & neotericos.

IV.

EXEGESIS.

I. Notanda est vox *Ecclesiæ* (quando dicitur: *Ecclesiæ magno consensu apud nos docent,*) quæ ostendit, confessionem edi de doctrina non hujus aut illius privati Doctoris, sed quæ publice sonat in Ecclesiis illis omnibus, quarum nomine hæc confessio fuit exhibita: ut sub eo vocabulo non soli pastores sive ministri intelligantur, sed totus cœtus verbo Evangelii in Christi nomine collectus: ut fusius infra dicendum erit articulo 7. & 8. de Ecclesia.

Nicena Synodus.

II. *Nicena synodus* (dicta a Nicea, urbe Bithyniæ) celebrata fuit Anno Christi 325. congregata die 20. Maji, a Constantino Magno Imperatore, adversus *Arium*, negantem æternam Iesu Christi Domini nostri Deitatem: cui interfuerunt 318. Episcopi, & in ea synodo Symbolum Nicenum est conditum. Authoritas hujus Concilii adducitur; quia quæ in eo docentur, manifesta habent testimonia in scripturis divinis (quæ sunt unica, & certissima, & prima regula omnis divinæ veritatis nobis manifestatæ) & ut omnibus constet, nequaquam nos abhorrere a testimoniis orthodoxæ antiquitatis, cum divinis literis consentientibus.

Quod sit Deus.

III. *Esse Deum* constat tum ex libro naturæ, hoc est, insitis notitiis naturalibus, & consideratione creaturarum, *Ps. 19. v. 1. Rom. 1. v. 19. 20. cap. 2. v. 15.*

v.15. Act.14.v.16.c.17.v.19. tum vero inprimis etiam ex libro scripturæ, ubi & distincta nomina Dei, & personarum discrimen & varia opera, & colendi ipsius modi prolixe describuntur passim.

IV. *Esse Deum unum essentia* sive numero, clarissime demonstretur, *Deut.6.v.4. 5.c.32.v.39. Esa. 44.v.6. 1.Cor.8.v.6. 1.Tim.2.v.5.* ubi non tantum expresse dicitur *unus*, sed etiam *primus & novissimus*, & quod præter ipsum *alius nullus* sit. Vnus essentia.

V. *Attributa Dei* (quæ sunt *essentialia*, & cum essentia divina reciprocantur: & in Deo, respectu ipsius, sunt simpliciter unum: dicuntur autem, multa propter captum nostrum, quia diversa eorum effecta in creaturis conspiciuntur) præcipua commemorantur. Vocatur enim Deus. I. *Æternus*: principio & fine carens, primus & novissimus, *α & ω. Psalm.90.v.1. Esa.44.v.6. Apoc.1.v.8.* solus habens immortalitatem, *1.Tim.6.v.16.* ac proinde immutabilis, *Malach.3.v.6. Iac.1.v.17.* Attributa Dei. Æternus.

II. *Incorporeus*: nulla habens membra corporea; quæ quando in scripturis ipsi attribuuntur per *ἀνθρωποπάθειαν*, notant peculiares actiones Dei: Sic *oculus* Dei notat providentiam, *dextra* potentiam, & sic deinceps. Deus enim est Spiritus. *Ioh. 4.v.24.* isque infinitus & simplicissimus: ac proinde etiam invisibilis, *1.Tim.1.v.17.* nempe in sua natura. Quando enim apparuit hominibus, assumpsit formam externam. Incorporeus.

III. *Impartibilis*: extra omnem compositionem non habens partem extra partem, neque dividi in partes potest: Ac proinde est immensus, & in se- Impartibilis.

ipso ubique totus. Quando autem ipsi *locus* in scripturis tribuitur, vel motus localis, significatur singulare opus, per quod eo loco sese manifestat.

Immensa potentia. IV. *Immensa potentia*: solus potens Rex regum, Dominus dominantium, 1. *Tim. 6. v. 15.* apud quem nihil est impossibile, *Zach. 8. v. 6. Luc. 1. v. 37.* Quando autem dicitur Deus aliquid *non posse*, intelligendum est, quod non velit, tanquam naturæ suæ & voluntati contrarium.

Sapientia. V. *Sapientia*: Solus sapiens, 1. *Tim. 1. v. 27.* omnia cognoscens in seipso ab æterno, *Iob. 9. v. 4. c. 12. v. 13. Dan. 2. v. 21.* καρδιογνώστης. 1. *Reg. 8. v. 39.* Hinc ei tribuuntur *oculi*, quod omnia simplicissimo intuitu pervideat. Quando autem de Deo dicitur *oblivio* vel *reminiscentia*, intelligitur, quod aliquid non curet, vel non faciat, aut contra.

Bonitas. VI, *Bonitas*: Nemo bonus nisi unus Deus (intellige per essentiam: Creaturæ enim dicuntur bonæ accidentaliter, sive per participationem) *Matth. 19. v. 17. Marc. 10. v. 18. Luc. 18. v. 19.* Unde est beneficus & benignus: id quod ostendit mundi creatio & conservatio, & inprimis instauratio generis humani: ac proinde quicquid facit, est valde bonum. *Gen. 1. vers. ult.*

VII. Hactenus præcipua Dei attributa: præter quæ alia etiam in scripturis occurrunt, ut Dei justitia, charitas seu dilectio, misericordia, gratia,

Affectus. &c. Tribuuntur etiam *nomina affectuum* Deo, ira, odium, furor, pœnitentia &c. quæ per ἀνθρωπο-

θεοπρέπειαν, id est, talem loquendi modum interpretanda sunt, quo affectus humani attribuuntur Deo, non quod ei insint (nam in Deum nullum cadit accidens) sed quod similia eorum affectuum sive perturbationum, effecta in creaturis, de Deo prædicantur, ac proinde sunt prius ab omni imperfectione purganda, quam assignentur Deo.

VIII. Et hæc quidem hoc loco sufficiant de unitate divinæ naturæ sive essentiæ. Quod vocabulũ *naturæ* petitum est ex *2. Petr. 1. v. 4.* quemadmodum *essentiæ* ex *Exod. 3. v. 14. Iob. 8. v. 58. c. 10. v. 30. 1. Iob. 5. v. 7. Apoc. 1. v. 8.* Quæ *Deitas* (sic appellatur *Col. v. v. 9.*) ut simplicissime una est, ita nec ab alio principio orta est, nec in alio vel ab alio sustentatur, sed per se ipsam existit: aliisque rebus creatis omnibus est prima & unica existendi causa *Act. 17. v. 28.* Natura. Essentia. Deitas.

IX. *Trinitas personarum* in una illa indivisa Deitate perspicuis testimoniis probari potest. Quæ doctrina est Ecclesiæ propria, nec extra eam quærenda. Est autem *persona* ὑπόστασις sive ὑφιστάμενον *subsistens individuum, vivum, intelligens, incommunicabile* (alteri nimirum personæ) *non sustentatum ab alio.* Natura autem divina ex æquo communis est tribus personis; in singulis tota (hoc est, perfecta, sine defectu: partes enim non habet) existens. Trinus in personis. Persona.

X. *Plures in Deitate personas* esse, demonstrant luculentissima scripturæ testimonia, in quibus distinguitur Pater a Filio, & uterque a Spiritu sancto,

sancto, & diserte dicitur *alius* atque *alius*, *Ioh. 8. v. 18.* testatur de me, inquit Christus, qui misit me pater, *Ioh. 5. v. 32.* *Alius* est, qui testatur de me, *Pater*, *Ioh. 14. v. 16.* *Ego*, inquit Christus, rogabo *Patrem*, & *alium* consolatorem dabit vobis. Similia plura alibi occurrunt. Et inprimis illustre est illud, quod *Filius factus est caro*: quod de Patre & Spiritu sancto dici non potest.

Trinitas. XI. *Tres* autem esse *personas*, non plures, nec pauciores, inde probatur, quia tres, nempe *Pater*, & λόγος sive *Filius*, & *Spiritus sanctus*, expresse nominantur, *1. Ioh. 5. v. 7.* itemque in Baptismo Christi, *Matth. 3. v. 16. 17. Marc. 1. v. 10. 11. Luc. 3. v. 21. 22.* & in formula Baptismi. *Matth. 28. v. 19.* „ *& quæcunque vere & mere divina in scripturis reperiuntur, non possunt ad quicquam aliud, vel quemcunque alium referri, quam vel ad has tres personas simul vel aliquam ex eis.* Unde tres tantum esse certum est, non plures.

Discrimen personarum ad intra. XII. Quæ tres *personæ distinguuntur* primum *ad intra* (id est, ut considerantur inter se in ipsa divina natura, absque ullo respectu ad creaturas) characteribus personalibus, qui singulas personas designant, & ab aliis distinguunt, & in sua quisque persona terminatur: Quia *Pater a nullo est* (ac proinde prima persona in ordine, & origo Trinitatis) *Filius est a Patre genitus* (non autem post Patrem; sunt enim omnes personæ coæternæ.) Et sic filius in ordine persona secunda est. *Spiritus sanctus* a Patre & Filio ab æterno procedit. Unde in ordine persona est tertia. Alias enim

in

in Trinitate nihil est prius aut posterius, nihil majus aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales. Unde vocantur ὁμοούσιοι. Huc pertinet regula: *Opera Trinitatis ad intra sunt distincta*, hoc est, suæ quæque personæ propriæ, non communia omnibus. Sic solus Pater *a nullo est*, solus Filius *nascitur*, solus Spiritus sanctus *procedit*.

XIII. Deinde *ad extra* distinguuntur personæ Trinitatis in operibus creatis, cum considerantur *relate*, hoc est, juxte ordinem agendi. Sic Pater est *creator*, Filius *redemptor*, Spiritus sanctus *sanctificator*: quoniam nimirum præcipue in opere creationis Pater se manifestavit, sicut Filius in redemptione, & Spiritus sanctus in ministerio Evangelii. Nam Pater creavit omnia per Filium (tanquam virtutem & potentiam, & sapientiam suam naturalem sive substantialem) in Spiritu S. Unde regula: *Opera Trinitatis ad extra* (cum absolute considerantur) *sunt indivisa*, hoc est, non uni soli personæ, sed simul omnibus tribuuntur: sine tamen confusione, sed *servato discrimine & ordine personalium proprietatum*. Atque hinc consequitur, in operibus Dei ad extra, nominata una vel duobus personis, totam Trinitatem intelligendum esse. Quia nimirum in omnibus personis est essentiæ ταυτότης, identitas, & personarum inter se mutuus respectus. Ut, appellato Patre, relatio ostendit Filium; & viciſſim. Quando igitur in scripturis *particulæ exclusivæ* usurpantur de una persona, non intelligantur exclusæ per-

Ad extra.

Particulæ exclusivæ.

personæ reliquæ ab ὁμοσσία divinitatis, sed tantum idola & creaturæ. Exempla vide *Matth. 11. v. 27. Johann. 17. v. 3. 1. Cor. 2. v. 11.* Et ex hoc fundamento, nimirum propter ὁμοσσίαν, una & eadem operatio nunc uni, nunc alteri personæ assignatur. Sic Pater vivificat, *Joh. 5. v. 11. Rom. 8. v. 11.* Filius vivificat. *Joh. 5. v. 21. 1. Cor. 15. v. 22.* Spiritus sanctus vivificat, *Roman. 8. v. 11. 14.* Sic Pater dicitur suscitasse Filium a mortuis, & exaltasse, *Ephes. 1. v. Phil. 2. Psal. 110. Matth. 28.* Et ipse tamen Filius propria virtute resurrexit, & ad cœlum ascendit. *Marc. 16. v. 19. Rom. 1. v. 4. Heb. 1, v. 3. 1. Cor. 15. v. 25. & Phil. 3. v. ult. &c.*

Pater. XIV. *Pater* est prima persona sacrosanctæ Trinitatis: qui a nullo est, & est origo Trinitatis, gignendo filium, & una cum Filio spirando Spiritum sanctum. Unde Græcis dicitur ἀγέννητος ingenitus, αὐτοθέος seipso existens, αὐτόθεος seipso (non ab alio) habens Deitatem. Quæ duo posteriora nomina sobrie, & sine sophistica, sunt accipienda & interpretanda. Hunc vere Deum esse omnes fatentur.

Filius. XV. *Filius* est secunda persona Trinitatis, ab æterno a Patre genita, imago Patris substantialis, una cum Patre spirans Spiritum sanctum: per quem Filium Pater in Spiritu sancto omnia creavit & conservat: qui protulit primam Evangelii promissionem in Paradiso, & in temporis plenitudine ineffabiliter sibi univit, & æterno fœdere in personæ unitate copulavit humanam naturam, conceptus a Spiritu sancto, natus ex Maria virgine,

ne, perfectus Deus, perfectus homo, unus Christus, ut esset mediator humani generis. De quo plura in articulo 3. dicemus.

XVI. *Spiritus sanctus* est tertia Trinitatis persona, a Patre Filioque ineffabiliter procedens, utrique consubstantialis & coæternus, in quo Pater per Filium creat & conservat omnia quæ sunt, visibilia & invisibilia: vivificans & sanctificans corda credentium per verbum & Sacramenta; author variorum donorum spiritualium & corporalium. Spiritus sanctus.

XVII. Hunc esse vere Deum demonstratur, Vere Deus.
I. quia *expresse & absolute, sine aliqua additione vel restrictione, vocatur Deus, & Iehovah, & Dominus. 2. Sam. 23. v. 2. 3. 2. Pet. 1. v. ult. Luc. 3. v. 68. 70. Act. 5. v. 3. 4. 1. Cor. 3. v. 16. 19. 20. 1. Cor. 12. v. 4. 5. 6.* II. *Confer. Esa. 6. vers. 9. & Actor. 28. vers. 25. 26. Sic Num. 12. vers. 6. & Actor. 1. vers. 20. Ephes. 3. v. 5. 1. Pet. 1. v. 10.* II. *Item Esa. 63. v. 10. & Heb. 3. v. 7. 9. 2. Cor. 3. v. 17. Confer. 1. Cor. 4. v. 19, & Act. 13. vers. 4. c. 16. v. 6. 7.*

II. *Insignitur Spiritus sanctus attributis, & Epithetis, & operationibus, soli vero Deo propriis.* Est enim *immensus Psal. 139. vers. 7. gratiose præsens piis. 1. Cor. 2. vers. 13. c. 3. v. 16. c. 6. v. 10. Iob. 14. vers. 16. 17. omnia bona in omnibus piis operatur. 1. Cor. 12. vers. 11.* est *æternus, Genes. 1. v. 2. Heb. 9. vers. 14. omnisapiens & omniscius, Esa. 40. vers. 13. 1. Cor. 2. vers. 10.* unde vocatur Spiritus sapientiæ, intelligentiæ, consilii & scientiæ, *Esa. 11. vers. 2. omnipotens. Matth. 12. vers. 28. Luc.*

Luc.11.v.20. Actor.10.v.38. unde appellatur Spiritus fortitudinis, *Esa.11.v.2.* & roboris *2.Tim.1. v.7.* verax, adeoque ipsa veritas, *1.Ioh.5.v.6.* unde dicitur Spiritus veritatis, *Ioh.15.v.26.* bonus, *Psal.143. v.10. Nehem.9. v. 20.* Denique *quicquid Deus est & dicitur, illud omne de Spiritu sancto pie & vere praedicari potest.*

III. Spiritus sanctus *procedit ineffabiliter ab aeterno Patre, & Filio, Ioh.15. v.26.* Unde dicitur Spiritus ex Deo, hoc est, ex Dei substantia *1.Cor.2. v.12.* & Spiritus patris, & filii, *Matth.10. v.20. Ioh. 14.v.16. Rom.8.v.9. Gal.4.v.6.* ac proinde ὁμοούσιος est Patri & Filio, *1.Ioh.5.v.7. Confer Ioh.10.v.30. & 2.Petr.1.v.4. Item 1.Cor.3.v.16. & Ioh.14.v.23.*

IV. *Efficit opera mere divina, liberrima voluntate, virtute propria, & ad propriam gloriam. Creat & conservat omnia, Genes 1. v 2. Ps.33, v.6. Ps.104.v 30. Iob.33.v.4. Esa.57.v.16. variis donis exornat homines, Exod.31.v.1. vivificat, sanctificat, gubernat Ecclesiam. 2. Cor.3.v.3. Ioh.5. v.21. 1.Cor. 12.v.11. Actor.20.v.28. Rom.8.v.11. 13. inspirat Prophetas, ut praedicant futura, Actor.1. v.16. Epbes.3. v.5. 1.Petr.1. v.10.11. 2.Petr.1. vers.ult. Apostolos instruit dono linguarum, Actor.2. v.4. Doctores reddit idoneos ad ministerium Evangelii, 1. Cor.12. vers.3. 2.Tim.1.v.6.7. Matth.10.v.20. Adoptat credentes in filios Dei. Rom.8.v.15. docet orare. Zach. 12.v.10. Rom.8.v.15. testimonium dicit in nobis, Rom. 8.v.16. habitat in sanctis, 1.Cor.3. v.16. Efficit consortes divinae naturae, 2.Petr.1.vers.4. transformat ad imaginem Dei, 2.Cor.4. vers.ult. inumbrat virginem,*

ginem, ut concipiat sine virili semine, Luc.1. v.35. ungit Christum ut hominem divina virtute, & mittit ad officium suum. Psal.45.v.9. Hebr.1. v.9. Esa. 61. v.1. Luc.4.v.18. Actor.10. v.38. Denique *quicquid Deus agit, efficit, & operatur, illud omne* (excipe tantum proprietates personales Patris & Filii) *Spiritui sancto tribui recte potest.*

V. Denique *divino cultu & gloria* Spiritus sanctus *afficitur.* Etenim *in nomen ejus baptizamur, Matth.28.v.19. a Seraphim adoratur,* Confer *Esa. 6.v.3.8.9. & Actor.28. v.25.26. per eum jurat Apostolus, Rom.9.v.1.* Et in symbolo Apostolico *profitemur nos credere,* ut in Deum Patrem & Filium, sic etiam *in Spiritum sanctum.* Huc etiam facit, quod *peccatum in Spiritum sanctum* vocatur, & est irremissibile, *Matth.12.v.31. Marc.3.v.29. Luc. 12.v.10. 1. Ioh.5.v.16.* Huc usque thesis fuit: sequitur

V

ANTITHESIS.

In qua damnantur errores cum hoc articulo pugnantes: qui quidem ad duas classes referri possunt: prior *est eorum, qui negant* essentiæ unitatem; altera *illorum,* qui personarum trinitatem oppugnant.

I. Unitati divinæ essentiæ *contrariatur* πολυθεία Ethnicorum, *qui δῆμον θεῶν, totum cœtum Deorum fingebant, quorum varia tum genera, tum nomina & officia Augustinus in Varrone recenset* lib.6.& 7. *de Civitate Dei.*

II. *Insania* Valentini *circa annum Christi* 140. *monstrosam Deorum multitudinem confingentis:*

quam

quam refutarunt Ignatius, Tertullianus, Augustinus, & fusissime Irenæus.

III. *Detestandus error* Marcionis, *quem a Credone hausit & sparsit circa annum Christi* 157. *de duobus principiis, uno Deo bono, & uno malo. Prolixe contra hunc disputavit Tertullianus. Eundem errorem postea circa annum Christi 280. & seqq. sparserunt* Manichæi, *a Manete dicti: quos nervose & erudite confutavit Augustinus Tomo 6. distinctis tractatibus.*

IV. Tritheitarum *furor, qui dicunt esse tres Spiritus æternos, essentiali numero differentes, quos secutus est Valentinus Gentilis, tandem Bernæ supplicio affectus.*

V. Personarum trinitatem *oppugnarunt,* Praxeani *circa annum Christi* 200. Sabelliani, Noetiani, *qui tria nomina concedebant, sed non nisi unam divinitatis personam: quod ipsum etiam* Paulus Samosatenus *docebat, &* Mahometistæ. Ariani *similiter veram Christi Deitatem impugnantes, Trinitatem negant: quos imitantur* Servetiani, *dicti a Michaele Serveto Hispano, qui in Academiis Mahumeticis in Numidia educatus, & ut blasphemus Genevæ exustus fuit, Anno* 1553. *circa finem Octobris. Vocantur hi omnes ex dogmate* Anti-Trinitarii. *Ab Eunomio, Arii discipulo, dicti sunt* Eunomiani *circa annum Christi* 358. *qui etsi plures faterentur personas, dissimiles tamen eas esse dixerunt: unde ἀνομοιοι fuerunt nominati. Qui hodie in Polonia & vicinis regionibus SS. Trinitatem oppugnant, Arianorum nomen fugiunt, &*

Pho-

Photiniani *dici malunt. Hactenus brevis explicatio fuit articuli primi de Deo.*

VI.
Errores Pontificiorum de Deo uno & trino.

Supra dictum fuit, consensum esse inter nos & Pontificios in doctrina de Deo: quod cum quadam limitatione accipiendum est, praesertim propter Iesuitas. Non igitur mirum videatur, annotari hic a nobis aliquos Papisticos errores.

Nam I. *erroneum est, & cum unitate divinae essentiae pugnat, quod* Bellarminus *communi Iesuitarum nomine tuetur,* praeter Deum etiam sanctos invocandos & orandos esse. *Neque evadere possunt distinctione sua* inter δουλείαν, καὶ λατρείαν. *Etenim cultus religiosus pertinet ad primam tabulam, & soli Deo convenit, neque admittit distinctos gradus. Vnde D. Paulus* Rom. 10. *tale ostendit fundamentum: Fides & invocatio diriguntur ad idem objectum. In solum autem Deum credimus. Ergo etiam solus Deus est invocandus. Detestabilis igitur impietas est, relicto creatore, invocare creaturam.*

II. Mussus *p.* 545. *negat,* Dei nomen esse Deo proprium.

Contra, de Deo proprie, alias autem modificate dicitur. Distingue inter Deum natura & essentia (hic proprie dicitur) & Deum positione sive gratia: ubi modificate accipitur.

III. Trinitatem non nisi admissa traditione

demonstrari posse, *contendit Immanuel a Vega Iesuita, in oppugnatione facti Samosateniani Dei*, pag. 10. *& Possevinus lib. 8. Bibliothecæ. Mussus autem Tom. 2. pag. 573. scribit*, Trinitatem divinarum personarum celebrem esse etiam apud hæreticos.

Contra pie asseritur, Ecclesiæ propriam esse hanc doctrinam, cujus fundamenta vera ex divinis scripturis a nobis monstrata sunt supra.

IV. *Idem Vega th. 5. p. 3. affirmat*, qui audit Ecclesiam, & Pontifices, eum audire ipsum Deum.

Quasi vero vel Pontifex Romanus Deus sit, vel Romanensis Ecclesia. Aliud est, quando de ministris Dei loquimur, qui non nisi Dei ipsius Verbum proferunt: ut videbimus in articulo quinto.

V. Mariæ Virgini divinos tribuunt honores, & non dubitant baptismum vocare legitimum, si quis baptizet in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & beatæ Virginis, *lib. 1. novi sacerdotalis, pag. 25. Et hac loquendi formula sæpe utuntur:* Soli Deo sit gloria & beatæ Virgini.

Contra Baptismi formula a Christo præscripta, Matth. 28. *non nisi personas Trinitatis comprehendit. Et ipse Deus apud Prophetam; Gloriam meam, inquit, alteri non dabo*, Es. 42. v. 8.

VII.

Doctrina Calvinistarum de Deo.

Non exagitabo ego ipsorum impropriis, & val-

valde incommodas phraſes, ab aliis notatas, quas Anti-Trinitarii pro ſe interpretantur, & publice allegant: itemque horrendas dictorum ſcripturæ depravationes, quæ de Deitate Chriſti, & Spiritus ſancti loquuntur: de quibus dignus eſt, qui ab omnibus legatur *Calvinus Iudaizans.* D. Hunnii: Quem librum cum refutandum magno ſtudio Pareus ſibi propoſuiſſet, non potuit tamen exiſtentia veritatis coactus, quin ſubinde Calvini ſingularitatem, & lapſus non ferendos confiteretur. Nec recitabo Conradi Vorſtii Paradoxa, & manifeſtos errores de Deo, quos diverſis tractatibus palliare ſtudet plurimos & maximos: cum dubitem, velintne inpoſterum pro ſuo ipſum agnoſcere Calviniani. Ad manus ſumam ipſum dogma.

Dei omnipotentia.

I. Nota eſt ſententia illa *Petri Martyris dial. p.* 6. & contra Gardinerum: item *Bullingeri, & Tigurinorum* in reſponſione de *Teſt. Brentii. f. 94.* & *Bezæ, Muſculi, Faji, Hubneri, in theſ. in Colloq. Mompelg. p. 33.* Deum omni ſua potentia efficere non poſſe, ut Chriſti corpus ſimul & ſemel, uno eodemque tempore in pluribus locis eſſentialiter præſens ſit, aut ut alibi nunc ſit, quam in cœlis.

Vides negatam Dei omnipotentiam.

Immenſitas.

II. *Theodorus Beza 1. vol. Theol. pag. 589.* & hunc ſecutus *Lambertus Danæus de Elenchis hæreticorum edit. 1. pag. 119. & Iohannes Pincier, de Cœna Domini, l. 2. pag. 370. 371. Edit. Herb. Anno 94. negant, Deum eſſe ubique præſentem ſua*

essentia: sed vi, potestate & majestate. Quo etiam pertinent Geometricæ & angulares *Ioachimi Vadiani* descriptiones SS. Trinitatis. Quales definitores Athanasius appellat γεωμετρῶντας Christum, eosque acriter reprehendit. Et similitudines illæ *Danæi*, *Sadeelis*, & aliorum multorum, de Oceano & Antvverpia, de orbe & planeta, annulo & gemma, capite & pedibus, & hujus generis aliæ, quibus Deitatem τῦ λόγυ, & assumtam in personæ τῦ λόγυ unitatem humanam naturam Calviniani depingunt. Itemque quod *Beza* non dubitare se dicit. *Ascensum Christi ad Patrem* fuisse *localem in Colloq. Momp. p.* 145. *Et vol. Theol.* 1. *p.* 601. Sessionis carnis Christi ad Patris dextram, inquit, sive longe supra quasvis etiam cœlestes creaturas excellentissimæ majestatis, *certum locum* esse definimus. *Et Henricus Bullinger in tractatione verborum cœnæ*, Dextram Dei in scripturis non tantum accipi, ait, pro immensa Dei potentia, sed & pro *loco in cœlis certo*, in quo cum electis versetur Christus. *Eodem modo Heidelbergenses Calvinistæ in Epitome Colloquii Maulbrunnensis*, *pag.* 222. 225. domicilium Dei in cœlo vocant *locum*. *Vide etiam Vrsinum in compendio doctrinæ Christianæ*; *p.* 345. *& Bezam Op. Theol. Tom.* 1. *pag.* 590. ubi illinc (*ex loco illo Dei*) non autem ex ubiquitario cœlo dicit missum a Patre Filium, & in eosdem illos cœlos resumptum, ubi gloria & honore coronaretur. *Zanchius* vocat cœlum, in quod Christus ascendit, *corporale*; sed tamen alterius generis,

neris, quam sit terra: & quam cœli isti adspectabiles, *de natura Dei, lib. 2. c. 6. p.* 139. *Heidelberg. Anno* 72. *Piscator in Scholiis in* 1. *Epist. Petri, c.* 3. *v.* 22. In dextra Dei, inquit, id est, *in eo loco*, qui est ad dextram Dei.

Bonitas.

III. Deum ab æterno *absolute & simpliciter* pro liberrima sua voluntate, causas omnes antegrediente, quosdam homines prædestinasse, non solum ad damnationem, sed ad ipsum etiam peccatum, docent Calviniſtæ in genere, *Calvin. Instit. lib.* 3. *c.* 21. *sect.* 7. *Beza in quæst. & respons. p.* 697. *Colloq. Mompelg. p.* 517. *Rennecher & Spindler passim. Piscator disput. de Prædestin. th.* 79. *&c.*

Vides negatam, saltem oblique infinitam illam Dei bonitatem, & justitiam. Quod horrendum dogma Calviniani patres Synodi Nationalis Dortrechtanæ in Hollandia celebratæ, Anno 1618. 1619. *in suo judicio dicunt se detestari: qua fide, & fine, Deus novit.*

IV. Tres personas Trinitatis distingui, non distinctione reali, sed differre *modaliter:* & personam esse ipsum *modum* subsistendi, *disputat. Bartholomæus Keckermannus ex Vrsino, System. Theologico, p.* 17. 59. 79. Quam Personæ definitionem etiam ponit *Sohnius in Exeg. pag.* 86. & 164. *Edit. Sigen. Anno* 98. *& defendit Pierius, & alii.*

Quomodo jam consistet reale discrimen personarum Trinitatis, contra Sabellianos? Nam etiam

Philippi Melanchthonis definitionem personæ sugillat *Keckermannus, pag. 19. m. 22.*

Divina natura Christi non extra suam carnem.

V. Personam divinam τῦ λόγυ (quam communicatam esse assumptæ humanitati, quæ in ipsi personaliter subsistit, ex divinis literis, & pia antiquitate, constat) post factam incarnationem non esse extra carnem assumptam, verbis concedunt Pezelius, & Sohnius, & alii (Herbonenses negant:) Sed tamen, quia essentia τῦ λόγυ sit infinita, proinde hujus respectu affirmant τὸν λόγον infinitis locis esse *extra carnem.*

Vides infinitam τῦ λόγυ Deitatem, sed finitam ejusdem personam. Vbi jam demonstrabitur simplicissima in Deo unitas?

Divina essentia communis personis.

VI. Vnam in Deo essentiam sive naturam esse, tres vero personas dicit A. C. At *Keckermannus System. Theolog. pag. 63.* negat divinam essentiam admittere communicationem. Proinde dicit, Filium *a seipso* habere divinam essentiam. ibidem. Et rursum *pag. 48.* Vocat *tres* justificantes, & *tres* auctores justificationis nostræ, Patrem & Filium, & Spiritum sanctum. *Sicut quidam Philosophus (in instit. Logicis, & alibi)* vocare solet Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, *causas socias* creationis: (*imitatus Piscatorem in Analysi ad Ephesios, cap. 1. v. 7.* ubi vocat tres principales socias causas salutis: Et tamen respectu Patris mittentis ac mandantis, Filium dicit esse causam instrumentalem, nempe ministrum seu servum Patris, *quasi tres sint creatores, ac proinde tres Dii*) sed hoc non exaggerabo, *Bucanus* causam

causam fidei vocat Deum, & συναλτια Filium & Spiritum sanctum: *in Inst. Theol. p. 273.* Item Justificationis efficientem dicit esse Deum, & causam συνεργὸν Christum, *p.* 305. 306. *Piscator* in Deo ponit genus & species, vel quasi. *Quod graviter refellit D. Augustinus.*

Generatio Filii Dei.

VII. Pro appendice noto disputationis illius Marpurgi publice, authore & Præside Professore quodam Theologo Anno 1619. defuncto habitæ, ut mollissime dicam, inconsideratam vocem, *de metaphorica Filii Dei generatione*, & metaphorica Spiritus sancti processione. Quam Arianismo favere, adeoque ab Arianis foveri certum est.

Quæ de Christo secundum Deitatem exaltato, imo de duabus naturis exaltatis disputant Calvinistæ, & ita in Arianorum partes, ut Leo loquitur, rapiuntur, de iis dicemus in articulo tertio.

VIII.

Doctrinâ Photinianorum de Deo.

Photiniani dicti a Photino Syrmiensi Episcopo, circa annum Christi, 345. qui in omnibus Pauli Samosateni doctrinam secutus, (teste Augustino lib. de hæres. ad Quod vult Deum c. 45. ex Philastrio) ante secula nativitatem & existentiam Filii dicere fugiebat, sed Christum ex Maria initium habuisse dicebat. Athanasius de salutari adventu Christi. Tripartit. lib. 5. cap. 5. Nicephorus

lib. 9. c. 31. Hinc Photiniani recentiores orti in Transsylvania, Polonia, & vicinis regionibus: quod non diffidentur Faustus Socinus in disputatione de Jesu Christi, Filii Dei, natura sive existentia, & Ostorodus in proœmio institutionis Germanicæ, fol. 12. 13. Damnatus autem fuit Photinus in Concilio Syrmiensi, Anno 351. vel 356. ut alii supputant ejusque hæresin, de Christo mero seu nudo homine, ipse Evangelista Johannes in Cerintho & Ebione damnavit & refutavit, contra quos Evangelium suum scripsit: de quo videbimus infra ad artic. 3.

I. Negant naturalem Dei notitiam, hoc est negant, posse hominem ex insitis notitiis & sola consideratione creaturarum, atque inprimis cœli & terræ, cognoscere, non tantum esse Deum, verum etiam curam gerere hominum, & omnia regere & conservare. Ostorodus in institutione Germanica, pag. 9.

Contrarium vide Psal. 19. Rom. 1. v. 19. 20. c. 2. v. 14. Act. 14. v. 17. c. 17. v. 29.

II. Negant, & hostiliter impugnant summum *mysterium adorandæ Trinitatis*, idque multis horribilibus blasphemiis impetunt, quarum pleni sunt ipsorum libri. Christum igitur, & Spiritum sanctum, verum esse Deum inficiantur.

Nos Deum agnoscimus & veneramur, quemadmodum seipsum nobis in suo verbo revelavit, quod sit Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: in cujus nomine baptizamur, Matth. 28. v. 19.

III. *De Dei essentia* inviti loquuntur & scribunt:

bunt: quoties autem suam de ea sententiam exponunt, infinita absurda effundunt: quæ magno numero videri possunt in diversis tractatibus Conradi Vorstii miris modis picta & palliata: quantumvis ipse a Photinianorum hæresi se alienum esse splendidis verbis profiteatur.

Vide præter cæteros, nonaginta novem ipsius errores a Sibrando Lubberto notatos.

IV. Vnum esse Deum, hoc est, unam singularem personam, docent, Ostorodus, p. 31. 32. Catechesis Racovienſis, c. 1. p. 32. Essentia Dei, inquiunt, est una numero. Quapropter plures numero personæ in ea esse nullo pacto possunt, cum persona nihil aliud sit, nisi essentia individua intelligens.

Nobis Vnus est Deus essentia, trinus personis. Tres enim sunt, qui testantur in cœlo: Pater, & Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. 1. *Iohan.* 5. *v.* 7. *Ego, inquit Christus, & pater unum sumus, Iohan.* 10. *v.* 30. *Vnum non tantum consensu & voluntate, sed etiam natura sive essentia. Vnde Iudæi ipsi colligunt, veram describi divinitatem, vers.* 33. *quam etiam Christus demonstrat ex divinis operibus, v.* 37. *Et subjicit, vers.* 38. *se esse in patre & patrem in ipso: quæ verissima est τῆς ὁμοσίας* descriptio.

ARTICVLVS II.

DE PECCATO ORIGINIS.

HActenus dictum fuit de Deo; *Sequitur de hominis a Deo defectione, sive, ut habet inscriptio,* de peccato originis: *Cujus cognitio necessaria est, ut intelligere possimus magnitudinem gratiæ Christi. Verba Confessionis ita habent:* Item docent (*Ecclesiæ apud nos: id quod semper est ex Articulo primo repetendum*) quod post lapsum Adæ omnes homines secundum naturam propagati, nascantur cum peccato, hoc est, sine metu Dei sine fiducia erga Deum, & cum concupiscentia, quodque hic morbus seu vitium originis vere sit peccatum, damnans, & afferens nunc quoque æternam mortem, his qui non renascuntur per Baptismum & Spiritum sanctum.

Damnant Pelagianos, & alios, qui vitium originis negant esse peccatum, & ut extenuent gloriam meriti & beneficiorum Christi, & disputant, hominem propriis viribus rationis coram Deo justificari posse.

I. De-

I.

Desumptus est hic secundus articulus ex Articulo quarto inter septendecim illos, quibus Christianam doctrinam complexus est D. Lutherus Anno 30. Cujus verba ita habent Tomo V. Ienensi, fol. 14. p. 2. edit. Anno 75. Daß die Erbsünde eine rechte/warhafftige Sünde seye / und nicht allein ein Fehl oder Gebrechē/sondern eine solche Sünde / die alle Menschen/so von Adam kommen/ verdampt/und ewiglich von GOtt scheidet / wo nicht JEsus Christus uns vertreten / und solche Sünde/sampt allen Sünden/so darauß folgen/ auf sich genommen hätte / und durch sein Leyden genug darvor gethan / und sie also gantz aufgehaben und getilget in sich selbst / wie Ps 51 und Rom. 5. von solcher Sünde klärlich geschrieben ist. *Hactenus D. Lutheri verba.*

II

Iudicium Papistarum de hoc Articulo.

Primo, Responsio *Caroli Cæsaris* & *Catholicorum* (Romanensium) *Principum* ipsum Articulum comprobat, sed declarationem omnino rejicit, quod peccatum originis sit nasci sine metu Dei, sine fiducia erga Deum: cum potius sit culpa actualis adulti, quam noxa infantis recens nati, qui usu rationis adhuc non pollet.

Eadem est sententia *Iohannis à Daventria*: Iohan-

Iohannes autem *Cochlæus* tacite fatetur, infantes nondum baptizatos esse sine metu Dei & fiducia erga Deum: *in quo prioribus illis contradicit.* Scimus, inquit, infantes quoslibet nasci in peccato originali. Nemo tamen juste imputat eis in vitium aut peccatum, quod sunt sine metú Dei, & sine fiducia erga Deum. Quia per ætatem nesciunt, quæ sit distantia boni & mali, *Deut.* 1. aut quid sit inter dextram & sinistram. *Ionæ 4.*

Apertius etiam loquitur *Iohannes Hoffmeisterus*, cujus insignem eruditionem, diligentiam & industriam valde commendat doctissimus Papistarum Georgius Cassander. Articulus hic secundus, inquit, non habet, unde a Candidis Theologis vel rejici, vel vituperari possit. Et subjicit: Non inepte loquuntur adversarii (protestantes) homines nasci cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & cum concupiscentia: id quod tamen Germanice explicatius dixerunt. Ad hæc: Igitur, inquit, quod bis adversarii (Confessores Augustani) dicunt de metu & fiducia, non de actuali, sed potius de aptitudinali affectu intelligimus. *Vbi ne videatur plane in faciem contradicere velle responsioni Papistici rum Principum, ita scribit*: Opinor, inquit, nostros (confutatores Confessionis) hoc loco subveritos fuisse impia *H. Zwinglii* somnia, qui, sicut jam olim conquerebatur Melanchthon, nomen quidem peccati originis retinuit, rem autem sustulit. Vtcunque vero sit, certum est ex divinis literis, hominem non renatum, sive ille parvulus, sive adultus fuerit, non ha-

habere verum metum, nec veram fiduciam, nec posse vere concupiscentiæ resistere. *Hæc Hoffmeisterus, aperte refutans Papistas reliquos.*

Alphonsus Virvesius Philippica tertia fatetur, præter novitatem verborum nihil differre Confessionem de peccato originis a fide Catholica.

Georgius Cassander, quem egregiis encomiis ornarunt Imperatores Ferdinandus & Maximilianus II. approbat Hoffmeisteri declarationem, & sese refert ad consensum in Colloquio Wormatiensi, Anno 1541. cujus etiam formulam, de hoc articulo, recitat, & sic Confessionem Augustanam confirmat: male ob id acceptus a Iesuvitis, gravissimis calumniis virum hunc doctissimum & moderatum insectantibus.

III.

Explicatio Articuli.

Complectitur articulus ille & thesin, hoc est, veram & Orthodoxam sententiam, quam confirmat: & Antithesin, hoc est, errores contrarios, quos damnat. Apologia *confessionis addit fundamenta veræ doctrinæ ex scripturis, & Scholasticorum errores notat & arguit.*

IV.

THESIS.

Thesis exponit veram sententiam de peccato originis, tum in quæstione: *An sit*: tum quid sit.

Esse peccatum originale affirmat: idque propagari

gari docet in omnes homines ab Adamo post lapsum: quæ est notatio causæ efficientis, quam ita hic appello ἐν πλάτει sive populariter, cum rectius dicenda videatur peccati causa deficiens.

In descriptione illius peccati duo notantur: *Prius*, quod sit & privatio, & concupiscentia: *Posterius*, quod efficiat homines reos damnationis.

Nos breviter summum doctrinæ de hoc peccato comprehendimus.

I. Nomina peccati generatim dicti apud Latinos, Græcos, & Hebræos, nec minus apud Germanos, multa occurrunt vel ipsa appellationum frequentia naturam nostram de extrema corruptione seu depravatione accuset.

II. Definitio peccati rotunda proponitur, 1. *Iob.* 3. v. 4. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία: peccatum est a norma divinæ legis (*generatim dicta*) aberratio: sive quicquid aberrat vel deviat a divina lege.

Ut enim divina lex regula est & norma justitiæ, & id omne & solum justum est, & dicitur, quod cum lege divina congruit: ita quicquid aberrat ab ista norma legis, peccatum est.

III. Ubi notandum discrimen inter doctrinam de peccato Theologicam, & Philosophicam de vitiis. *Leges Politicæ* puniunt tantum externa facta, & conatus externos. *Philosophi* disputant etiam de moderatione affectuum. Regulam autem virtutis constituunt rationem humanam, at ex virtutis definitione Aristotelica constat, cu-

cujus mensuram facit prudentis hominis judicium *lib. 2. Ethic. cap. 6.* Ultra rationem igitur Philosophus non adscendit. Ac proinde *solida & integra doctrina de peccato Ecclesiæ propria est*, ex divinis scripturis, monstrantibus peccati fontem, Philosophiæ ignotum.

IV. Unde sic definimus: *peccatum est a divina lege aberratio, graviter offendens Deum, & ad severam vindictam provocans.* Recte igitur secundum loquendi modum in scripturis usitatum dicitur peccatum, tum privatio, tum prava concupiscentia, inclinatio, & actio Graviter enim errant, qui putant peccatum esse *meram* privationem. Quos ita redarguit Spiritus sanctus in scripturis, ut connectat, & una complectatur naturam hominis & ejus vitium, hominem & peccatum, cor & pravitatem: unde appellat cor pravum, perversum, cogitationem malam, actionem vitiosam, hominem perversum, iniquum, immundum. &c. Sic dicitur *Genes. 8. v. 21. Figmentum cordis malum, Rom. 6. vers. 4. corpus peccati:* & ibidem, *vetus homo.* Sic *externus homo* vocatur, *2. Cor. 4. vers. 16. fermentum malitiæ & nequitiæ, 1. Cor. 5. v. 8. concupiscentia carnis, Gal. 5. v. 16. Concupiscentia, Rom. 7. v. 7. Iacob. 1. v. 4. Pravum cor. Hierem. 17. v. 9. radix amaritudinis, Heb. 12. v. 15. mala arbor, Matth. 7. v. 17. vivere & sapere secundum carnem. Rom. 8. v. 5. 6. 13. facta carnis vers. 13. opera carnis, Gal. 5. v. 19. & 6.*

V. Vul-

V. Vulgo peccatum dividitur in *originale* & *actuale*.

Si accuratius loqui velimus, dicemus aliud esse peccatum *diabolorum*, aliud *hominum*: In *illa* consideratur tum primus eorum lapsus & rebellio, tum malitia & contumacia, quæ lapsum secuta est.

Hoc autem distinguitur in primum, & ortum.

Peccatum hominis primum est transgressio divinæ legis in Paradiso facta per Satanæ deceptionem, *Genes. 3.*

Peccatum ortum est tum ipsa naturæ pravitas in protoplastis, & omnibus posteris lapsum consecuta, tum quævis actio contra legem Dei. Quare peccatum ortum vel est ipsius humanæ naturæ vitium, vel humanarum actionum ἀταξία. Illud originale, hoc actuale peccatum dicitur.

Originale vocatur ab origine cujusque hominis, qui ex immundo semine, & in peccatis, concipitur & nascitur, *Psalm. 51. v. 7. Ioh. 3. v. 6.* Unde etiam appellatur *peccatum naturæ*, ex secundi capitis Epistolæ ad Ephesios versiculo tertio.

VI. *Peccatum originale est naturæ humanæ, originali justitia spoliatæ, pravitas* (seu prava concupiscentia) *per carnalem generationem ab Adamo propagata: radix peccatorum actualium reos efficiens homines damnationis & mortis.*

VII. Quamvis autem in Baptismo, qui est lavacrum regenerationis & renovationis per Spiritum sanctum, *Tit. 3. v. 5.* homo ab omnibus peccatis abluatur, ut vere de renatis affirmet D. Paulus, *Rom.*

Rom.8.v.1. nihil esse damnationis in his, qui sunt in Christo Iesu: Reliqua tamen in illis manet prava concupiscentia, & radix peccati, *Matth.7. vers. 17. Luc.6.vers.34. Ierem.6.vers.7. Matth.15.v.19.* contra quam perpetuo luctandum est piis: quam luctam graphice in sua propria persona describit D.Paulus *Rom.7.* Et quanquam renatus homo desideriis sive concupiscentiis carnis resistit, ut non regnent, sed reprimantur & mortificentur, quia tamen pugnant adversus divinam legem: Non concupisces, *Exod.20.v.17. Deut.5. v.21. Rom. 7.vers.7.* D. Paulus irrefutabiliter concludit, esse ea vere peccatum, cui oporteat resistere, & ejus veniam a Deo precari, per & propter Christum, ne in damnationem imputetur, *Rom.7.* Augustinus tract.41. in Iohannem, explicans verba Apostoli: Non regnet peccatum: *Non ait, non sit, sed non regnet. Quamdiu enim vivis, necesse est, peccatum esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur.* Vide etiam Cajetanum in c.7. ad Romanos, v.8.

Porro *originalis justitiæ* humanæ naturæ est perfecta cum divina lege conformitas, nempe concreta rectitudo omnium animæ virium, & æquabile temperamentum corporis: Unde homo Deo summe placuit, futurus immortalis nisi peccasset.

De *peccato actuali*, ejusque divisionibus infra commodius dicemus in explicatione articuli 19. qui tractat de causa peccati, *Hactenus de thesi.*

V.

ANTITHESIS.

Duæ constituuntur classes adversariorum veritatis. Prior *est* Pelagianorum, *hoc est, hæreticorum, Pelagii Britonis errorem sectantium.* Posterior *est aliorum præter istos. Quorum genera duo sunt. Quidam enim directe & expressis verbis negant malum originis esse peccatum: ut sunt* Huldricus Zvvinglius, *& plerique omnes* Anabaptistæ. *Alii vero oblique, & per consequentiam idem negant: ut sunt Scholastici doctores &* monachi, *itemque illi, qui docent a sanctis parentibus liberos sanctos nasci. Qui quidem omnes peccant in defectu, hoc est, nimis tenuiter & jejune de peccato originis statuunt.*

In excessu vero peccant Manichæi veteres & recentiores, hoc est, Flaciani. *Veteres fingebant, peccatum originis esse peculiare quoddam essentiale κτίσμα mali Dei, nempe diaboli.* Quem errorem graviter refutavit Augustinus docens, malum non esse substantiam, sed qualitatem naturæ, eamque accidentariam.

Recentiores delirarunt, peccatum esse ipsam hominis substantiam. Quod dogma evertit omnes articulos symboli Apostolici, ut facile demonstrari potest.

De Pelagio.

Pelagius Brito (ad differentiam Pelagii Tarenti: Augustinus Epist. 106.) homo ardentissimo Zelo accensus, initio pius & bonus fuit, & a Catholicis ad dignitates evectus, & monachus factus est

in

in Syria. Vixit diu Romæ, atque etiam Hierosolymis. Roma in Angliam profectus insulam illam totam infecit errore. Antequam in hæresin incidisset, scripsit tres libros de fide Trinitatis, & pro actuali conservatione librum unum, & in Epistolas Pauli expositiones. Postquam hæreticus publicatus est, etiam pro suo errore stabiliendo multos edidit libros, & pro libero arbitrio opus plurimum librorum. Hæresin suam sparsit circa annum Christi 414. quæ grassata est in oriente, & in Palæstina, in Africa, Constantinopoli, in Italia, Sicilia, Gallia & Britannia.

Hypotheses ejus de peccato fuerunt: 1. *Asseruit tantam naturæ sanitatem, ut per solum liberum arbitrium posset assequi regnum Dei.* 2. *Docuit peccatum non propagatione, sed imitatione in alios homines transisse.* 3. *Iulianus ejus assecla ait: Ideo non est peccatum in parvulis, quia id sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest. Malum enim omne, quod peccatum definitur, non in natura, sed in sola voluntate consistit. Item Trahi peccatum per naturam non potest, quia per opus Dei opus diaboli transire non finitur. Consulatur Dn. Chemnitius in locis Theologicis, de peccato originis, ubi plenius omnia explicantur, & inprimis convenientia ostenditur inter argumenta Pelagianorum & Scholasticorum.*

De Anabaptistis.

Directe peccatum originis negant in universum plerique omnes Anabaptistæ, asserentes Christum

morte sua originale peccatum in universum sustulisse ex humana natura, ita ut infantes jam sub Novo Testamento non concipiantur aut nascantur in peccatis, sed sint innocentes. Vide Colloquium Franckenthalense. Quam parum hic ab Anabaptistis distet Zwinglius, infra dicemus.

VI.

De Scholasticis.

Varia hic apparent Scholasticorum dissensiones. Neque desunt ex recentioribus Papistis, qui egre ferunt, tantum errorem sibi asignari inter quos est Iohannes a Daventria, & Alphonsus Virvesius. Et inter Iesuitas Bellarminus prolixe disputat, peccatum originis esse vere peccatum, cujus pœnam esse agnoscit mortem & damnationem. Quæ etsi speciosa videntur, tamen verissima est accusatio monachorum & Scholasticorum, quod peccatum originis certa ratione & modo negarint. Tapperus dicit, vocari peccatum abusive. Bellarminus scribit, non tam esse offensam, quam maculam: & pœnam potius, quam culpam. Azorius lib. 4. instit. Morali c. 29. negat habere rationem peccati, nisi cum respectu & ordine ad peccatum, quod Adamus admisit. Et Andradius disputat lib. 3. non opus esse pœnitentia peccato originis. Quam sententiam Pontificii non retractarunt.

Primo *enim Papistæ omnes, & in his Iesuitæ, affirmant (idque recte) peccatum nullum esse posse, ubi lex non sit posita. Assumunt autem, infantes rationis usu carentes, lege obligari non posse.*

Vnde

Vnde emergit hæc conclusio: Infantes peccatum proprie dictum non habere.

Secundo, *vocant quidam Papistæ peccatum originis minus peccato minimo veniali. Atqui, disputante Bellarmino & multis aliis, peccatum veniale dicitur peccatum analogicè, non exquisitè, lib. 1. de amissione gratiæ & statu peccati c. 11. argumento 5. Ergo multo minus peccatum originis dicendum erit exquisitè peccatum.*

Tertio, *concupiscentiam in renatis reliquam peccatum esse, negant Papistæ. Atqui illa est peccatum originis, ut ex Apostolo docet Augustinus. Ergo in renatis saltem negant Papistæ peccatum originis esse vere peccatum.*

Quarto, *naturalia mansisse integra post lapsum, disputant Romanenses. Et quidam ex illis scribunt, posse hominem ex puris naturalibus Deum diligere super omnia*, vide Gabrielem Biel in 3. sent. dist. 17. *Scribunt etiam nonnulli, Philosophos salvari potuisse ex lumine naturæ.* Vide Andradium lib. 3. & 4. *Quod si ita est, quomodo stabit peccatum originis, quod est profundissima naturæ humanæ depravatio? Integritas enim naturæ, & ejusdem extrema pravitas sunt oppositæ? quarum hæc affirmata illa neganda est, & contra.*

Quinto, *Albertus Pighius, & Ambrosius Catharinus Pontificii, definiunt peccatum originis per inobedientiam primi hominis: reprehensi hoc nomine a Bellarmino lib. 5. de statu peccati cap. 16. ubi hæc sententia ipsis asscribitur: 1. Peccatum originis esse unum & idem in omnibus hominibus.*

2. *Hoc unum peccatum in primo homine reipsa fuisse, in cæteris per imputationem.* 3. *Nihil esse in parvulis reipsa inhærens, quod habeat veram peccati rationem. Quanquam autem hæc omnia hoc loco improbantur a Bellarmino, non tamen putabimus rem serio agi, sed tantum objicit ille glaucoma simplicioribus: id quod ex sequenti c. 17. ejusdem libri a prudentibus lectoribus judicari facile potest. Et in primis notandum, ipsam synodum Tridentinam non damnasse Pighii & Catharini de peccato originis opinionem, adeoque nec definisse, quid sit illud peccatum, & in quo consistat. Et ne plura mihi dicenda sint,* Bellarminus lib. 1. de amissione gratiæ & statu peccati, cap. 1. *ita definit peccatum in genere, ut ea definitio peccato originali non conveniat. Unde etiam diserte negat, ex peccato originali hominem dici posse peccantem. Ac proinde dicit, esse meram privationem. Et* in lib. 6. de statu peccati cap. 6. *parvulos non baptizatos, scribit, passuros esse mitissimum dolorem,* & cap. 1. *eos reprehendit, qui illos addicunt sempiterno igni. Alii vero Papistæ non dubitant infantibus sine baptismo decedentibus assignare naturalem quandam beatitudinem. Imo Ruardus Tapper Decanus Lovanienſis ex Capreolo affirmat, peccatum originis non nisi æquivoce peccatum dici: & negat, illud esse alicujus legis transgressionem: adeoque non concedit, Pighii & Catharini sententiam simpliciter esse erroneam. Plura qui desiderat, consulat examen*

Chemni-

Chemnitianum Concilii Tridentini parte prima de peccato originali.

Denique docent Iesuvitæ omnes, Mariam virginem, matrem Domini esse in peccatis conceptam & natam. Ita Bellarminus lib. 4. de amissione gratiæ, cap. 15. 16. & lib. 2. de monachis, cap. 39. pronunciat, singulari Dei privilegio, beatam virginem Mariam ab omni omnino peccato fuisse immunem. Vide etiam Concilium Basiliense Sess. 36. & Tridentinum Sess. 5. Contrarium tamen habet Cajetanus, & alii veteres (quod fatentur Suarez & Salmeron,) qui scripserunt ante Lombardum. *Quid? Annon etiam pro Maria passus & mortuus est Christus? Et quo fine baptizata fuit, si peccatum, a quo purgaretur, nullum habuit? Annon etiam Maria oravit cum Sanctis: Demitte nobis debita nostra? Vbi vero privilegium (uni Christo assignatum, Hebr. 7. v. 26.) extat, de quo ita audacter pronunciat Bellarminus: Vbi excipitur Maria a regula generali, Ioh. 3. v. 6. Rom. 3. v. 22. cap. 5. v. 14. &c. Nota est contentatio hac de re inter monachos, ordinis prædicatorum, & minorum seu Franciscanorum, circa annum Christi* 1370. *Legenda sanctorum narrant: Mariam non ex congressu connubiali, sed ex osculo Ioachimi, quod conjugi Annæ fixerat, conceptam esse. Varias Scholasticorum opiniones vide in locis Theologicis D. Iohannis Gerhardi, fratris nostri honorandi & dilectissimi, part. 2. de peccato originali, pag. 645. & seqq.*

VII.

VII.
Doctrina Zvvinglii, Calvini, & sociorum de peccato originis.

Peccatũ originis est vere peccatũ.

1. *Peccatum originis vere & proprie esse peccatum diserte negat* Zvvinglius, *in Epistola ad Vrbanum Regium: & proinde perperam exponit locum Pauli, Rom. 5. Et quanquam de errore illo admonitus in Colloquio Marpurgensi, Anno* 1529. *sententiam mutasse visus est,* (*vide articulum quartum illius Colloquii*) *rediit tamen ad ingenium; & in Confessione sua, quam Anno* 1530. *ad Carolum V. scripsit in Comitiis Augustanis, quæque recusa est Basileæ, curante Iohanne Iacobo Grynæo, Anno* 1590. *ita habet articulo 4. pag.* 233. Velimus, nolimus, *inquit*, admittere cogimur, peccatum originale, ut est in Filiis Adæ, non proprie peccatum esse, quomodo jam expositum est. Non enim est facinus contra legem: *Et pag.* 235, Nati scelus non habent, sed pœnam ac mulctam sceleris, puta conditionem, servitutem & ergastulum. Ita si scelus libet appellare, ideo quia pro scelere infligitur, non veto. *Hæc aliaque similia Zvvinglius.*

Concilia hæc cum scripturis, *Genes. 5. v. 3.* Adam genuit Filium secundum *suam* (corruptam & peccatricem) imaginem & similitudinem, *Psal. 51. v. 7.* Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, inquit David, seipsum accusans & arguens: ne quis putet, delictis parentum recensendis ipsum occupari, *Iob.*

Iob. 14. vers. 4. Quis potest dare mundum, de immundo conceptum semine? *Iob. 3. v. 6.* Quicquid de carne natum est, caro est, *Rom. 3. vers. 23.* Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, cap. 5. v. 12. In omnes homines mors pertransiit, quandoquidem omnes peccaverunt, *Ephes. 2. v. 3.* Eramus natura Filii iræ, sicut & cæteri.

Peccatum originale naturaliter per generationem propagatur.

II. *Peccatum originale naturaliter propagari a parentibus in liberos negat* Johannes Calvinus *in Commentario in Genes. cap. 3. ubi ex professo hoc argumentum tractat. Verba ipsius ita habent:* Neque opus est, *inquit*, confugere ad vetus illud quorundam figmentum, quod animæ ex traduce oriantur. Neque enim *naturaliter* ex Adæ progenie corruptionem traxerunt posteri: sed id potius ex Dei ordinatione pendet: qui sicut totam humani generis naturam in uno homine ornaverat præstantissimis dotibus; ita in eodem ipsam nudavit.

Non consonant ista vel scripturæ dictis modo allatis, vel Augustanæ Confessionis verbis, quæ affirmant post lapsum Adæ omnes homines *secundum naturam* propagatos, nasci cum peccato, &c. Quare nos hunc syllogismum Calvino opponimus: *Quicquid a parentibus propagatur in liberos in ipsa conceptione, & per eam, ut secundum eorum similitudinem atque imaginem liberi nascantur: id propagatur per naturalem generationem, ut patet. Atqui peccatum originis propagatur in liberos in conceptione, & per ea Psal. 51. v. 7. Iob. 14. v. 4. ut secundum*

parentum similitudinem atque imaginem, Gen. 5. v. 3. liberi nascantur, Iob. 3. v. 6. Ephes. 2. v. 3. Ergo peccatum originis propagatur per naturalem generationem, Rom. 5. v. 12.

III. *Cumque primaria peccati originalis sedes sit anima hominis, negant plerique omnes Calviniani (pauci enim quidam excipiendi sunt) animam, uti corpus, a parentibus propagari, contendentes immediate a Deo animam creari, & corpori jam in utero matris formato infundi: quæ Iesuvitarum etiam omnium sententia est.*

Totus homo, non solum corpus generatur.

Contra scriptura testatur, totum hominem generare totum hominem: juxta divinam illam benedictionem: *crescite sive fructum ferte, multiplicamini, Genes. 1. vers. 28.* Quæ verba tantum de corporum humanorum propagatione interpretari velle, absurdissimum est, sensu nimirum imperfectiore (nempe de una sola hominis parte, eaque ignobiliore) quam ubi de animalibus brutis eadem usurpantur, v. 22. Quare utrinque verba illa explicanda sunt, ut accommodentur ad conservationem speciei. Quam igitur naturale est, pisces generare pisces, aves aves, leones leones, &c. tam naturale est, ex divina ordinatione, & benedictione, homines generare homines, ad speciei illius propagationem & conservationem. Quo inprimis pertinet institutio divina matrimonii, ex quo tanquam seminario humanum genus fuit multiplicandum. Atque hæc causa est, cur Deus & Adamo ex limo terræ formato spiraculum vitæ inspirarit, *Gen. 2. v. 7.* Evæ non item: quia

quia nimirum ipsa formabatur ex costa humana, v. 21. hoc est, costa animata, sive anima humana prædita. Et quomodo parentes secundum Dei ordinationem in unam carnem conjuncti generantes, dici possunt generare homines, si prolificum ipsorum semen forma humanitatis, nempe anima humana simpliciter & plane sit destitutum? Ne recensenda mihi sint incommoda infinita, quæ ex opinione ista de immediata animarum creatione, consequuntur, de quibus alibi contra Matthiam Martinium fusius disputavimus. Nulla enim satis apta proferri ratio potest, cur deserta literali scripturæ interpretatione, dicendum sit, Adamum genuisse corpus Sethi, non ipsum Sethum, *Gen. 5. v. 3.* Cum ipsi etiam Philosophi fateantur, non materiam seorsum, neque formam seorsum, sed totum compositum generare.

IV. *Hoc igitur modo negata vera anima, & in ea peccati propagatione, ulterius errando progrediuntur Calviniani, & vehementer disputant, infantes Christianorum fidelium nasci sanctos.* *Qua de re ita* Calvinus *lib. 4. institut. cap. 15. sect. ult.* Hinc sequitur, *inquit*, non ideo baptizari fidelium liberos, ut Filii Dei tunc primum fiant, qui ante alieni fuerint ab Ecclesia. *Sect. 20.* Infantes nostros antequam nascantur, se adoptare in suos pronunciat Deus, cum se nobis in Deum fore promittit, seminique nostro post nos. *Cap. 16. sect. 24.* Isaacum (*& alios fidelium parentum liberos*) ait hæreditario jure, secundum promissionis

Peccator generat peccatorem; sanctus autem non generat sanctum.

nis formulam, jam a matris utero in fœdere contineri. *Et paulo post:* Qui a Christianis originem ducunt infantes, ut in fœderis hæreditatem statim ac nati sunt a Deo excipiuntur, ita in baptismum sunt recipiendi. *Sic* Beza *in 2. Resp. ad Acta Colloqui Mompelg. pag. 102.* Sancti ex gratia gignunt ex eadem gratia sanctos, vi fœderis per fidem apprehensi. *Ibidem*: Hæc est illa parentum fides sic aliena, ut electis eorum infantibus nascentibus facta sit sua, ad fœderis in baptismo obsignationem alioqui non admittendis. *Item*: Nec enim piorum infantibus primus ad salutem aditus est baptismus, sed ipsa ex piis parentibus propagatio, p. 103. Ex quo fit, ut Christi membra nascantur. *Et paucis interjectis.* Illa certe specie renovationis non indigent, unde inadultis certamen illud inter carnem & Spiritum exoritur, *p.* 118. Sanctos eos nasci pronunciat, *p.* 126. Æternæ vitæ jus, *inquit*, ex fœderis formula acquisitum illis, ex piis parentibus nascendo, fuisse affirmo, *pag.* 130. Ex carnali, *inquit*, generatione non sequitur, sanctos ac proinde in fœdere comprehensos non nasci sanctorum liberos: tantum abest, ut ex piis nasci nihil faciat ad regni cœlorum consecutionem. *Ibidem:* Patres credentes liberis suis jus Christianæ civitatis sua fide acquirunt. *Denique* Zwinglius *in Confessione sua, pag. 235. edit. Basil. Anno* 1590. *non de solis Christianorum, sed de* gentium *quoque pueris affirmat, eos in Christo esse vitæ restitutos, ut temere damnentur, vel, quemadmodum pag.* 236. *loquitur, ut impie ac*

pra-

præsumptuose facere judicandi sint, qui eos diris devovent.

Quæ opinio quam prope absit ab errore Anabaptistarum, cordatis Christianis æstimandum relinquo.

Conferamus nunc sensum Calvinianum cum Augustanæ Confessionis sententia ex scripturis extructa.

I. Affirmat hæc: Omnes homines post lapsum nasci cum peccato: *Calviniani* affirmant, quosdam homines nasci sanctos.

II. Negat hæc, sanctitatem liberorum pendere a generatione parentum. *Calviniani* affirmant, æternæ vitæ jus acquiri liberis nascendo ex piis parentibus.

Vbi si quæras, sintne omnes piorum liberi sancti, an tantum aliqui? *Zvvinglius* universaliter respondet in Confessione, pag. 239. Quotquot sunt Christianorum infantes, *inquit*, de Ecclesia populi Dei sunt, ejusque Ecclesiæ partes & membra. Sed *Calvinus* & *Beza* particulariter affirmant, ut innuant, de solis absoluto (quod ipsi fingunt, ut infra suo loco videbimus) decreto electis sua verba intelligi debere: ut hæc sit mens & sententia: Quicunque absolute electi sunt ad vitam æternam, illi omnes & soli nascuntur sancti, & in fœdere Dei sunt comprehensi: ad reliquos neque Dei gratia, neque Christus, neque Evangelium quicquam pertinet, simpliciter ad gehennam destinatos.

III. Li-

III. Liberos *fide parentum* sanctos esse *Calvinianus* dicit: Augustana Confessio ex Propheta docet: Justum *sua* fide vivere. *Habac. 2. v. 4. Rom. 1. v. 17.*

IV. *Calvinista* asserit, parentes sanctos ex gratia, gignere sanctos ex eadem gratia. A. C. demonstrat ex *D. Iohanne cap. 1. v. 13.* sanctos non nasci ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, „ neque ex voluntate viri, sed ex Deo. Nimirum „ quia parentes generant, non qua sunt sancti, sed „ qua sunt homines. Generatio, inquam, non „ opus est divinæ gratiæ (nisi solos fideles dicere velimus generare liberos,) sed opus naturæ humanæ. Quæ cum corrupta sit, caro est, quicquid ex carne nascitur, *Iob. 3. v. 6.* & omnes sumus natura (nascendo) Filii iræ, *Eph. 2. v. 3.* adeo, ut nisi regignamur ex aqua & Spiritu, non possimus ingredi in regnum cœlorum, *Iob. 3. v. 5.* Vnde recte Tertullianus in Apologetico cap. 17. *Fiunt*, inquit, *non nascuntur, Christiani.*

V. Fidelium liberos a matris utero contineri in fœdere Dei docent *Calvinistæ*. A. C. ostendit contrarium, qui non renascuntur per baptismum & „ Spiritum sanctum, damnari. Etenim Abraha- „ mo data fuit de fœdere illo promissio non abso- „ lute, sed cum ordinatione mediorum divinitus in- „ stitutorum: adeo ut ipse Dominus dixerit, *Genes.* „ *17. v. 14. Masculus, cujus præputii caro circumcisa* „ *non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia* „ *pactum meum irritum fecit.* Et nos jure postulamus rationem nobis reddi, quonam modo & medio

medio infantes in utero materno recipiantur in fœdus Dei, cum sint in peccatis concepti, ac proinde a Deo alieni, *Esa. 59. v. 2.* Itemque cur dicantur in baptismo *regenerari* & *renovari* per Spiritum sanctum, si jam ante nascendo sint sancti, & a matris utero in fœdere contineantur. Sed de hoc argumento plura dicenda erunt articulo 9. de baptismo.

V. Rationi humanæ nimium tribuunt *Zwinglii* & *Calviniani* in negotio religionis: ita ut Zwinglius dixerit in Colloquio Marpurgensi, Deum non proponere nobis credendas res incomprehensibiles, & in cœlo locaverit Herculem, Numam Pompilium, & similes, de quo infra plenius dicetur, articulo 4. & 9. & 18. *Sadeel* rationis judicium adhibet in demonstanda veritate naturæ humanæ Christi, sic, ut contra ejusdem communicatam gloriam & majestatem divinam ex eodem pugnet. *M. Goclenius* Philosopho-Theologus Marpurgensis putat, facilius ad Christianam fidem converti Philosophum, quam idiotam: & a ratione fidem salvificam stabiliri affirmat, part. 1. Miscell. in præfixis commonefactionibus. *Keckermannus* ulterius etiam progreditur, ita scribens lib. 1. Systemat. Theolog. cap. 4. pag. 58. *Deus lucem Spiritus sancti sui per duas illas plane divinas disciplinas, Metaphysicam & Logicam, in mentibus hominum vult accendere.* Et lib. præcognit. Philos. c. 4. p. 80. *Quia per Philosophiam*, inquit, *exoritur illustris naturæ & virtutis cognitio: sequitur etiam per eandem in nobis excitari pietatem,*

tem, cultum, & honorem, & invocationem. Nec enim (ut alibi ex Cicerone loquitur, p. 28.) *pietas erga Deum, nec quanta huic gratia debeatur, sine contemplatione naturæ constare potest.* De quo exitioso errore plura videbimus infra articulo 18. de libero arbitrio. Hactenus igitur articulus secundus de peccato originis: quod vel aperte negant Zvvingliani, vel per consequentiam inficiantur Calviniani, vel nimirum extenuant Sacramentarii. Consentire igitur hic cum Augustana Confessione dici non possunt.

VIII.

Doctrina Photinianorum de peccato originis.

Catechesis Photiniana Ecclesiarum Polonicarum Latine edita Racoviæ, Anno 1609. & magnæ Britanniæ Regi Iacobo inscripta, de peccato originis ita docet, cap. 10. de prophetico Jesu Christi munere, pag. 249. Peccatum originis, *inquit*, nullum prorsus est, nec e scriptura id doceri potest. Et lapsus Adæ cum unus actus fuerit, vim eam, quæ depravare ipsam naturam Adami, multo minus vero posterorum ipsius posset, habere non potuit: Ipsi vero id in pœnam irrogatum fuisse, nec scriptura docet, & Deum illum, qui omnis æquitatis fons est, incredibile prorsus est, id facere voluisse. Eodem modo docet Ostorodus in Germanica institutione, edita Racoviæ, Anno 1614. c. 33. pag. 271. naturam primi hominis per peccatum non fuisse corruptam: quia unus actus non facit habi-

habitum. Sicut enim primus homo non corruptus peccare tamen potuit, ita etiam de nobis statuendum putat, tametsi nullum originis peccatum concedatur, graviter tamen peccare nos posse. Et pag. 280. Concludimus igitur, inquit, prorsus non esse peccatum originis. Quanquam autem concedat: in plerisque hominibus magnam esse ad peccandum proclivitatem, p. 281. cap. 36. tamen p. 377. negat esse eam in omnibus, & negat eam esse peccatum originis. Iohannes Sommerus in tract. de justific. fol. 40. & 43. peccatum originis vocat fabulam Monachorum, natam ex pravo intellectu Scripturæ, & excogitatam ad defendendam Pædobaptismi superstitionem.

Huic furori opponenda sunt luculentissima testimonia, Gen. 5. v. 3. Iob. 14. v. 4. Psal. 51. vers. 7. Ierem. 17. v. 9. Ioh. 3. v. 6. Rom. 5. v. 12. Ephes. 2. vers. 3. in quibus corrumpendis magno quidem, sed vano, studio occupantur hostes veritatis. Et Matth. 18. v. 11. Christus loquens de parvulis: Venit, inquit, filius hominis, ut salvet, quod perierat: ostendens etiam infantes per lapsum Adæ periisse, ut nisi per Christum salvari non possint. Postea addi debent dicta de peccatis actualibus, quæ ex venenata ista radice progerminant, Matth. 15. v. 19. Matth. 7. vers. 8. Gal. 5. vers. 19. Iac. 1. vers. 14. 15. Ier. 6. vers. 7. Hebr. 12. vers. 15. Tum etiam morbi, calamitates, & ipsa mors, etiam in infantibus, qui actualia peccata non habent, testantur de pravitate originali, Genes. 3. vers. 17. & seqq. Rom. 5. vers. 14. c. 6. vers. 23. 1. Cor. 15. v. 21. 22.

Ac proinde necessaria est regeneratio, Iob. 3. v. 5. Sine qua nemo ingredi potest in regnum cœlorum. Idem denique testantur fines & effectus circumcisionis in veteri, & Baptismi in Novo Testamento, Genes. 17. Marc. 16. Eph. 1. Tit. 3. 1. Petr. 3.

ARTICVLVS III.

DE CHRISTO.

TRactatum fuit articulo primo de Deo creatore & conservatore rerum omnium, & inprimis etiam generis humani. In secundo de lapsu primorum parentum, nempe de peccato. Iam sequitur de instauratore & reparatore nostro Iesu Christo vero Deo & homine. Verba articuli ita habent:

Item docent (*nostræ Ecclesiæ*) quod Verbum, hoc est, Filius Dei assumpserit humanam naturam in utero beatæ Mariæ virginis, ut sint duæ naturæ, divina & humana in unitate personæ inseparabiliter conjunctæ, unus Christus, vere Deus, & vere homo, natus ex virgine Maria, vere passus, crucifixus, mortuus & sepultus, ut reconciliaret nobis patrem, & hostia esset non tantum pro culpa originis, sed etiam pro omni-

omnibus actualibus hominum peccatis. Idem descendit ad inferos, & vere resurrexit tertia die, deinde adscendit ad cœlos, ut sedeat ad dextram Patris, & perpetuo regnet & dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum, (misso in corda eorum Spiritu sancto, qui regat, consoletur, & vivificet eos) ac defendat adversus diabolum & vim peccati. Idem Christus palam est rediturus, ut judicet vivos & mortuos, &c. juxta symbolum Apostolorum.

I.

Excerptus est hic Articulus Confessionis Augustanæ ex 2. & 3. inter septendecim illos Confessionis doctrinæ & fidei Christianæ articulos D. Lutheri, ex quibus, supra diximus, Augustanam Confessionem magnam partem esse desumptam, qui extant Tom. V. Ienensi Germanico, f. 41. edit. Anno 1575. *his Verbis:* „Daß allein der Sohn GOttes sey warhafftiger Mensch worden / empfangen von dem heiligen Geiste / von der reinen Jungfrauen Maria geboren / mit Leib und Seel vollkommen / und nicht Vater oder heiliger Geist sey Mensch worden / wie die Ketzer Patripassiani gelehret haben. Auch der Sohn nicht allein den Leib ohne Seel angenommen / wie die Photiner

(Apollinaristen) geirret haben. Dann er selbst im Evangelio gar offt von seiner Seele redet/als da er spricht: Meine Seele ist betrübet biß in den Todt. Daß aber Gott der Sohn seye Mensch worden / stehet Joh. 1. klärlich also: Vnd das Wort ward Fleisch. Vnd Gal. 4. da die Zeit erfüllet war/ ꝛc.

Artic. 3. Daß derselbige Gottes Sohn/ warhafftiger Gott und Mensch/ Jesus Christus/ sey ein einige unzertrenliche Person/ für uns Menschen gelitten/ gecreutziget/ gestorben/ begraben/ am dritten Tage aufferstanden von den Todten/ auffgefahren gen Himmel/ Sitzend zur Rechten Gottes/ Herr über alle Creatur/ also/ daß man nicht glauben oder lehren kan oder soll/ daß Jesus Christus/ als der Mensch oder die Menschheit für uns gelitten habe/ sondern also/ weil GOtt und Mensch hie nicht zwo Personen/ sondern eine unzertrenliche Person ist/ soll man halten und lehren/ daß GOtt und Mensch/ oder GOttes Sohn warhafftig für uns gelitten hat/ wie S. Paulus Rom. 8. spricht. GOtt hat seines einigen (Sohns eigenen) Sohns nicht verschonet/ sondern für uns alle dahin gegeben. Vnd 1. Cor. 2. Hetten sie erkandt/ ꝛc. und dergleichen Sprüche mehr. *Hactenus D. Lutherus.*

II.

Caroli Cæsaris & Catholicorum (Romanensium) Principum ad tertium Articulum Responsio.

II. In

II. In tertio Articulo nihil est, quod offendat, cum tota confessio cum symbolo Apostolorum, & cum certa fidei regula conveniat: Filium Dei scilicet esse incarnatum, humanam naturam assumpsisse in unitate personæ, natum ex Maria virgine, vere passum, crucifixum, mortuum, descendisse ad inferos, resurrexisse tertia die, & ascendisse ad cœlos, sedereque ad dextram Patris.

Apologia Augustanæ Confessionis.

Tertium articulum probant adversarii, inquit, in quo confitemur duas in Christo naturas, videlicet humanam naturam assumptam a Verbo in unitatem personæ suæ: Et quod idem Christus passus sit ac mortuus, ut reconciliaret nobis Patrem, & resuscitatus ut regnet, justificet, & sanctificet credentes, &c. juxta symbolum Apostolorum & symbolum Nicenum.

Aliorum Papistarum Judicium.

Iohannes a Daventria *sic scribit: Hunc similiter articulum a Catholica Ecclesia mutuati sunt, qui & impolluti est.*

Iohannes Cochleus: *De hoc articulo, inquit, neque in Confessione, neque in Apologia, ulla est discordia inter nos & illos: Utinam & cæteri tales essent, ut nulla discussione opus foret:* Hactenus ille.

Contrarium vero sentiunt Andreas Fabricius

Leodius, & Iohannes Hoffmeisterus: *qui multa desiderant in D. Luthero, & P. Melanchthone, & inprimis accusant Zvvinglium, Oecolampadium, Bucerum, & Bullingerum. Vnde liquet, consensum Papistarum circa hunc articulum non esse intellegendum simpliciter & absolute, sed certa limitatione & determinatione: nempe consentiunt in eo, Christum esse unum, esse vere Deum, & vere hominem, esse naturas illas duas, divinam τὸ λόγ & humanam, personaliter unitas, Christum esse natum ex Maria virgine, passum, &c.*

In explicatione autem speciali officii Christi aperte a nobis dissentiunt, ut patet ex doctrina de justificatione.

Deinde diligenter observandum est illud, tempore exhibitæ Augustanæ Confessionis non fuisse a Papistis publice impugnatam D. Lutheri sententiam de communicatione idiomatum reali, & majestate Christi hominis: quam postea Iesuitæ, Calvinistarum exemplum secuti, allatrarunt, & in hunc usque diem hostiliter oppugnant, & sic negantes veram & realem tum naturarum, tum proprietatum communicationem personalem, reipsa demonstrant, verissimum esse, quod D. Lutherus Tom. VII. Ienensi, libro de Conciliis, de Thomistis, hoc est, Thomæ Aquinatis discipulis & sectatoribus, imo omnibus Papistis scripserat, plurimos inter eos latitare Nestorianos.

In eo etiam Iesuitæ aperte dissentiunt ab Augustana Confessione, quando Stancari errorem (quem verbo rejiciunt) secuti docent, Christum esse

esse mediatorem tantum secundum humanam naturam. Vide Bellarminum de Christo, lib. 5. c. 3. & seqq.

III.

Summa sive Argumentum Articuli tertii.

Docet Articulus iste tertius de Jesu Christo' vero Deo & vero homine, unico humani generis redemptore: cujus & persona describitur, & officium: quibus duabus partibus doctrina hæc tota comprehendi recte potest.

Porro nulla hic additur ἀντίθεσις, sive contrariæ doctrinæ condemnatio. Cujus ratio duplex assignari potest. *Prior* est, quia Romanenses eo tempore non contradicebant, sed potius publice approbabant hanc protestantium de Christo confessionem, quæ tota desumpta est ex Apostolorum symbolo, & luculentis nititur divinæ scripturæ testimoniis. *Posterior* est, quia Papistæ illius temporis nullius hæreseos in doctrina hac de Christo reos agebant Lutheranos, cujus suspicionem amoliri debuissent. Nondum enim constabat de Jesuvitarum sive Lojolitarum, quorum ne nomen quidem sive umbra tum extabat, a communi sententia Papistarum, circa hoc doctrinæ caput in multis partibus, defectione, quæ multis annis post secuta est. Vnde Theologi protestantes in articulis Smalcaldicis Anno 1537. primam partem his verbis concludunt: *De his articulis*, inquiunt, (nempe de Deo uno & trino, &

de Filii Dei incarnatione) *nulla est inter nos & adversarios* (Papistas. Non enim hic de Zvvinglio quicquam agitur, cujus ἀλλοίωσιν jam pridem D. Lutherus, tanquam larvam diaboli, damnaverat) *controversia, cum illos utrinque confiteamur: quamobrem non est necesse, ut pluribus jam de illis agamus.* Et *Bucerus* in libro de vera Ecclesiarum reconciliatione: De mysterio Trinitatis, inquit, de incarnatione Verbi, de duabus in Christo naturis, de unitate personæ, nihil motum est inter Pontificios & protestantes Theologos. Hæc ille.

IV.

EXEGESIS.

Quis est Christus?

I. Jesus Christus est verus ille proprius & unigenitus æterni Patris Filius, assumpta vera & perfecta humanitate in personæ suæ unitatem ex Maria virgine, verus homo natus, unicus redemptor humani generis.

II. Membra descriptionis duo sunt: *prius* de una Christi persona: *posterius* de ejusdem officio.

In *persona* Christi primo considerandæ veniunt duæ *naturæ*, divina τῦ λόγυ æterna, & humana in temporis plenitudine assumpta: deinde earum *unitio hypostatica:* quam consequitur *communicatio idiomatum.*

Officium Christi triplex est: *Propheticum, sacerdotale,* & *regium,* in quo explicando duplex Christi status considerandus occurrit, prior *exinanitionis,* posterior *exaltationis.*

De

De nomine Jesu Christi.

III. *Iesus* nomen habet in Lingua Hebraica a *salvando*: quia salvabit populum suum a peccatis suis, *Matth.* 1. *v.* 21. Unde *salvator* verissime dicitur. Cujus typi fuerunt Josua filius ille Nun, qui introduxit populum Israeliticum in terram Canaan, *Ios.* 1. *& seqq. cap.* & Iosua Sacerdos ille magnus, *Zach.* 3.

Christus in Græca Lingua dicitur παρὰ τὸ χρίω, ab *ungendo*, & respondet Hebræo Messias: quod nomen in V. T. tribuebatur regibus & sacerdotibus (typis Christi) qui oleo ungebantur, *Exod.* 29. *vers.* 7. 1. *Sam.* 16. *vers.* 13. *&c.* quoniam *Christus unctus* est Spiritu sancto sine mensura, *Ioh.* 1. *vers.* 33. *c.* 3. *v.* 34. ultra consortes suos: *Psal.* 45. *v.* 8. nimirum juxta naturam humanam: *Actor.* 10. *v.* 38. id quod ex divinis scripturis tota orthodoxa vetustas constanter docet, ut ne Beza quidem negare voluerit, cujus sunt hæc verba in parte 2. Respons. ad Colloq. Mompelg. p. 107. *Christi nomine*, inquit, *& unguens divinitas, & unctа humanitas intelligitur.*

Christus est verus Deus, & verus homo, nempe θεάνθρωπος.

IV. Nihil est in Ecclesia decantatius, quam vocare in Christo unionem duarum naturarum, nempe divinæ τῦ λόγυ, & assumptæ humanæ.

V. Vera autem & æterna Iesu Christi (cum Patre & Spiritu sancto communis) *Deitas* ita demon-

ſtratur: *Qui in ſcripturis* 1. *expreſſe & abſolute vocatur Iehovah & Deus.* 2. *& inſignitur attributis & epithetis omnibus ſoli vero Deo propriis.* 3. *Et opera mere divina, propria virtute, & voluntate libera, ad ſuam gloriam, efficit.* 4. *Exiſtens verus, proprius, unigenitus, æternus æterni Patris per æternam generationem Filius.* 5. *Et ejus ſubſtantialis imago.* 6. *Cum quo habet communem Spiritum ſanctum a ſe procedentem.* 7. *Eſtque cum Patre & Spiritu ſancto eſſentialiter unum.* 8. *Vnde & divino cultu, ſoli Deo debito, afficitur, & gloria.* 9. *Et nulla eſſe poteſt ſalus absque illo, tanquam ſalutis auctore: is vere & proprie, adeoque natura Deus eſt. Ieſus Chriſtus eſt ejusmodi. E. Ieſus Chriſtus eſt vere & proprie, adeoque natura Deus.*

Aſſumptionis ſingula membra confirmo: I. *Chriſtus in Scripturis expreſſe & abſolute vocatur Iehovah & Deus. Confer Pſalm. 45. v. 8. & Heb. 1. v. 8. * Eſa. 9. v. 6. Ioh. 3. v. 16. Ioh. 1. v. 1, 14. * Eſa. 35. v. 4. 5. cap. 43. verſ. 11. 12. Matth. 11. v. 28. cap. 45. v. 30. c. 4. 23. * Eſa. 40. v. 3. Matth. 3. verſ. 3. Luc. 3. v. 4. Ioh. 1. verſ. 23. * Eſa. 45. v. 15. 21. 22. 23. 24. Rom. 14. v. 12. Phil. 2. v. 10. * Eſa. 45. v. 17. 24. 25. Oſe. 1. verſ. 7. Zach. 2. v. 5. 10. Matth. 1. v. 21. Act. 4. v. 12. * Eſa. 6. v. 1. 9. 10. Ioh. 12. v. 39. 40. 41. * Num. 14. v. 1. 11. 22. 29. c. 21. v. 5. 1. Cor. 10. v. 9. * Hierem. 25. v. 6. 1. Cor. 1. v. 30. Ioh. 20. v. 28. Rom. 10. v. 5. 1. Iohan. 5. v. 20. & c.*

II. *Chriſtus inſignitur attributis & epithetis omnibus, ſoli vero Deo propriis.* Eſt enim *æternus*, *Prov.*

Prov.8.v.22. Ioh.1.v.1. 1.Ioh.1.v.2. Mich.5.v.2. Ioh.8. v.58. Apoc.1.v.17. Esa.9.v.6. Hebr.9.v.14. Vita æterna, & Sapientia æterna Patris, Ioh.14.v.6. 1.Ioh.5. v.20. Prov.8.v.12. 1.Cor.1.v.30. æternus Deus, qui creavit omnia *Esa. 40.v.28. Ioh.1.v.3. Hebr.1.v.2. Col.1.v.17. Immutabilis* tam in sua natura, quam decretis, promissionibus, dictis & factis, *Hebr.1.v. 11.12. ex Psalm.102.v.26. Hebr.13.v.8. Matth.28.v. 35. Immensus Ioh.1.v.18.c.3.v.13.c.14.v.23. Matth.18. v.20. cap.28.v.20. Apoc.1.v.13. Omnipotens, Matth. 11.v.27. cap.28.v.18. Ioh.3.v.35. cap.16.v.15. Phil.3.v. 21. Apoc.1.v.8. Ioh.5.v.18.19. Omniscius & sapiens, Ioh.2.v.25. cap.16.v.30.c.21.v.17.c.10.v.15. Apoc.2.v. 23. Coloss.2.v.3. Altissimus & supra omnia, Luc.1. v.76. Psalm.97.v.9. Hebr.1.v.6. Rom.9.v.5. Bonus, misericors, verax, justus, castus, &c.* teste universa Scriptura. Vide etiam *Ioh.16.v.15. Ioh.17.v.10. 1.Cor.2.v.8. Apoc.17.v.14.c.19.v.16.*

III. *Christus opera mere divina, propria virtute, & voluntate libera ad suam gloriam, efficit, Ioh. 5. v.9.* quæ distinguuntur in has quatuor classes. I. Creationem & conservationem rerum omnium. II. Effectionem miraculorum. III. Prædictionem futurorum. IV. Collectionem & gubernationem Ecclesiæ. Quæ omnia tribuuntur Christo. De *opere creationis, vide Ioh.1. Col.1. Hebr. 1. Genes.1. Psalm.33. Prov.8. Miracula* Christi, quæ propria auctoritate & virtute, & libera voluntate, ad suam gloriam, fecit, multa passim describuntur apud Prophetas, Evangelistas & Apostolos, ita quidem, ut Evangelica historia testetur, Chri-

Christum miracula edendi facultatem suis etiam discipulis concessisse, ad veritatem Evangelii apud homines magis magisque confirmandam : qvi proinde miracula edituri invocare solebant Christi nomen, illique adscribere, quæ a se essent egregie perpetrata, *Matth.10.v.1. Act.3. v.26. Iob.2.v.11.* Christum *futura prædixisse* ex infinita sua scientia & sapientia, probatur *Matth.24. Iob.2.v.18.19. Luc. 22.v.34. Iob.14.v.29. cap.2. vers.ult. Apoc.2.v.23.* Quin etiam Prophetis *vaticinia* sua dictavit Spiritus Christi, *1.Petr.1.v.11. Opera in Ecclesia* varia sunt, Electio ad salutem, redemptio, vocatio, institutio Sacramentorum, illuminatio, regeneratio, vivificatio, justificatio, piorum admiranda defensio, consolatio, precum exauditio, glorificatio, quæ omnia tribuuntur Christo. In ipso enim sumus *Electi, Ephes.1.* Dilexit nos, *Gal.2.v.20. Eph.5. v.26. Mittit Evangelistas & Apostolos, Matth.10. c.23.v.34. Iob.20.v.21. Ephes.* 4. Et per eosdem nos *vocat, Matth.28. Marc.26. Instituit etiam Sacramenta*, Baptismum & Cœnam Dominicam, *Matt. 28.& 26. Marc.16.& 14. Luc.22. 1.Cor.11. Illuminat* nos, *Matth.11.v.27. Luc.24.v.45. regenerat* per verbum suum & Sacramenta, *vivificat, peccata remittit, justificat, Iob.3.5.6.11. Actor.3.4.10. 15. Rom.3.4.8. 1.Cor.16.* & alibi passim, *defendit pios, Matth.28.v.ult. Iob.20.v.27. Actor.23.v.11. 2.Tim.4.v.17. Exaudit preces, Iob.14.v.13. c.16. v.23. 2.Cor.12.v.8. Act.7.v.59. Glorificat, Iob.5.v. 21. c.6.v.44. c.10.v.26. Phil.3.v.20.21.*

IV. *Chri-*

IV. *Christus exiſtit verus, proprius, unigenitus, æternus æterni Patris per æternam generationem Filius.* Filii nomen paſſim extat, ſicuti & Patris. Vocatur autem Chriſtus *Filius Dei proprius, Rom. 8. v. 32. & unigenitus, Ioh. 1. v. 18. c. 3. v. 16. 18. Rom. 1. v. 3. 4. 1. Ioh. 4. v. 9.* *Æternus* eſſe concluditur ex *Pſalm. 2, v. 7.* Filius meus es tu, ego *hodie* genui te, *Hebr. 1. verſ. 5.* Quod *hodie* notat æternum νῦν, ipſamque immutabilem æternitatem. Nec obſtat locus, *Actor. 13. v. 33.* ubi dictum illud ratione *declarationis* accommodatur ad reſurrectionem Chriſti. Nam teſte Apoſtolo, *Rom. 1. verſ. 4. ex reſurrectione* (ut & miraculis) *declaratus eſt Chriſtus Filius Dei.* Propria enim virtute vincere mortem, & reſurgere nulla valet creatura, ſed ſolus Deus, *Michæ 5. v. 2.* vocatur *Pater æternitatis*, cujus æternitatis argumenta deſumuntur ex *Prov. 8. v. 23. Ioh. 1. v. 1. c. 8. v. 58. Hebr. 9. v. 14. 1. Ioh. 1. verſ. 1. Apoc. 1. v. 8. 17. cap. 2. v. 8. cap. 22. v. 13. Hebr. 13. verſ. 8.* Jeſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſecula. Quæ eſt deſcriptio æternitatis, ex omnium temporum perfectione. Referri etiam huc debent dicta, quibus Chriſtus dicitur *primogenitus ante omnes creaturas. Coloſſ. 1. verſ. 15. Hebr. 1. verſ. 6.* Quæ vox non eſt ordinis, quaſi plures ſint geniti, ex quibus ipſe ſit primus, (ſic enim non eſſet unigenitus,) ſed deſumpta eſt appellatio ex deſcriptione legali dignitatis primogenituræ, *Geneſ. 49. v. 3.* Item, quod Chriſtus dicitur *vita æterna*, *1. Ioh. 5. verſ. 20.*

Porro

Porro si filius est æternus, patet jam, æterni Patris esse filium. Non autem Filius est adoptivus, vel nuncupativus, vel ex honoris tantum dignitatis, & potentiæ communicatione, vel gratiosa inhabitatione Dei: sed *Filius* est & dicitur *per generationem*, quæ in Deo æterno non potest non esse æterna. Argumenta itaque huc referuntur ea, quæ mentionem faciunt generationis, ut *Ps.2.v.7. Prov.8.v.24.25.* & egressus ab æterno, *Mich.5.v.2.* & quæ appellant Filium unigenitum, & primogenitum. Nec obstant dicta, quæ loquuntur de generatione spirituali, qua per Verbum & Sacramenta generantur Filii Dei; & quibus dicitur Israel primogenitus Dei, &c. Manifestum enim est discrimen in ipsa Scriptura expressum, inter *æternam generationem* Filii Dei ex Patre, & inter generationem *spiritualem* Filiorum Dei *per gratiam*. Illa quam maxime proprie dicitur, hæc modificate, & per quandam similitudinem. *Vide Damasc. lib.1. de Orth. fide c.9.* ubi sic scribit: Et hoc scire oportet nomen paternitatis, filialitatis & processionis, non esse ex nobis ad beatam illam divinitatem translatum, sed contra (ut ait Apostolus: scilicet *Eph.3.v.15.*) inde nobis traductum. *Athanasius Epist. ad Serapionem, p.357.edit.Commel.* Pater proprie est Pater: & Filius proprie est Filius,

V. *Christus est Patris substantialis imago: Col.1. v.15. Hebr.1.v.3.* unde qui Christum videt, nempe Filium, videt & Patrem, *Ioh.14.v.9. 2.Cor.4.v.4.* & quæ Pater operatur, ὁμοίως similiter (non quod ope-

operum sit similitudo, sed quod utriusque par sit facultas, parque majestas, inquit Gregorius Nazianzenus lib.4. Theol.circa medium) & Filius operatur, *Ioh.5.v.19.* Vide etiam *Sap.7.v.25.26. Athanas. Orat. 2. contr. Arianos, Hilarium, l. 2. de Trinit.* Quæ *imago*, ut Scholastici loquuntur, dicit relationem producti ad producentem, & fundatur in divina essentia non absolute, sed quatenus eam Filius per æternam generationem a Patre accipit. *Hoc est, imago spectatur in communicatione essentiæ sive naturæ divinæ, per æternam generationem.* Unde fit, ut quæcunque ὁμοδοξίας prædicantur de Patre, eandem de Filio etiam prædicari possint: ita tamen, ut semper intelligatur Filius per æternam generationem ea a Patre accepisse.

VI. *Christus habet cum Patre communem Spiritum sanctum a se procedentem, Ioh.15.v.26.* Unde dicitur Spiritus ex Deo, hoc est, ex Dei substantia, *1.Cor.2.v.12.* & Spiritus, quem dat Pater, *Ioh.14.v.16.* quem mittit Filius a Patre, *Ioh.15.v.26. Spiritus Filii, Gal.4.v.6. Spiritus Christi, Rom.8.v.10.* qui accipit sua a Christo, *Ioh.16.v.14.* Spiritus Elohim, *Genes.2.v.2.* Spiritus, Christi, & labiorum ejus, & oris ejus, *Esa.11.v.4. 2.Thess.2.v.8, quo ungit & obsignat fideles, Ioh.15.v.26. cap.16.v.7. cap.20.v.22. Vide Augustinum tract. 99. in Ioh. Vnde Lombardus lib.1.dist.29.s.d.* Spiritus sanctus, inquit, non aliter procedit a Patre, quam a Filio. Hinc sane intelligi potest, Patrem & Filium *eadem relatione, vel notione* principium dici Spiritus sancti.

VII. *Chri.-*

VII. *Christus est cum Patre & Spiritu sancto essentialiter unum, nempe secundum Deitatem, Iob. 10. v. 30.* Ego, inquit Christus, & Pater *unum* sumus. Quod non tantum de concordia & consensu, sed etiam inprimis de essentia intelligendum est, 1. *Iob. 5. v. 7.* quia una est tribus illis personis ex æquo communis divina essentia: unde eadem illis attributa, & operationes, & effecta ἀσυγχύτως tribuuntur, servato tamen ordine & discrimine personarum: quod ex scripturis est evidens.

VIII. *Christus divino cultu soli Deo debito afficitur, & gloria. Christus enim timore jubemur, 2. Cor. 10. v. 9. 22. & in eum credere, Iob. 14. v. 1. & sperare, 1. Tim. 1. v. 1. Rom. 15. v. 12. eumque adorare, Psal. 2. v. 12. Rom. 14. v. 11. Hebr. 1. v. 6. Phil. 2. v. 9. Apoc. 5. v. 13. in nomen ejus baptizamur, Matth. 28. v. 29. Act. 10. v. 48. c. 19. v. 4. per ipsum juramus, Rom. 9. v. 1. eique gratia in omnibus agere debemus, 1. Tim. 1. v. 12. Apoc. 5. v. 13. Rom. 9. v. 5.*

IX. *Christus est ille ipse, sine quo, tanquam salutis auctore, nulla potest esse salus. Act. 4. v. 12. cap. 10. v. 45. c. 15. v. 14. Esa. 45. v. 22.* & passim alibi.

Conclusio igitur invicta stat & solida: *Iesus Christus est vere & proprie, adeoque natura Deus.* Damnamus igitur omnes & singulos quacunque ratione veram Christi Deitatem negantes & impugnantes.

VI. Ejusdem *humanitas* sequenti Syllogismo confirmatur: *Cuicunque vere & proprie tribuitur, 1. nomen sive appellatio hominis. 2. & definitio. 3. & essentiales partes, anima rationalis & cor-*

corpus. 4. & propria παθη. 5. & operationes. 6. & effecta: Is est vere homo. Atqui Iesu Christo illa omnia vere & proprie tribuuntur in Scripturis. Ergo Christus est vere homo.

Assumptionis membra ordine confirmo, I. *Iesus Christus diserte, vere & proprie appellatur homo: Luc. 23. vers. 47. 1. Timoth. 2. vers. 5. Caro, Ioh. 1. v. 14. Filius hominis, Dan. 7. vers. 13. Matth. 8. v. 20. cap. 16. v. 13. Actor. 7. vers. 56. Hebr. 2. v. 6. ex Psalm. 8. v. 5. Apoc. 1. vers. 13. Semen mulieris, Gen. 3. v. 15. Semen Abrahæ, Hebr. 2. vers. 16. Filius Abrahæ, Matth. 1. v. 1. Filius & fructus ventris Davidis, 2. Sam. 7. v. 12. Psalm. 89. v. 36. 37. Psalm. 132. vers. 11. Matth. 1. v. 1. Luc. 20. v. 21. Actor. 13. v. 23. Rom. 1. v. 9. 2. Tim. 2. v. 8. Leo de tribu Iuda, radix David. Apoc. 5. v. 5. Radix & genus David, Apoc. 12. v. 16. Ex partibus secundum carnem, Rom. 9. v. 5. Filius virginis Mariæ, & ex ea genitus, Esa. 7. v. 14. Matth. 1. v. 16. 20. 21. 23. 25. cap. 2. v. 11. 20. 21. cap. 12. v. 46. Luc. 1. vers. 31. cap. 2. v. 48. c. 8. v. 20. Ioh. 2. v. 3. cap. 19. v. 25. Actor. 1. v. 14. Gal. 4. v. 4.*

II. *Definitio hominis ei convenit.* Est enim animal rationale, constans vero humano corpore, & anima rationali, hoc est, intelligente & volente, ut jam latius probabitur in membro tertio.

III. *Tribuuntur illi essentiales hominis partes, anima rationalis & corpus.* De vivente & vegetante atque sentiente anima abunde testatur tota Christi historia. *Rationalem* vero *animam* (contra Apollinaristas) demonstrant dicta illa clarissima, *Matth. 20. v. 28. cap. 26. v. 38. cap. 27. v. 50.*

Luc.23.v.46. Iob.10.v.15.17.18. cap.12. v.27. Actor.2. v.27. 1.Iob.3.v.16. Hinc Christo tribuitur *scientia, intelligentia, sapientia, voluntas, electio, &c. Esa. 7.v.15.c.9.v.6.c.11.v.2. Luc.2.v.ult. Iob.13.v.28. cap.5. v.21.* Vnde etiam alios docet, revelans mysterium Evangelii, *Iob.1.v.18. Matth.5.6.7. &c.* De *corpore humano* passim extant testimonia, *Matth.26.v.26. cap.27.v.58. Marc.14. v.8.22. cap.15. vers.43. Luc. 22. vers.19.c.23. v.52. cap.24. vers.3.23. Iob.2.v.22. cap.19. vers.38. cap.20. v.12. 1.Cor.11. v.24. Coloss.1. vers.22. 1. Petr. 2. vers.24. De carne* testatur ipse Christus, *Luc.24.v.39. Iob.6.v.51. Rom.1.vers.3.cap.9.v.5. Col. 1.v.22. 1.Petr.4.v.1. De Ossibus. Luc.24.v.39. Iob. 19.v.33.36. Eph.5.v.30. De sanguine, Matth.26.v.28. Iohann.6. v.54. cap.19. v.34. Actor.20. v.28. Rom.3. v.25. cap.5.v.9. 1.Iob. 1.v.7. Hebr.2.v.14.c.9.v.12.14. cap.10.v.19.30. &c.* Sic mentio fit *manuum* Christi, *pedum, oculorum, oris, Lingua, &c. Vide Apoc.1. v.14.15.16.*

IV. *Christo tribuuntur propria πάθη hominis, tum quæ toti homini, hoc est, composito conveniunt, tum quæ singulis partibus, hoc est, animæ & corpori distincte*: contra ἀΦθαρτοδοκητάς. Hinc dicitur *profecisse* sapientia & ætate, *Luc.2. v. ult. Grandior fuit* in ætate virili quam puerili. Contristatus est & lachrymatus, & turbatus anima, *Matth.26. v.38. Luc.19. v.41.* Affectus ipsius varii (sine peccato) passim describuntur, sitivit, esurivit, defatigatus est, ambulavit de loco in locum. Summa: *Quæcunque de vera anima humana*

mana & de vero corpore humano, & de toto homine per se & essentialiter praedicantur: dici de Christo vere possunt & debent. Dico *per se* & *essentialiter*, ut removeam infirmitates, quas sponte quidem Christus ad tempus assumpsit, ut pati & mori posset, nunc autem deposuit in statu gloriæ: item, ut excipiam peccatum, quod in Christo nullum fuit, *Esa.53. vers.19. 1.Petr.2.vers. 22. Hebr.7. vers.26.* Est igitur Christus ὁμοούσιος nobis secundum carnem: & hinc discipulos suos vocat *fratres, Ioh.20.vers.17. Hebr.2.v.12. ex Psal. 22.v.23. &c.* Quare habet Christus proprietates humanæ naturæ essentiales, easque retinet in æternum. Accidentales (excepto semper peccato) habuit in statu exinanitionis, quas deposuit in statu gloriæ, factus Dominus super omnia in cœlo & in terra.

V. & VI. *Christo tribuuntur operationes humanæ & effecta*, tum in anima, tum in corpore, tum in toto composito. Nam in statu exinanitionis intelligit, vult, eligit, loquitur, docet, edit, bibit, abit, adit, fatigatur, quiescit, patitur, moritur. In statu gloriæ actu intelligit, actu vult, loquitur, conversatur in cœlis beatis angelis & hominibus, rediturus visibiliter ad Iudicium, &c.

Firma igitur stat conclusio: *Iesus Christus est vere homo.*

Christus persona una est.

VII. Etsi in Christo naturæ duæ sunt, essen-

tialiter distinctæ, Deitas τῆ λόγῳ, & humanitas (unde verissima semper est hæc propositio: Deitas non est humanitas, humanitas non Deitas) tamen inde non nascitur dualitas personarum, ut alia persona sit Deus, & alia homo: sed una est eademque persona, Deus simul & homo. Quemadmodum in SS. Trinitate tres sunt quidem realiter distinctæ personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & tamen una est & indivisa Deitas: quæ ut est ex æquo communis tribus illis personis, simplicissime una permanens: Ita in Christo persona una est, in qua & Deitas ipsius ab æterno, & humanitas a primo momento assumptionis subsistit. Hinc Christus vocatur *unus 1. Corinth. 8, vers. 6. 1. Timoth. 2. v. 5. 2. Cor. 5. vers. 15. 2. Cor. 11. v. 2. Rom. 5. v. 17. Matth. 23. vers. 8.* & in ipso naturarum *unitio* sive *unio*, nimirum personalis: quam Athanasius in Symbolo dicit esse assumptionem humanitatis in Deum, nempe λόγον. Nos ita describimus: *Unio hypostatica est vera & integræ humanitatis ex substantia Mariæ virginis matris in ipsam personam filii Dei assumptio: ut sit una persona composita θεάνθρωπος, absque naturarum confusione.*

VIII. In qua unione mutua est personalis duarum illarum naturarum περιχώρησις sive immeatio, ut ὁ λόγος in carne hac sua, non extra eam, & hæc assumpta caro in λόγῳ, non extra ipsum subsistat. Id quod est ex insigni illo dicto Apostolico perspicuum, *Coloss. 2. vers. 9. in Chri-*

Christo habitat tota plenitudo Deitatis corporaliter, hoc est, tanquam in proprio corpore sive templo.

IX. Exprimitur illa unio *propositionibus personalibus*, exquisite ita dictis, quæ unionem personalem describunt, & pro ejus ratione & modo sunt intelligendæ & explicandæ. Has ita definio: *personales propositiones* (stricte acceptæ, uti dixi:) *sunt, in quibus concretum unius naturæ prædicatur de concreto alterius naturæ.* Ut ὁ λόγος factus est caro, *id est, homo.* Filius hominis est Filius Dei. Deus est homo. Homo est Deus. Alii sic efferunt, quod *natura una prædicatur de altera, nempe in concreto.* Nam in abstracto non dicitur: Deitas est humanitas: vel humanitas est Deitas: ut paulo ante monui. Sic autem pie & recte loquimur: Filius Dei assumsit naturam humanam: Humanitas est assumpta in Deum &c.

X. Vsurpantur & hæ propositiones: Christus est verus Deus; *contra Arianos:* Christus est verus homo, *contra Valentinianos, & alios hæreticos similes.* Quæ sunt descriptiones totius personæ ab hac, vel illa, natura: vel etiam ab utraque, ut si dicas: Christus est Deus simul & homo. Fluunt illæ quidem ex unione personali, sed possunt tamen ab istis commode & utiliter discerni, ut ipsa earum definitio perspicue ostendit.

De Communione idiomatum.

XI. Vocari solet in scholis Theologicis *communi-*

municatio idiomatum : quæ non est figmentum Scholasticorum, ut nonnulli eam traducunt, sed habet ea doctrina insignem usum in diversi generis dictis scripturæ recte interpretandis. Definitur ea, *ex unione hypostatica orta* (realis & personalis) *participatio propriorum divinæ & humanæ naturæ, in Christo θεάνθρώπῳ facta, ab alterutra vel utraque natura simul denominata.*

Cujus tria sive genera, sive modi, sive gradus vulgo constituuntur. Quam totam doctrinam, alias nonnihil intricatam & difficilem, ut breviter & perspicue proponam, ordinabo & describam tres classes, ad quas omnia scripturæ testimonia de communicatione idiomatum recte possunt referri.

XII. *Prima classis* continet dicta, in quibus *propria naturarum prædicantur de Christo* (sive a natura divina, sive humana, sive utraque denominato) *divina quidem propter Deitatem, humana autem propter humanitatem.* Ac proinde hic talis est communicatio, in qua simul propria vendicantur suis naturis: prædicantur autem de tota persona, quia in ipsa utraque natura subsistit. Nam naturæ duæ unitæ sunt, non nudæ „ sive exutæ suis proprietatibus, sed integræ, sine „ defectu. Quare cum de Deo prædicetur homo: de eodem etiam prædicantur attributa humana: Et cum de hoc homine, Mariæ Filio, prædicetur Deus, de eodem etiam prædicantur attributa divina. Sic vere dico: Deus est conceptus, natus, pas-

passus, mortuus: nempe in sua carne. Hic homo est creator cœli & terræ, est æternus, est infinitus, nempe in sua natura divina. *Quam enim propria est Christo sua Deitas ab æterno per æternam a Patre generationem, tam eidem est personaliter propria sua caro a momento assumptionis, propter unionem personalem.* Ac proinde dicuntur de Christo & divina propter Deitatem, & humana propter humanitatem.

Neque locum hic invenire potest vel Nestoris παράσασις, vel Zwinglii ἀλλοίωσις, vel nuda nominum, quam quidam somniant, permutatio, vel Calviniana synecdoche, vel quæcunque alia veritatis cœlestis depravatio. Immotum enim hoc perstat fundamentum: *Quam vere Deus est homo, tam vere de Deo prædicatur, quicquid humanum est.* Et vicissim: *Quam vere hic homo est Deus, seu Filius Dei, tam vere de hoc homine prædicatur quicquid divinum, & Filio Dei proprium est.* Et ut clarissime rem exponam: *Quicquid est per naturam proprium Filio Dei, hoc omne per & propter unionem personalem prædicatur de Filio Mariæ: Et vicissim, quicquid est per naturam humanam proprium Filio Marie, hoc omne per & propter unionem personalem prædicatur de Filio Dei.* Quæ prædicatio tam vera, tamque realis est, quam ipsa unio personalis est vera & realis.

Hinc igitur sine ulla difficultate, adversus quasvis hæreticorum strophas, explicari possunt dicta scripturæ de Domino gloriæ crucifixo, *1. Cor. 2. v. 8.* de authore vitæ interfecto, *Actor. 3. vers. 15.*

de Deo, suo proprio sanguine acquirente Ecclesiam, *Actor. 20. v. 28*, itemque de Christo tentato a Judæis in deserto, *1. Cor. 10. v. 9.* de Filio Mariæ existente antequam esset Abraham, *Iohan. 8. v. 58.* de Filio hominis existente in cœlo, cum loqueretur Nicodemo in terris, *Ioh. 3. v. 13.* aliaque similia.

Quanquam autem Nestorius discrimen facere voluit, inter has propositiones: *Christus* est passus & mortuus: & *Deus* est passus & mortuus: quarum illam affirmabat veram esse, hanc negabat: res ipsa tamen ostendit crassam ipsius insciitiam & ruditatem, putantis aliam personam esse Christum (quem passum esse concedebat) aliam personam esse Deum seu Filium Dei (quem passum esse negabat) cum sit persona una eademque, quæ Christus appellatur ab utraque natura simul; Deus autem sive Filius Dei a natura divina tantum. Vbi (quod diligenter noto) certissimum est, & nullo veritatis fundamento negari potest, per Deum sive Filium Dei non intelligi Deum simplicem, nudum, sive ἄσαρκον (de quo passio & mors vere dici non potest, cum sit in natura sua divina ἀπαθὴς) sed Deum incarnatum sive θεάνθρωπον, de quo vere passio & mors prædicatur propter naturam humanam, sicut superiora testimonia luculente demonstrant.

XIII. *Secunda classis* complectitur dicta scripturæ, in quibus *divina majestas, gloria & potentia assignatur Christo secundum naturam humanam* (non tanquam ipsius naturalis pro-

proprietas, sed) *per & propter unionem hypostaticam.*

Vbi notandum, in antecedente seu subjecto propositionis non tantum poni nomen personæ, sed interdum etiam nomen naturæ humanæ, sive carnis, sive sanguinis. Quod ipsum tamen nomen non notat naturam humanam solam, sive separatam, vel seorsum subsistentem (extra enim τὸν λόγον eam non esse, supra annotavimus) sed significat humanitatem Christi, qua, sive quatenus, & in quantum illa subsistit in persona τῦ λόγυ, & considerantur in ea non attributa naturalia humana, (quæ tamen semper retinet) sed dona divina, quæ ex gratia unionis illi collata sunt. Huc pertinet regula piæ antiquitatis, Arianis, Eunomianis, & aliis similibus hæreticis opposita: *Quæcunque scriptura dicit in tempore data esse Christo, illa de Christo intelligenda sunt, non secundum Deitatem, sed secundum assumptam humanitatem.*

Est & illud hic observandum, in hac classe locum non habere reciprocationem, qualis in prima fuit. Cujus rei hæc ratio est, quia humanitas perfici & exaltari potest, divinitas deprimi non potest. Et assumentis est dare, inquiunt veteres, non assumpti. Et assumpti provectio est, non assumentis, ὁ λόγος enim in seipsum assumpsit carnem, non ipse assumptus est a carne.

Ad hanc igitur classem pertinent universa scripturæ dicta, quæ ostendunt, quid naturæ humanæ collatum sit per & propter unionem hypo-

ſtaticam, nimirum quod acceperit poteſtatem omnis carnis, poteſtatem omnem in cœlo & in terra, virtutem vivificandi, poteſtatem remittendi peccata, & faciendi iudicium, quod ſit exaltata ad dextram majeſtatis & potentiæ divinæ, & quæ ſunt alia ſimilia, *Ioh. 17. Matth. 28. Ioh. 5. Matth. 9. Iohann. 5. Eph. 1. & 4. Hebr. 1. 1. Cor. 15. &c.* Vulgo hanc vocare ſolent communicationem majeſtatis, & exaltationem.

XIV. *Ad tertiam claſſem* referuntur dicta, *quæ explicant officium Chriſti, in quo utraque natura agit, quod ſibi proprium eſt, cum communicatione alterius.* Vbi notandum, in officii deſcriptione interdum involvi ſimul aliquam proprietatem naturæ humanæ, quæ diligenter evolvenda eſt, ne confuſio ſequatur naturarum. Exempli gratia: Livore ejus (Meſſiæ) ſanati ſumus, *Eſa. 53. v. 5.* juſtificati in ſanguine ejus, ſalvi erimus ab ira per ipſum, *Rom. 5. v. 9.* Deus ſanguine ſuo redemit Eccleſiam, *Act. 20. v. 22.* Redempti eſtis pretioſo ſanguine, *1. Pet. 1. v. 18.* Chriſtus per mortem deſtruxit eum, qui habebat mortis imperium, *Heb. 2. v. 14. &c.* Sanare, juſtificare, redimere Eccleſiam, deſtruere regnum Diaboli, eſt officium Chriſti ſecundum utramque naturam: At non tamen dicimus, Chriſtum eſſe paſſum, & mortuum, ſecundum utramque naturam, ſed, cum ſcriptura, Chriſtum eſſe paſſum & mortuum carne, ſive ſecundum carnem.

XV. Triplex autem Chriſti officium eſſe ſupra diximus. *Propheticum*, quo nobis revelavit Dei volun-

voluntatem de nostra salute. *Sacerdotale*, quo medium sese inter Deum & homines peccatores ponens, Deum toti generi humano reconciliavit: satisfaciendo divinæ legi, & apud Deum intercedendo. Cujus duæ hæ sunt partes: 1. *Satisfactio*, qua Christus θεάνθρωπος Deo persolvit pretium sufficiens pro peccatis totius generis humani, eidemque justitiam & vitam æternam acquisivit: Quæ satisfactio spectatur in tota Christi obedientia, quam Deo præstitit, totam divinam legem perfecte & plene observando, & pœnas peccatis nostris debitas perpetiendo. Et *intercessio*, qua Christus sacerdos pro nobis interpellat apud Deum, per meritum & satisfactionem suam. Orat autem Christus tum *generatim* pro omnibus hominibus, adeoque etiam pro hostibus suis, & se crucifigentibus, *Esa.* 53. *v. ult. Luc.* 23. *v.* 34. tum *speciatim* pro solis fidelibus, *Iohann.* 17. *v.* 9. *Rom.* 8. *v.* 34. 1. *Ioh.* 2. *v.* 1. 2.

Regium Christi officium est, quo ipse θεάνθρωπος substantialiter præsens gubernat omnia in cœlo & in terra, & inprimis Ecclesiam.

XVI. *Regnum Christi* consideratur vel in hac vita, vel in altera.

In hac vita dicitur regnum potentiæ, vel gratiæ.

Potentia regnum est generale dominium super omnia: nempe gubernatio cœli & terræ, *Dan.* 7. *Psal.* 8. *Matth.* 28. *Eph.* 1. subjectio omnium creaturarum, *Psal.* 8. 1. *Cor.* 15. *Eph.* 1. *Heb.* 1. dominatio in medio inimicorum, quos cohibet, reprimit, punit, evertit, *Psal.* 2. 10. 1. *Cor.* 15.

Gratia

Gratiæ regnum est specialis operatio misericordiæ & bonitatis in Ecclesia: nempe missio, illuminatio & confirmatio Apostolorum, Evangelistarum, pastorum & doctorum, *Marc. 16. Luc. 24. Actor. 1. Eph. 4.* Collectio Ecclesiæ per prædicationem Evangelii, & dispensationem sacramentorum, *Matth. 28. Marc. 16. Act. 1.* regeneratio, sanctificatio, vivificatio credentium baptismo, & sacra cœna. *Ioh. 3. 6. 17. Eph. 5. Tit. 3. 1. Cor. 10. 11.* Protectio & conservatio, *Matth. 28. Apoc. 12. Act. 23.* effusio variorum donorum, *Matth. 16. Act. 2. 3. Rom. 12. 1. Cor. 12. Eph. 4.*

In altera vita dicitur *regnum justitiæ & gloriæ.* Quod conspicietur in excitatione mortuorum, & universali judicio tum impiorum ad damnationem, *Matth. 25.* tum piorum ad æternam beatitudinem, *Matth. 25. Iohan. 5. 6. 1. Thess. 4.* & in traditione regni Deo Patri, *1. Cor. 15.* Et tunc erit Deus omnia in omnibus, ibidem.

Totum hoc regnum Christo tribuitur *secundum utramque naturam.* Vt Deus enim habet illud ab æterno cum Patre & Spiritu sancto commune: ut homo autem accepit in tempore. Id quod Augustana Confessio significare voluit, quando dicit: Christum adscendisse in cœlos, *ut sedeat* ad dextram Dei, & perpetuo regnet, & dominetur omnibus creaturis.

Pudendus enim error est, putare, Christum in sua humanitate cœlum adscendisse, ut divinitati regnum acquireretur.

XVII. Superest, ut de duobus Christi statibus paucis

paucis dicamus. Quorum prior vocatur κένωσις evacuatio, *exinanitio*, *Phil. 2. v. 7.* quæ est, definiente ibi Apostolo, *Iesu Christi θεανθρώπου, v. 5. in forma servili, v. 7. humilis obedientia sive subjectio, ad mortem usque crucis, v. 8.* Ad quam pertinet tota historia Evangelica a nativitate usque ad sepulturam inclusive: quod nimirum natus est in paupertate, jacuit in præsepi, fugit in Ægyptum, varia passus per totam vitam, famem, sitim, persecutiones, contumelias, ac tandem falso accusatus, damnatus, flagellatus, crucifixus, mortuus & sepultus.

Quanquam autem multa miraculose fecit Christus in statu illo exinanitionis, quando nimirum divinæ gloriæ, & vocationis ipsius, & salutis hominum ratio postulabat, ut veram suam divinitatem demonstraret: fuere tamen isti tantum particulares quidam, ut ita loquar, radii divinæ potentiæ: cujus plenarius usus tandem secutus fuit, postquam in cœlum evectus ad dextram Dei consedit, rex & dominus dominans constitutus cœli & terræ,

Quæ de *descensu Christi ad inferos* in scripturis dicuntur, simplici fide credimus, rejectis curiosis quæstionibus, quæ non tam ædificare, quam turbare pias mentes solent.

XVIII. Posterior status dicitur *exaltatio*, quæ est *solennis*, ut ita dicam, *inthronisatio atque inauguratio Christi ex mortuis resuscitati ad perfectam & plenam cœlestis imperii usurpationem, & gubernationem cœli & terræ, & inprimis Ecclesiæ.*

Hanc

» Hanc Augustana Confessio sic describit: Exalta-
» tio est Christi pro nobis passi & crucifixi, & tertio
» die resuscitati evectio per adscensionem ad cœlos,
» ut sedeat ad dextram Patris, & perpetuo regnet &
» dominetur omnibus creaturis, sanctificet creden-
» tes in ipsum, (misso in corda ipsorum Spiritu san-
» cto, qui regat, consoletur, ac vivificet eos,) ac de-
» fendat adversus diabolum, & vim peccati.

Vbi insigne argumentum illud diligenter notandum, quod divinos illos effectus, A.C. assignat adscensioni in cœlos. Inde enim liquet, eos humanitati tribuendos esse. Constat enim, ipsum in cœlos adscendisse secundum humanitatem. Quod autem Deitatem attinet, habet ille ab æterno divinam gloriam & potentiam, *Ioban. 17. v. 6.* ut opus non sit, in tempore illi dari. Ac proinde Christus exaltatus ad dextram Patris, gubernat omnia divina potentia, Deitatis propria & humanitati communicata. Et axioma tritum est: *nomina officii competere Christo non secundum alterutram naturam seorsum, sed secundum utramque simul.* Quare patet, Christum Ecclesiæ suæ adesse etiam secundum humanitatem. Cujus præsentiæ evidens argumentum in sacra cœna est, ubi expressa mentio habetur, tum corporis, tum sanguinis Christi. Ex hoc igitur fundamento, promissiones Christi de præsentia gratiosa, non de sola sive separata Deitate, verum etiam eidem personaliter unita humanitate Christi interpretari convenit. Confer. *Apoc. 1. v. 13.*

XIX. Quæ de reditu Christi ad judicium attexun-

texuntur, simplicem intellectum habent, ut ipsa litera sonat. Sicut enim visibiliter (*Actor. 1. v. 11.*) in cœlum Christus adscendit (quo visibili modo jam nobiscum non conversatur) ita etiam visibiliter ad judicium est reversurus. Quem reditum propterea scriptura vocat ἀποκάλυψιν, revelationem, *2. Thess. 1. v. 7. 1. Petr. 1. v. 7. & c. 4. v. 13.* & ἐπιφάνειαν, illustrationem vel manifestationem, *2. Thess. 2. v. 8. Tit. 2. v. 13.*

Vnde colligere licet, quam sit jejuna & puerilis argumentatio, ex visibili adscensu in cœlum, & ex illo reditu, negare velle divinam Christi præsentiam, vel potentiæ vel gratiæ: cum & adscensus & reditus intelligendus sit pro ratione exaltationis. Perinde ac si quis dicere vellet: Christus exaltatus ad cœlestem gloriam & majestatem: Ergo non potest adesse præsens in terris, & inprimis in Ecclesia. Scriptura certe semper, absque ulla exceptione, adscensum Christi in cœlum accommodet ipsius gloriæ, & potentiæ, & divinos effectus ex eo deducit, *Marc. 16. v. 19. 20. Act. 2. v. 33. 36. c. 3. v. 15. 16. Ephes. 1. v. 20. 21. c. 4. v. 10. 11. &c.* Igitur Spiritui sancto contradicunt, qui inde volunt inferre infirmitatem atque impotentiam. *Hactenus de vera sententia & interpretatione articuli tertii Aug. Confessionis.*

V.

Doctrina Papistarum de Christo.

I. Supra ostendimus, ante exhibitam Augustanam

nam Confessionem Pontificios in Doctrina D. Lutheri de Christo nihil reprehendisse, adeoque etiam hunc tertium Articulum Augustanæ Confessionis approbasse. Quam longe autem ab hac doctrina recedant novi illi Monachi Lojolitæ, qui Iesuitarum sibi nomen imposuere, paucis verbis dici non potest. Quos Nestorii errorem tueri, certum est, quicquid prætextant. Nam unionis personalis definitionem proponunt ejusmodi: ut formæ loco habeant naturæ humanæ in Filio Dei sustentationem.

Quem Thomisticum errorem solide refutavit jam olim D. Lutherus. Et res ipsa ostendit, actum primum personalem nequaquam definiri debere per actum secundum sustentationis: quæ sustentatio & de aliis creaturis vere prædicatur, Act. 17. v. 28. Hebr. 1. v. 3. & est actio communis toti Trinitati. Vnio autem hypostatica facta est in sola persona filii Dei, in qua humana ipsius natura subsistit, non in persona patris aut Spiritus sancti. Verbum enim factum est caro, Ioh. 1. v. 14. non Pater aut Spiritus sanctus.

II. Negant igitur, Christum secundum humanitatem (per & proter unionem personalem) esse Deum; Gregorius de Valentia in defensione disputationis contra fundamentum Vbiquitatis, pag. 42. &c. *Contræ: Filius hominis est Filius Dei vivi, Matth. 16. v. 16. Domine mi, inquit Thomas ad Christum a mortuis redivivum, & Deus mi, Ioh. 20. v. 28. Confer Actor. 2. v. 9. &c.* Quas propositiones personales supra ostendimus sic esse resol-

resolvendas, ut in antecedente concretum naturæ unius, in consequente concretum naturæ alterius ponatur. A quo immoto fundamento quæcunque analysis discedit, erronea est. Verissime igitur dicimus, filium Mariæ esse filium Dei, nempe per unionem hypostaticam: quia nimirum humana natura est assumpta in filium Dei, & in ipso subsistit. Non recte autem & vere dicitur filius Dei ὁ λόγος, esse Deus, per & propter unionem hypostaticam: quia ὁ λόγος est Deus per æternam a patre generationem, etiam ante factam incarnationem. Quæ vel una observatio quasvis falsas analyses perspicue refellit.

III. Hinc etiam explodunt & impugnant realem idiomatum communicationem, eamq; variis modis exagitant, Busæus, Valentianus, Bellarminus, &c.

Negata autem naturarum & idiomatum communicatione, tanquam necessario consequente, negatur ipsa unio, ut immediatum antecedens. Quare patres Ephesini contra Nestorium ita concludebant: Quisquis negat, carnem Christi esse vivificatricem, solvit unionem. Illud facit Nestorius. Ergo & hoc facere censetur. Idem plane contra Iesuvitas & Calvinistas judicium.

IV. *De sessione ad dextram Dei patris* inconstanter loquuntur & ambigue, negantes Christo, ut homini, datam esse omnipotentiam. Vnde quidam ex Scholasticis humanitati Christi non attribuunt λατρείαν, hoc est, cultum soli Deo proprium, sed ὑπερδουλείαν, ut loquuntur, hoc est,

cultum inferiorem. Et ne quid desit impietati, disserit Bellarminus, apud antiquos, sedere a dextris fuisse minus honorificum, quam sedere a sinistris, Lib. 3. de Christo, c. 15.

Scriptura vero divina sessionem Christi ad dextram patris sic describit, quod sit actio altissimi patris Psal. 8. vers. 6. 7. Phil. 2. v. 9. Iob. 17. v. 5. qua Deus pater filium suum, Iesum Christum, Act. 2. v. 36. Actor. 5. v. 31. Hebr. 1. v. 3. nostrum regem & summum sacerdotem, Luc. 1. v. 33. Matth. 25. v. 34. Hebr. 8. v. 1. facta nostrorum peccatorum purgatione. Hebr. 1. vers. 3. Ephes. 1. vers. 20. ex servili statu, Matth. 20. v. 28. Luc. 22. v. 27. Phil. 2. vers. 8. in thronum suæ gloriæ. Matth. 16. v. 7. Heb. 1. v. 3. cap. 8. v. 1. ad dextram suam collocavit. Ps. 110. *v. 1. Actor. 2. v. 38. Eph. 1. vers. 20. & dato ipsi æterno regno, & omni potestate in cœlo & in terra. Dan. 7. v. 14. Matth. 28. vers. 18. Iohan. 14. v. 5. Hebr. 1. vers. 8. facit ipsum dominum ubique regnantem, Psalm.* 110. *v. 2. Act. 2. v. 36. Marc. 16. v. ult. 1. Cor. 15. v. 15. super angelos, Eph. 1. v. 21. Hebr. 1. v. 6. 13. 1. Petr. 3. v. 22. Hebr. 2. v. 8. Apoc. 5. v. 13. homines, & omnes creaturas, Psal. 8. v. 7. 8. 9. 1. Cor. 15. v. 27. Ephes. 1. v. 22. Hebr. 2. v. 8. Quæ descriptio luculenta* Φλυαρίας *Iesuiticas (& Calvinianas) facile elidit: Quam plenius explicatam & demonstratam Vide in nervosissimo scripto reverendi compatris nostri & fratris dilectissimi Dn. M. Iohannis Schröderi, Ecclesiastæ Norimbergensis, cui titulum fecit:* Thronus regalis Christi.

V De

V. De officio Christi periculosissimi errant 1. negantes (cum Francisco Stancaro; quicquid excipiant) Christum esse mediatorem nostrum secundum utramque naturam. Vnde postea multa sequuntur gravissima absurda apud Scholasticos. Confer Lombardum lib. 3. Sentent. cap. 19. & Bellarmin. lib. 5. de Christo c. 2. & seqq. 2. Tum eidem alios mediatores adjungunt, quos vocant mediatores per intercessionem: Eccius in Enchiridio, Bellarminus, libr. de Sanctorum beatitudine cap. 20. Costerus de venerat: Sanct. & plerique alii. 3. Et ex Thoma concedunt quidem Christum esse universalem salutis nostræ causam, sed ne totalem, nec integram: disputantes, alios etiam particulares accedere oportere. Vide Miletum in lib. discussionem. 4. Et quanquam negant Iesuvitæ, docere Pontificios, quod Christus pro originali tantum peccato satisfecerit: non obscure tamen illud ex variis argumentis colligi potest. Et quid volunt sibi verba ista Valentiniani, lib. 2. de missa, cap. 2. scribentis, Christum semel tantum se obtulisse in cruce pro peccato originali, quia non sæpius ab eodem homine admittatur, & semel abolitum nunquam redeat. Sæpius autem se offerre, nimirum non tantum in cruce, sed etiam quotidie in altari, pro peccatis actualibus, quia sæpius ab uno & eodem committantur? Sic Tapperus in articulo de satisfactione, pag. 241. Satisfactio illa, inquit, per sufficientiam (ita appellat satisfactionem

Christi, eamque distinguit a satisfactione secundum efficientiam) non meretur nomen satisfactionis, nec redemptio, nec reconciliatio per sufficientiam merentur hæc nomina. Et notæ sunt satisfactiones pœnitentibus imponi solitæ. Vt nihil nunc dicam de meritis, quæ dicunt necessaria ad beatitudinem comparandam: de quibus vide Valentianum disputat. 1. tom. IV. quæst. 12. de Christi officiis, pag. 407. & Bellarminum lib. 4. de pœnitentia. cap. 8. Costerum in Enchiridio, cap. 7. Catechesin Romanam, parte Secunda, p. 242. Ita Alphonsus Salmero tom. 7. tract. 40. p. 208. scribit, opera & merita nostra confidentiam in nobis operari: ita ut in illis, tanquam Dei donis, liceat secundario confidere, &c. 4. Et quid illud sibi vult, quod primam Evangelii promissionem, Gen. 3 v. 15. accommodant ad Mariam: *Ipsa*, inquiunt, conteret caput serpentis? 5. Denique ex Christo novum legislatorem faciunt. Concil. Trident. Sess. 6. Can. 21. Soto assertion: Catech. de Evangelio, &c.

I. Mediatorem Christum esse Deum & hominem, ex scripturis est evidens, quæ testantur, ideo filium Dei factum esse hominem, ut opera diaboli destrueret, & tolleret peccata humani generis, æternamque nobis justitiam adduceret, 1. Iob. 3. v. 8. Iob. 1. v. 29. Hebr. 2. v. 14. Dan. 9. v. 24. quæ ἀποτελέσματα soli naturæ humanæ adscribi non possunt. At proinde dicitur ipse Deus suo sanguine Ecclesiam acquisivisse, Act. 20. v. 28. ipse author Vitæ interfectus, Act. 3. v. 15. Dominus gloriæ cruci-

crucifixus, 1. Cor. 2. v. 8. Ipsius filii Dei sanguis nos emundat a peccatis, 1. Ioh. 1. v. 7. Reconciliati sumus Deo per mortem filii ipsius, Rom. 5. v. 10. &c. Eleganter Augustinus libro de ovibus, cap. 12. Divinitas sine humanitate non est mediatrix: humanitas sine divinitate non est mediatrix: sed inter divinitatem solam, & humanitatem solam, mediatrix est humana divinitas, & divina humanitas Christi: Hinc appellatio veterum, opera mediatoris vocantium θεανδρικὰ, det virilia: quid, ut habet Canon Chalcedonensis. in officio utraque natura agit, quod sibi proprium est, cum communicatione alterius. Sola enim deitas mori non poterat, neque sola humanitas mortem vincere. Vt igitur mors posset esse pretium aequivalens, ipse Dei filius in assumpta carne mori pro nobis voluit. Sic ergo pii veteres sunt interpretandi, cum negant Christum, ut Deum, esse mediatorem, loqui de solo Deo, qui est ignis consumens, Deut. 4. v. 24. Est enim mediator filius Dei, quatenus factus est homo. Ideo dicit Apostolus, mediatorem Dei & hominum esse hominem Iesum Christum, 1. Tim. 2. vers. 5. nequaquam intelligens solam humanitatem, sed hunc hominem, qui etiam Deus est, hoc est, θεάνθρωπον. Neque fingendum est, Ecclesiam V. Testamenti, caruisse mediatore: extra quem nemo unquam Deo placere potuit. Nam & electio ad aeternam vitam in Christo facta est ab aeterno, Ephes. 1. Confer. 2. Tim. 1. vers. 9. 10.

II. Solus igitur Christus est noster mediator,

1. Tim. 2. vers. 5. cujus intercessio pro nobis apud Deum, cum nitatur ipsius merito, & satisfactione, perspicuum est, sine fundamento alios vocari mediatores per intercessionem. Gloriam enim hanc suam Christus alteri non dat: qui solus calcavit torcular, & de gentibus non fuit vir cum eo, Esa. 63, v. 3.

III. Vnde simul apparet, quanta sit impietas, negare, obedientiam Christi divinæ legi præstitam sancte vivendo, & innocenter moriendo, esse plenissimam satisfactionem. Contra tam luculenta testimonia, Ioh. 1. v. 29. agnus ille Dei tollit peccata mundi, 1. Ioh. 2. v. 2. Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi, 1. Tim. 2. v. 6. dedit semetipsum sufficiens pretium pro omnibus. 1. Ioh. 1. v. 7. Sanguis filii Dei emundat nos ab omnibus peccatis, Heb. 10. v. 14. una oblatione consummavit in sempiternum eos, qui sanctificantur, aliaque infinita. »Et recte nos concludimus, pro quibus peccatis ipsi »satisfacere homines jubentur, pro iis Christum non »satisfeciisse. Deus enim justissimus non requirit solutionem geminam. Dum igitur docent Papistæ, homines pro peccatis suis actualibus satisfacere oportere: consequens est, pro solo originali peccato Christum satisfeciisse. Calumnia igitur non est, sed veritas, quando hic error ipsis assignatur. Et est ejus erroris origo inde, quia dicunt, Christum esse mediatorem tantum secundum humanitatem.

IV. In hoc apparuit filius Dei, ut opera diaboli destrueret, inquit D. Iohannes, 1. Epist. 2. v. 8. De Maria

Maria igitur dici non debet, quod caput serpentis contriverit. Et elumbis est glossa, dicere Mariam serpentis caput contrivisse, quia peperit Christum, qui contriverit. Qua metonymia semel recepta, ex Maria tandem faciet deam, quia est Θεοτόκος, deipara. Atqui regium officium non matri tribuitur, quæ regem peperit, sed ipsi regi. Neque Mariam dicimus inter latrones crucifixam, sed ipsum Christum. Et solus Christus per mortem destruxit eum, qui mortis habebat imperium. Heb. 2. v. 14. quod proinde de Maria dici sine blasphemia, non potest. Recte autem affirmatur de omnibus in Christum credentibus, quod virtute Christi per fidem in ipsum vincant Satanam Rom. 16. v. 20. Fides enim est, quæ vicit mundum, 1. Ioh. 5. v. 4.

V. Christus non promulgavit legem novam: sed divinam legem implevit, Matth. 5. vers. 17. Et venit in mundum, non ut legislator, sed ut Salvator mundi, Matth. 1. v. 21. Luc. 2 vers. 11. Ioh. 3. v. 17. Gal. 4. v. 4. Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Christum facta, Iohan. 1. vers. 17.

VI.

Sententia Zvvinglii, Calvini & sociorum de Christo.

Naturæ divinæ veritas.

Immane quantum distant a Confessione illa Zvvingliani! I. Veritatem naturæ divinæ in Christo quomodo tandem tuebuntur, quando scribunt, Christum *tanquam personam* missam, esse *Patrem inferiorem* sive minorem, & Patrem eo

esse majorem, nimirum ratione officii, quia minor sit servus & legatus suo Domino, & major sit persona mittens & exaltans persona missa, humiliata, & exaltata? *Grynæus in disputat. de dicto Christi:* Pater major me est: *Habita Heidelbergæ, Anno* 1585. *Th.* 6. 4. 21. Vbi etiam Athanasii explicationem, ex distinctione naturarum in Symbolo, tanquam non suo tempore & loco dictam, suæ illi interpretationi postponit. *Sic Sohnius in Exeg. A. C. p.* 223. *Edit.* 98. Respectu missionis & officii hic ordo est inter Patrem & Filium, ut Pater sit persona mittens, Filius persona missa: atque adeo ut Filius Patri quasi *subordinetur*, & ut veluti *medium*, inter Deum & homines, *gradum obtineat*, &, ut Pater det Filio, Filius tanquam persona missa accipiat a Patre mandatum & ἐξουσίαν, id est, potestatem officii. *Vide etiam p.* 133. 137. Idem docent Bremenses & Anhaldini.

Exaltatio personæ secundum naturam humanã.

II. Idem diligenter perpendant, qui docent *personam* Christi incarnati, *non naturam humanam*, in tempore esse exaltatam, & accepisse omnem potestatem in cœlo & in terra: id quod facit Antonius Sadeel toto libro de veritate humanæ naturæ, quem alii quidam sequuntur.

Non secundum Deitatem.

III. Item, qui dicunt, Christo *secundum Deitatem* in tempore datam esse omnium potestatem in cœlo & in terra. *Vide infra memb.* 21. *De quibus inquit Leo, Epist.* 22. (aliis est 11.) Dicant hi adversarii veritatis, quando omnipotens Pater, vel secundum quam naturam Filium suum super

super universa provexerit, vel cui substantiæ cuncta subjecerit. Deitas enim Verbi par in omnibus & consubstantialis est Patri, &c. Huic, si addita potestas, si illustrata dignitas, si exaltata sublimitas: minor erat provehente, qui crevit, nec habebat divitias ejus naturæ, cujus indiguit largitate. Sed *talia sentientem in societatem suam Arius rapit*, cujus perversitate multum hæc suffragatur impietas, &c.

Neq; secundum utramq; naturam.

IV. Christum *secundum utramque naturam* exinanitum esse, & exaltatum asserit *Georg. Sobnius in Exeg. Augustanæ Confessionis pag. 246. 255.* Et *pag. 262. Resurrexit*, inquit, (nempe Christus) *secundum utramque naturam*, sciens & volens, &c. Cum paulo ante dixisset, gradus exaltationis esse tum in resurrectione a mortuis, tum in ascensione ad cœlos, &c.

Exinanitio secundum humanitatem.

V. *Idem pag.* 120. Christus, inquit, actu habuit gloriam æqualem cum Deo Patre, sed ad tempus ea se quasi abdicavit. Quod ipsum etiam scribunt *Sadeel*, & alii. *Beza, Deitas*, inquit, *sese* quodammodo *exinanivit Respons. ad Colloq. Mompelgart. part. 1. p. 96. 97.*

Christus, quare Dei filius? Quia ex Patre genitus Nempe ex substantia Patris.

VI. Christum dici *Filium Dei*, quia sit *conceptus a Sp. sancto*, scribunt *Zanchius de natura Dei, lib. 2. cap. 1. p. 63. col. 1. Et de tribus Elohim lib. 1. c. 5. p. 73. col. 2. Et lib. 2. c. 3. p. 40. col. 2. Sobnius in Exeg. p. 117.*

VII. Christum Dei filium esse ex Patris essentia, sive substantia genitum, (quod expresse affirmat symbolum Athanasii) *negat Franciscus Iunius adversus Gratianum, & Sobnius in Exeg. pag. 87.*

& 122. Et Keckermannus in Syst. Theol. p. 63. 64.

Divina natura filii unita naturæ humanæ.

VIII. *Non naturam divinam*, si proprie loqui velimus, sed personam Filii *incarnatam* esse scribit *Sohnius in Exeg. p. 1212. Danæus in examine libri Dn. Chemnit. p. 82.* Periculosa phrasis est, inquit: *Divina natura Filii*, seu quæ est in Filio, naturam nostram assumpsit. Et pag. 81. Reprehendendum esse ait, quod scribit (ex Damasceno & Cyrillo, Chemnitius) divinam naturam, quæ in *solus* Filii Dei persona est, assumpsisse humanam.

Persona Filii immensa.

IX. Quod Filius Dei omnia repleat, non habere id proprium a persona, sed ab essentia divina, *inquit Iohannes Piscier de Cœna Domini. lib. 2. p. 371.* Item immensitatem non *tam personæ, quam essentiæ* propriam esse. *Et p.* 372. Cum igitur, inquit, *non proprie quidem persona Filii, sed* ipsa Deitatis *natura atque essentia*, tribus personis communis, ubique diffundatur, nulloque sit neque loco neque tempore circumscripta: sane nihil est, quamobrem unio Verbi seu personæ Filii cum humanitate hanc in immensum extensionem humanitati tribuat. &c. *Idem plane volunt Sohnius in Exeg. A. C. & Pezelius contra D. Hunnium, & alii non pauci.*

Humanæ naturæ veritas.

X. Humanæ Christi naturæ veritatem quomodo tuebitur *Zanchius?* scribens Christum sua Deitate, qua ubiq; est, *corpus* sibi *novum* formasse, atq; sub illo in tertis Paulo apparuisse suo naturali corpore interim in cœlo relicto. *De natura Dei, lib. 2. c. 6. p.* 138. *col.* 2. *Edit. Heidelberg. An.* 72. Quam tamen sententiam postea ab aliis admonitus correxit.

XI.

XI. Vnionem duarum naturarum hypostaticam per παράσασιν Nestorianam definiunt. *Polanus in Logica*, ubi humanitatem vocat adjunctum τῷ λόγῳ, & *Danæus in Exam. Chemnit. pag.* 84. ubi sic scribit: In illa unione natura tantum ad personam jam existentem, & per se plane subsistentem fuit *adjuncta*. Neque possunt cordatis probari illa verba *Zanchii lib. 2. de tribus Elohim. cap.* 7. Tolerabilior, inquit, est aliorum responsio, qui admittunt, non λόγον tantum ante carnis assumptionem, sed etiam *ipsum carnem fuisse* ὑφισάμενον: sed tantam esse horum duorum in Christo conjunctionem, ut non amplius duo ὑφισάμενα, sed unum duntaxat sint ὑφισάμενον, unaque persona.

Vnio duarum naturarum personalis: non nuda παράσασις.

Nō duarum personarum unio.

XII. Alii describunt unionem *gestatione & sustentatione in λόγῳ. Martyr. in dialog. fol.* 10. Sufficit, *inquit*, Deitatem, quamvis immensam & infinitam, sua hypostasi fulcire ac sustentare humanitatem, ubicunque illa fuerit. *Sic etiam Sadeel, Pezelius, Beza, & alii multi.* Quem Calvinistarum errorem graviter refutavit *D. Lutherus in majore Confessione Tom. III. Ienens. & Tom. VII. de Conciliis, & alibi.*

Neque sola gestatio & sustentatio.

XIII. Fingit Sadeel periculose dici, humanitatem esse *assumptam in Deum*, in λόγον, cum tamen Athanasius in Symbolo unionem definiat assumptionem humanitatis εἰς Θεότητα, in ipsam Deitatem, nempe τῷ λόγῳ. Ita enim correctissima exemplaria Græca legunt, non εἰς Θεὸν, ut putat Beza, & alii, & ipse etiam Latino interpres Nanzius.

Sed assumptio humanitatis in Deum.

Vide

vide Edit. Commelinianam, Anno 1601.

Tota plenitudo divinitatis habitat in Christo corporaliter.

XIV. Hinc fit, ut *Beza*, *Zanchius*, *Pezelius*, *Sohnius*, aliique longe plurimi non dubitent affirmare, totum λόγον esse in carne, & *totum λόγον esse extra carnem*, sive naturam suam humanam. Vbi nonnulli distinguunt inter τὸν λόγον ratione *personæ* suæ & deinde ratione *essentiæ* divinæ. *Ita Sohnius in Exeg. A. C. p. 207.* Humana natura, inquit, tota in toto λόγῳ assumpta est, tota toti λόγῳ unita est, & tota in toto subsistit: atque ita neque ὁ λόγος est extra humanam naturam, neque humana natura est extra λόγον: quia una hypostasis est λόγου assumentis, & humanæ naturæ assumptæ. Hactenus rectissime. At postea: Sin de utriusque, hoc est, λόγου assumentis, & naturæ assumptæ, essentia & natura quæritur, inquit, *tum λόγος idem & totus est intra & extra corpus suum.* Nam divina essentia Filii Dei est simplicissima & infinita, &c.

Nota.

Quid? num igitur divina persona Filii Dei non est infinita? Num inter personam Filii Dei & humanitatem est personalis unio, inter naturam divinam τοῦ λόγου, & humanam unio nulla est? Non existimo unquam ita crasse locutum esse ipsum Nestorium. Sed illos tamen omnes vincunt Herbornenses, qui ita loquuntur: *Totam hypostasin* (τοῦ λόγου) esse alibi, ubi caro non existit, *Spin. pag. 78. Quod si non est solvere Iesum, fateor me ignorare, quid sit solvere Iesum: quemadmodum antiquitus legebatur in 1. Epist. Ioh. c. 4. v. 2. 3.*

Homo est Deus.

XV. Propositiones personales: *Filius Mariæ est*

est Filius Dei, &c. ita resolvunt Zwinglani: Hæc persona, quæ est homo, est etiam Deus, Vel: Filius Dei sustentans naturam humanam, est Deus. *Danæus* vocat *verbalem* prædicationem, seu communicationem *appellationis in Exam. Chemnit. pag.* 295. *Grynæus* hanc propositionem: *Deus est homo*, appellat propriam, identicam, regularem: *in disput. de sermone incarnato. Anno* 87. *thes.* 14. *Herbornenses vocant synecdochicam. Vide etiam orthod. consens. fol.* 18. *&* 122. *Pareum in Irenico, pag.* 264.

XVI. *Negant* igitur quidam præfracte, ut *Iohannes Piscator*, & ipsius discipuli, *Christum secundum humanam naturam per unionem personalem esse Filium Dei.* Quod tamen ipse Calvinus diserte affirmat, *lib.* 2. *institut. c.* 14. *distinct.* 4. *& Pareus contra D. Hunnium in Calvini judaizantis refutatione, edit. primit. & quidem alii.* Hypostatica unio.

XVII. Imo negant, ullam esse, vel esse posse inter naturas Christi, divinam & humanam communicationem, *Beza, Iosephus Grabius, & cum eo Pezelius, & Herbornenses. Medulla Catecheti-ca Marpurgi edita, Anno* 1606. *quæst.* 45. *Pareus in Irenico, pag.* 265. *Quod plane Samosatenianum est, & unionem personalem tollit: ut neque Deus dici possit homo, neque homo dici Deus Herbornenses* reprehendunt, si quis τὸν λόγον incarnatum *realiter* dicat habere carnem & sanguinem *Spin.* 25. Admonitio Neostadiana, *pag.* 70. Prædicatio, inquit, humanorum de Deo, & divinorum de homine, quantum ad naturas, *tantum est ver-* Per communicationem naturarum realem.

verbalis. Danaus in Exam. pag. 191. Et honoris *verbalis* communicatio, *Sed Beza cum sociis in Colloq. Mompelg. in respons. ad theses de persona Christi, thes.* 8. 9. Communicationem, inquit, qua dicitur humanitas suo quodammodo ubique & omnipotens, *ut verbalem quidem esse* dicimus, &c. *Vide etiam Resp. ad Acta Colloq. Momp. part.* 2. *p.* 172.

Vnde oritur cõmunicatio idiomatum realis.

XVIII. Vnde fit, ut & realem idiomatum communicationem negant. *Beza respons. ad Colloq. Momp. part.* 1. *p.* 93. Liquet, inquit, *nihil vere dici de humanitate posse, nisi quod vel ipsa est essentialiter, vel quod accidentaliter & subjective ipsi insit, Danaus in Exam. Chemnit. p.* 294. Nullum essentiale idioma λόγῳ est ulli rei creatæ realiter κοινωνητὸν, id est, communicabile, & participabile: nisi essentiam quoque ipsam divinam esse reipsa communicabilem & participabilem a carne assumpta *blasphemè* dixerimus. *Pareus in Irenico cap.* 28.

Vt vere dicatur Deus est passus.

XIX. Propositionem igitur: *Deus est passus*; ita interpretatur Beza cum sociis: Deus, id est, Caro Deitati unita, est passa. Et hanc: *Homo est omnipotens*, ita resolvit: id est, Deitas humanitati unita est omnipotens. *Colloq. Momp. pag.* 213. *Resp.* 1. *ad Colloq. Momp. pag.* 183. *Quod tamen, pag.* 121. *magna vi negat unquam a se factam, contra propria sua verba & propriam subscriptionem: Vide ipsius & sociorum responsionem ad dogma.* 1. *Wirtembergensium de persona Christi, in Colloq. Mompelg. art. pag.* 313. *& in Resp. ad Colloq. Mompelg. pag.* 183. *Sed eel. Caro Christi est vivifica, est omnipotens, & omni-*

omnipræsens, hoc est, caro illa est Christi caro, qui est vivificus, omnipotens, omnipræsens. *Daneus in Exam. Chemnit. pag. 24. Christus homo mortuus est pro nobis*, hoc est, natura *tantum* illa Christi humana, quæ non per se inseparata hypostasi, sed in ipsa una Christi persona consideratur, mortua est. *Herbornenses*: Affligi, mori, crucifigi: *tantum* est naturæ humanæ, λόγῳ tantum est esse æqualem Deo. *Vbi nota oppositionem naturæ humanæ, & personæ τῷ λόγῳ. Spin.* 164. *Et pag.* 184. Humana natura *tantum* mortua est: tota vero persona per mortem abolevit eum, qui mortis habet imperium. Novum loquendi genus *vide ibid. pag.* 161. *Humanitas in carne passa.* Zvvinglius vocat ἀλλοίωσιν, quam (prout eam Zvvinglius definit & applicat,) *D. Lutherus vere scribit esse larvam diaboli, in Majore Confessione, Tom. III. Ienens. German. fol.* 455. *p.* 2.

XX. De officio Christi quidam asserunt, *solum* humanitatem esse passam, ut jam ostensum est, *Herbornens. Rudim. l.* 2. *pag.* 100. *Humana natura Christi tantum mortua est, non Deitas, non tota persona. Neostadienses in admonit. pag.* 250. Deus passus, mortuus est realiter, quatenus homo est: sed *nominetenus*, quatenus Deus est. *In disputat. Ingolstad. recusa Witteberga cum commendatione Rectoris, Anno* 64. *thes.* 29. In naturis ne Grammatica quidem aut verbalis fieri potest ἰδιωμάτων κοινωνία, Thes. 34. Idiomata divina neque voce, neque reipsa, naturæ humanæ possunt ad-

Non sola humanitas.

NB.

NB. Caro Christi vivifica.

adscribi, sicut nec humana divinæ. *Vide etiam Beza verba in Colloq. Mompol. Lat. pag.* 205. *Herbornenses negant carnem Christi esse vivificam: & Danæus, pag.* 285. 305. *&c. Idem pag.* 371. *Ipse sanguis Christi*, inquit, *non condonat nobis peccata: Sadeel*, & alii, vocant vivificam: quasi dicas, esse carnem vivifici λόγῳ. Aut si ipsam carnem vivificam esse concedant, interpretantur de merito tantum, non etiam de efficacia: Contra expressa ipsius Christi dicta, *Iohann. 6. & Canones Concilii Ephesini Calvinus & Danæus carnem* Christi *dicunt esse carnalem, per quem ad nos vita manet. Herbornens. negant per carnem nobis applicari salutem: Spin. pag.* 120. *Rursum Danæus in examin. Chemn. p.* 118. Ad opera divina vivificationis, sanationis, &c. inquit, *non plus caro Christi, quam ad edita ab Apostolis miracula caro Apostolorum contulit, aut virga Mosis ad edenda miracula Mosi profuit.* Nonnunquam tamen fuit adhibitum carnis ministerium non velut causa efficiens, vel ut causa sine qua non, & velut organon illius perpetuum & inseparabile, (ut vult Chemnitius) illius miraculosi, & omnes humanæ naturæ vires superantis operis, sed ut *nudum duntaxat instrumentum*: quæ quid Deitas λόγῳ efficeret, auribus vel oculis hominum demonstrabat. *Et pag.* 157. *Non enim ulla virtus in carne*, sive modo Physico sive hyperphysico, *inerat*, quæ ipsa illa opera ederet & efficeret. Nam facere miracula est solius Deitatis opus & quidem creaturis ἀκοινώνητον.

XXI.

XXI. Christus non pro peccatis totius mundi, sive omnium hominum, quales in hunc mundum nascuntur, sed pro *solorum electorum* (quos ipsi ex simplici & absoluto Dei decreto definitur) peccatis esse mortuum, & solis electis esse missum & datum, & solos electos serio & efficaciter vocare ad salutem, communis est Calvinistarum doctrina: *Vide Zanchium in miscellaneis, lib. 2. p. 280. Colloq. Mompelg. pag. 513. in responsione altera Bezæ ad Acta Colloq. Mompelg. pag. 216. Kimedontium, Spindlerum, Rennecherum, Piscatorem, & alios, integris tractatibus & disputationibus hoc dogma proponentes.* Christus mortuus pro peccatis mundi.

XXII. Christo homini, hoc est, qua homo est, sive assumptæ naturæ, communicatam esse, per & propter unionem hypostaticam, divinam majestatem & infinitam potentiam, negant Calvinistæ universi, sed tamen alii aliter. Nam 1. *Nonnulli* fatentur nomine *omnis potestatis, Matth. 28. vers. 18. potestatis omnis carnis, Ioh. 17. v. 2. subjectionis omnium, Hebr. 2. v. 8. 1. Cor. 15. vers. 27.* intelligi infinitam potestatem, potentiam & virtutem, adeoque divinum imperium, ut *Sadeel.* & qui ipsum sequuntur. 2. *Alii* diserte negant, ut *Beza, Dæus* (qui *pag. 363.* scribit, *Christi hominis potentiam* esse cœli & terræ nominibus, *velut certis limitibus, definitam*) & similes. 3. *Quidam* concedunt, datam eam esse personæ, sed nolunt admittere determinationem secundum naturam humanam: *ut Sadeel & interdum Sohnius, Pezelius.* 4. *Alii* dicunt esse Christo datam secun- Communicatio majestatis.

dum utramque naturam: quod supra etiam notavimus. 5. *Alii* denique (qui infinitam esse negant) affirmant esse datam naturæ humanæ: *Danæus in Exam. Chemnit. pag.* 361. *Prolixe, benigneque largimur*, inquit, *quæ Christo donata dicuntur, ea respectu humanæ ipsius Christi naturæ, aut secundum humanam naturam, dici donata Christo.*

Ascensio in cœlos.

XXIII. Christum ascendisse ad cœlos, *ut* sedeat ad dextram Patris concedit Sohnius, & quidam alii. Zvvinglius & reliqui ascensum hunc Christi opponunt præsentiæ corporis ejus in S. Cœna. Dicunt, Christum cœlo capi, ut in militante Ecclesia præsens non sit. Quo trahunt dictum Petri. *Actor. 3. vers. 21.* ὃν δεῖ μὲν οὐρανὸν δέξασθαι, quod ita vertunt: Quem cœlum capiat oportet, vel quem oportet cœlo capi. *Henricus Stephanus, & Beza, & alii non pauci.*

Sessio ad dextram Dei.

XXIV. *Sessionem ad dextram Dei* de certo cœli *loco* accipit *Bullinger in tractatione verborum cœnæ, quem imitantur non pauci. Martyr. Herbornenses, &c. de quibus supra diximus.* De infinita potentia eam exponit *Sadeel*, sed tum negat Christo tribui secundum humanitatem, *Sohnius, & alicubi Sadeel, & Vrsinus parte I. Catechetic. explicat. pag.* 214. *& Herbornenses, & alii duplicem sessionem* comminiscuntur, quarum unam Christo secundum Deitatem, alteram secundum humanitatem tribuunt. *Ita Sohnius in Exegesi A.C. pag.* 279. *Christus*, inquit, *sedet ad dextram Patris secundum utramque naturam,*

pag.

p. 278. Ad dextram Patris ſedere cœpit, poſtquam reſurrexit & aſcendit in cœlum. Item: Chriſtus ita ſedet ad dextram Patris, ut *proximum a Patre gloriæ & dignitatis gradum habeat. Calvinus in cap. 21. Matth. verſ. 44. Seſſio ad dextram Metaphorice accipitur pro ſecundo vel proximo gradu, quem Dei Vicarius obtinet. Vide etiam in Matth. 26. v. 64. & Marc. 16. v. 19. Piſcator in Analyſi, Luc. 22. v. 69.* Ab hoc tempore erit filius hominis ſedens ad dextram potentiæ Dei, id eſt: Ego brevi incipiam regnare in cœlo, *tanquam proximus a Deo.* Quam ſententiam tuetur etiam *D. Gregorius Schonfeldius & Catechiſmus Caſſellanus. Herbornenſes, Spin.* 141. pulchra tabula τῷ λόγῳ ſuum thronum, & ſuam ſeſſionem, & ſuum honorem, & ſuam operationem, aſſignarunt: & itidem ex altero latere humanæ naturæ ſuam ſedem & actionem: Ita quidem, ut *duplicem* etiam *adorationem* deſcribant, quarum ſublimior τῷ λόγῳ, inferior humanæ naturæ dependatur: *Inciſ. pag. 86. & ſeqq.* Negant enim humanitatem eſſe adorandam adoratione Dei. Et tamen affirmant *Rudim. lib. 2, pag. 99.* adorationem eſſe unam, non reſpectu & gradu, ſed numero. *Daneus autem, p. 418. Adoratio*, inquit, *non in ipſam carnem Chriſti, etiam in hypoſtaſi Filii Dei manentem, dirigenda eſt, pag.* 417. Maledictus vir ille, *inquit*, qui fiduciam habet in homine, & ſtatuit carnem brachium ſuum, *Ierem.* 17. Caro autem Chriſti eſt vera caro: & homo Chriſtus, verus homo. Quare *qui*

Adoratio Chriſti.

Blasphemie. *adipsam Christi carnem suam adorationem aut invocationem dirigit, is ex ipsius Dei ore est maledictus.* Et in assertione, *pag.* 38. Nulla, inquit, carnis aut humanæ naturæ cogitatio necessaria est: imo *prorsus removenda* a religiosa Dei divinæque naturæ etiam Christo ipso adoratione. Quoniam hic honos soli Deo debetur. Adeoque detrahunt etiam Christo externam ceremoniam genuflexionis & apertionis capitis. *Calvinus in 2. caput. ad Phil. & in ipsa praxi.*

Præsentia Christi. XXV. Christum secundum utramque naturam vere adesse suæ Ecclesiæ, & singulariter Sacramentis, negant universi Zvvingliani, restringentes illam præsentiam ad solam Christi Deitatem, sive Spiritum: *Nomina officii competunt Christo secundum utramque naturam. Et ponit A. C. hanc præsentissimam gubernationem Ecclesiæ in Christo homine, tanquam effectum sive consequens sessionis ad dextram Dei, juxta Apostolum, Eph. 1. v. 22. 23. & c. 4. v. 10. 11.*

Iudicium Christi. XXVI. Eodemque modo *de officio judiciario scribunt Neostadiani in Admonitione, p. 23.* Humana, inquiunt, natura feret sua voce sententiam extremi judicii: divina inspiciet & manifestabit omnium corda & conscientias: dictabit & exequetur sua potentia latam sententiam glorificando electos, & in pœnas abjiciendo reprobos. *Idem affirmant Herbornenses & Cassellani.*

Obedientia Christi. XXVII. Vt jam nihil dicam de nova illa & singulari *Iohannis Piscatoris* opinione, negantis Filium Dei esse pro nobis incarnatum, & pro nobis

nobis legi divinæ obedientiam in tota sua vita præstitisse: quia nimirum pro se ipso fuerit legi divinæ subjectus, tanquam creatura Dei, & ex familia Abrahæ oriundus. *Vide in Epist. ad Rom. cap. 4. in obs. pag. 84. & seqq. edit. Herbornens. Anno* 1601. *& cap. 5. in Scholiis, pag.* 106. *& in Germanicis Bibliis in cap. 2. Lucæ in declaratione, v. 51.* Et nihilominus *in Analysi in Matth. cap.* 23. observat, ultima dicit, voluntatem Christi humanam esse divinæ *contrariam* Logice, tametsi non moraliter.

VII.

Synopsis errorum Calvinianorum de Christo.

Conferamus nunc in brevem summam Calvinistarum sententiam, & ab Augustana Confessione dissensionem. Divinitatem Christi non uno modo oppugnant, tribuentes ei exinanitionem (ad quam pertinet mors crucis) & exaltationem, potestatem item mediam, quæ neque divina sit, neque illi creaturæ competat. Naturam humanam relinquunt in meris suis naturalibus, eandem tantummodo ex legibus naturæ judicantur: quamdum infinitorum duorum capacem negant, per necessariam consequentiam ipsam etiam negant unionem cum infinito λόγῳ, & diserte insuiantur realem duarum naturarum communicationem cum Samosateno: itemque cum Nestorio personam destrabunt, infinitis locis τὸν λόγον statu-

entes extra suam carnem, & negantes τὸν λόγον vere & realiter passum esse, quam passionem, & mortem soli naturæ humanæ adscribunt, quo modo omnis vis & virtus meriti Christi planissime negatur: Et quanquam nonnulli concedunt, carnem Christi vivificam esse, nempe, ut interpretantur, ratione meriti: hoc ipsum tamen in fundamento negant. Sublata enim a Christi carne virtute illa infinita & divina vivificandi (quam illi soli Deitati attribuunt) evidens est, effectum illius tribui non posse passioni & morti naturæ humanæ, ut sit λύτρον ἰσάξιον pro peccatis totius mundi. Summa, negata reali naturarum & idiomatum in Christo communicatione, frustra dicuntur omnia, de salute per Christum parta, de fide in ipsum, de ejus cultu & invocatione. Ex quibus omnibus aperte constat, contra propriam conscientiam loqui Calvinianos, cum Augustanæ Confessionis socios sese profitentur.

VIII.

Doctrina Photinianorum de Christo.

Recitabo præcipua capita ex Photiniana Catechesi Racovienſi, ab Hieronymo Moſcorovio e Moſcorovv ex Polonica in Lat. Linguam translata, magnæ Britanniæ regi Iacobo inſcripta, & edita Racoviæ, An. 1609. annotatis pagellis. Docent Ieſum Chriſtum eſſe tantum hominem, neque tamen purum hominem: quia ſit conceptus ex Spiritu ſancto, & natus ex Maria virgine, pag. 47. 48.

Habe-

Habere autem ipsum naturam divinam, id vero repugnare vociferantur non solum rationi sanæ, verum etiam divinis literis, pagin. 48. Negant igitur, Christum esse æternum, pag. 51. ejusque ex essentia patris generationem ajunt esse impossibilem, pag. 56. negant Christo attribui in scripturis nomen Jehovæ, p. 61. & magni Dei, p. 67. negant, Christum creasse cœlum & terram, p. 72. & conservare, p. 83. negant fuisse eum in deserto cum populo Israelis, p. 85. concedunt esse æqualem Deo, sed non in natura, verum in virtute, p. 103. & sic dici cum patre unum esse, nempe non natura, sed voluntate & potentia, p. 102. primogenitum patris, & proprium, & unigenitum filium dici asserunt, quia inter omnes Dei filios & præcipuus sit, & Deo charissimus, p. 103. esse autem unum a numero creaturarum, nimirum e novæ creationis genere, pag. 106. vocari quidem dominum gloriæ, hoc est, glorioſum, Dominum dominorum, regemque regum, sed non simpliciter & absolute, verum certa de causa, & limitatione, p. 117. 118. negant fidem nostram in Christo terminari, dicentes per Christum ad ipsum Deum, tanquam ultimum finem, dirigi, pag. 120. & hoc modo honorem divinum ei tribuunt, certo tempore, certamque ob causam datum & concessum, pag. 122. Accusant nos, quod ex nostra assertione de Deitate Christi sequatur, Christum Jesum non esse verum hominem, nimirum quia negamus in Christo

personam hominis, qua quisquis careat, verum hominem esse non posse, pagin. 126, 127. Docent Christum quædam præcepta divinæ legi addidisse, p. 131. 132. & inter cætera ad primum præceptum addidisse illud, quo Dominum Jesum pro Deo agnoscere teneamur, id est, pro eo, qui in nos potestatem habeat divinam, & cui nos divinum exhibere honorem obstricti simus, p. 145. 146. Quædam etiam nova præcepta Christum sigillatim tradidisse affirmant, quorum alia mores respiciant, ut abnegatio sui ipsius, crucis tolerantia & perpessi, & imitatio Christi, p. 179. alia externum actum religiosum seu ceremoniam, ut est Cœna Dominica pag. 186. De morte Christi sic docent, sententiam esse fallacem & erroneam, & admodum pernitiosam, qua statuimus, Christum morte sua nobis salutem metuisse, & pro peccatis nostris plenarie satisfeciisse, p. 227. ac proinde concludunt, longe plus in resurrectione, quam in Christi morte situm esse, in nostræ salutis negotio, p. 226. & diserte negant, Christum esse mortuum pro nobis, hoc est, loco vel vice nostri, p. 235. & nobis Deum reconciliasse, p. 239. imo negant, mortem Christi fuisse sacrificium, pag. 244. negant etiam Christum propria virtute resurrexisse, p. 175. Et in cœlis sacrificium Christi (quod figurato loquendi modo ita vocari ajunt) pag. 285. peragi contendunt, pro nobis interpellando, hoc est, interventu suo iram Dei, quodammodo a nobis arcendo, & suo exemplo nos ab omni flagitiorum genere retrahendo & avocando, p. 286. 287. proprie

prie enim Christum pro nobis Deum interpellare non concedunt, sed hoc sensu, ut constet, potestatem omnem, quam Christus habeat, non ex sese habere, verum Dei patris dono, p. 295.

Christophorus Ostorodus in institutione Germanica c. 6. pag. 39. edit. Racov. Anno 1612. impudentissime scribit, de divina natura Christi ne unicum quidem verbum posse in scripturis ostendi. Et pag 42. 43. proponit hoc theorema, neminem teneri, ut credat verum esse id, quod intellectus sive ratio clare testetur esse falsum. Tum concludit. p. 48. essentiam filii Dei nihil quicquam esse aliud, quam hominis essentiam. Item. p. 52. non de solo Christo, sed etiam de omnibus Christianis dici posse, quod sint filii Dei, & quod Deus eos genuerit: quodque in divina filiatione veri Christiani multa habent cum Christo communia. Quia vero Christus diserte in scripturis Deus appellatur, nominis hujus rationem ponit Ostorodus in eo, quod divinam potentiam & gloriam a Deo acceperit, pag. 65. & proinde sit factus Deus. pag. 66. quem negat ullo scripturæ loco expresse vocari Iehovam, pag. 70. quo tamen nomine angelos dicit appellatos, Exod. 3. vers. 4. 7. 16. 18. Actor. 7. v. 30. Negat Christum in scripturis dici creatorem, pag. 71. nempe cœli & terræ, pag. 72. Distinguit enim inter creationem primam & secundam, pag. 73. Negat Christum propria virtute fecisse miracula, pag. 79. Accepisse autem ait præcipuam partem suæ potentiæ & virtutis pro obedientia sua patri præstita, p. 80. atque

sic etiam cultum adorationis, pag. 83. Porro fidem in Christum, & in Deum ait eandem esse: quia nimirum non terminetur in Christo, sed per ipsum dirigatur in Deum, tanquam altissimum. Negat pag. 93. Christum fuisse simul in cœlo & in terra, Ioh. 3. v. 13. nec ante fuisse in cœlo concedit, quam e virgine nasceretur, p. 94. Quare vocat merum commentum curiosorum hominum, docere, quod Deus ipse factus fuerit, homo, p. 96. ubi hæreticissime corrumpit divinæ scripturæ testimonia, quæ de hoc argumento loquuntur. Respondsurus autem ad quæstionem, an Christus sit purus putus homo: affirmat ratione essentiæ, negat autem ratione qualitatum, præsertim a tempore exaltationis, p. 132. per quam sit supra omnes homines, sic ut possit e numero hominum eximi, & hominibus opponi, ut Gal. 1. v. 1. Summa, negat Christum esse Deum natura: sed Deum dici ait tantum ratione officii, p. 138. de quo officio eadem repetit, & amplificat, quæ in Photiniana Catechesi proponuntur.

Pro coronide adjiciam triplicem Christi filiationem, quam ex Schola Photiniana Cunradus Vorstius descripsit.

Prima est, inquit, Luc. 1. v. 55. Vbi blasphemat, Spiritum sanctum viri vicem suppleviſse in Maria, nec quicquam in hac generatione Christi præter actionem & semen viri defuisse. Hanc vocat Christi hominis ex Deo generationem prorsus singularem, propter quam etiam ille homo appellari possit naturalis filius Dei: quatenus scili-

scilicet naturalis opponitur adoptivo sive adscititio.

Secunda est, qua Christus fuit a patre sanctificatus, hoc est, copiose nactus Spiritum sanctum, & cum divino imperio, ac potestate in mundum missus ad servandum genus humanum. Vnde infert, filiationem divinam Christi paulatim perfectiorem evasisse.

Tertia filiatio, inquit, eaque perfectissima est, de qua differit Apostolus, Act. 13. v. 32. 33. ubi docet Christum a Deo fuisse resuscitatum e mortuis: atque ita impletum illud, Psalm. 2. vers. 7. Filius meus es tu: Ego hodie genui te. Etenim adverbium *hodie* diserte refertur ad resurrectionem: Et resurrectio totam Christi glorificationem denotat. Hactenus Vorstius.

Hæc pro instituti nostri ratione hic sufficiant: ex quibus apparet extrema istorum hominum impietas atque impudentia, itemque improbum in corrumpendis scripturæ sacræ dictis studium & diligentia, quod inprimis apud Georgium Enjedinum in explicatione locorum scripturæ *videre est. Nos repetimus fundamenta supra ex scripturis proposita, quæ concutere παῤῥησία istorum hæreticorum nunquam poterit. Et in gratiam tyronum quædam axiomata hic annotamus, quæ magnum usum habere possunt.*

I. Scriptura distinguit, inter Deum natura, sive unum illum verum Deum, 1. Cor. 8. v. 4. & 6. *& quosvis alios* dictos deos, *tum officii ratione, tum etiam commentitios, vers. 5. itemque* unum illum verum

verum Dominum, vers. 6. & alios quosvis dominos. v. 5. *Vnde hoc theorema:* Unus est Deus proprie dictus, & unus Dominus proprie dictus. *Praeter & extra hunc quisquis Deus vocatur, aut est Deus commentitius, aut ita vocatur metaphorice. Nunc assume de Christo: qui in scripturis Deus, & filius Dei sapissime vocatur. Non metaphorice, ut magistratus, &c. sicut patet. Sic enim nomen hoc ipsi esset cum multis commune: quod secus est, ut mox ostendam. Neque est Deus commentitius: absit. Passim enim opponitur idolis: sicut fides Christiana opponitur idololatria gentilium. Consequens est, ut Christus sit unus ille verus Deus, & Dominus, praeter & extra quem alius nullus est.*

II. *Christus est filius Dei* proprius (*non adoptivus*) primogenitus (*ante quem non fuit genitus alius*) unigenitus: *ac proinde solus.* Genitus, *inquam, est: non creatus. Referri igitur in ordinem* „ *creaturarum non potest. Quicquid ergo de Chri-* „ *sto praedicatur, contrarium tribus his nominibus,* „ *vel cuidam ex ipsis:* 1. proprius filius: 2. primo- „ genitus: 3. unigenitus: *id verum esse non potest,* „ *sed falsum est & haereticum. Quo uno ariete magna pars sophismatum Photinianorum dejicitur.*

III. Filiatio, ex qua dicitur filius, non nisi una est. *Et quidem per* generationem *dicitur filius naturalis, verus, proprius:* Per adoptionem: *adoptivus sive adscititius. Adoptivi sunt multi. Christus autem est unigenitus. Ergo non adoptivus: sed per ipsum adoptantur fideles.*

IV. Fi-

IV. Filiatio non recipit magis & minus. *Gradus igitur non habet, per quos una eademque perficiatur. Non minus enim Adami filius est Cain, quam Abel. Absurde igitur simul & impie dicitur Christus magis factus filius Dei per glorificationem, quam ante fuerit. Perinde ac si quis dicat, Davidem magis factum filium Isai cum rex designaretur, quam ante.*

V. Resurrectio a mortuis non efficit, ut Christus fieret filius Dei: *Sed cum vere esset Dei filius, per resurrectionem demonstravit suam Deitatem: hoc est, ut D. Paulus loquitur. Rom. 1, v. 4. Christus declaratus est filius Dei per resurrectionem. Eodemque modo D. Paulus concludit, Act. 13. v. 32. 33. nimirum a consequente ad antecedens, vel, ut ipse Apostolus loquitur, a complemento promissionis ad ejusdem veritatem, hoc sensu: In resurrectione completa est divina promissio de Messia, quod sit verus ille Dei filius, quem pater in æterno illo* hodie *(in quo præsentissima omnia, nihil præteritum, nihil futurum) genuit. Similis concludendi modus est Iacobi 2. vers. 23. ubi ex complemento, hoc est, oblatione Isaaci. v. 22. arguit Apostolus veram Abrahami fidem. Quare: Christus resurrexit, non ut Deus fieret, sed quia erat Deus.*

VI. Spiritus sanctus *(cum patre & filio)* naturam humanam Christi creavit, non generavit. *Nunquam enim fando auditum est in Ecclesia, Spiritum sanctum esse patrem Christi. Cæterum insignis ille locus, Luc. 1. vers. 35. pulcherrime explicat hoc mysterium. Nunciat Mariæ angelus conceptio-*

ceptionem Mesiæ, v. 31. verbis Propheticis, Esa. 7. v. 14. ejusque tum personam describit (filius altissimi vocabitur) *tum officium, vers. 32. 33. Quod cum Mariæ assequi non posset, quippe quæ virum non cognosceret, v. 34. informat eam angelus, ostendens, conceptionem hanc futuram non secundum communem naturæ cursum, sed per plane singularem Spiritus sancti superventum, & virtutis* (hoc est filii Dei) *altissimi inumbrationem. Vnde infert, filium hunc Mariæ non fore patris alicujus, qui homo sit, filium, sed filium ipsius Dei: Nimirum quia ipse Dei filius* (patris sui virtus) *ipsam sit inumbraturus, & in ea, & ex ea, assumpturus naturæ humanæ massam, a Spiritu sancto sanctificatam. Immediata igitur ratio, cur id, quod ex Maria natum est, sit filius Dei, consistit in eo, quod ipse Dei filius eam inumbrando naturam humanam* (*a Spiritu sancto purgatam*) *ex ea assumpserit in personæ unitatem: sicut* Joh. 1. v. 14. *dicitur:* Verbum caro factum est. *Quod si consequens in v. 35.* διὸ καὶ, *deducere velis conjunctim ex v. 31. 32. 33. etiam eo modo ex prædictionibus Propheticis firma conclusio evadit.*

VII. Pro æternitate Christi adstruendis (*quam omnibus viribus oppugnant Photiniani*) *noto hoc theorema.* Quicquid in scripturis soli Deo assignatur ita, ut per illud ab omnibus creaturis distinguatur, illud est attributum vere divinum: *Assumo: Esse ante mundum conditum, soli Deo assignatur ita, ut per illud ab omnibus creaturis distinguatur, Psalm. 90. &c. Ergo esse ante mundum*

conditum, est attributum vere divinum: nempe est illa descriptio æternitatis. Nunc assume de Christo, esse ipsum ante conditum mundum Prov. 8. v. 12. 23. Psal. 102. v. 26. Hebr. 1. v. 10. &c. Consequitur, esse æternum.

VIII. Denique communi Photinianorum principio: Nihil credendum, quod repugnat rationi: *nos opponimus oracula divina:* Fides est elenchus eorum, quæ non videntur, Hebr. 11. v. 1. Sapientia carnis est inimicitia adversus Deum, Rom. 8. v. 7. captivandus est omnis intellectus sub obedientiam Christi, 2. Cor. 10. v. 5. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, 1. *Cor.* 2. *v.* 14. *Fides igitur ex verbo Dei revelato est, quod ratio humana neque movit, neque intelligit. Quid ergo mirum, armis Philosophicis oppugnari articulos fidei Christianæ? quod omnibus seculis factitatum historia Ecclesiastica testatur. Nefas autem est propter commenta rationis humanæ, negare oracula divina.* Quod ratio ipsa videt, quod mens intelligit ex se, ex verbo quid opus discatur illa fides? *Fides non est eorum quæ vides, hoc est, intelligis, sentis, experiris, sed eorum, quæ sunt supra rationem & sensum.* Non ratio est fidei basis, aut oratio Christi. Fidere non discit, quisquis vult ipse videre; Ioh. 20. v. 29. Qui non videns credit, tamen beatus est.

Specialem sophismatum Photinianorum refutationem aliunde pete. De satisfactione autem Christi pro peccatis nostris dicemus in articulo sequente. Id unum age, quisquis sapis, ne deseras manifestos scri-

scriptura textus, Christique simplicem sermonem ne postbabeas speciosis sophismatis, quibus nititur perniciosissimâ illa hæresis Photiniana.

ARTICVLVS IIII.

DE JVSTIFICATIONE HOMINIS PECCATORIS CORAM DEO.

EXposita fuit articulo secundo miseria humani generis propter peccatum: cui nullum inveniri remedium potuit, nisi in Christo redemptore, de quo dictum est articulo tertio: sequitur nunc quartus de applicatione meriti Christi ad nostri coram Deo justificationem. Cujus verba sic habent:

Item docent, quod homines non possint justificari coram Deo propriis viribus, meritis, aut operibus: sed gratis justificentur propter fidem per Christum: cum credunt se in gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro peccatis satisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro justitia coram ipso, *Rom. 3. & 4.*

1.

Articulus hic quartus Confessionis desumptus est ex articulo 5. inter 17. D. Lutheri, de quibus supa-

pra monuimus, cujus verba sunt hæc Tomo V. German. Ienensi: Nachdem nun alle Menschen Sünder sind/ der Sünde und dem Todte/ darzu dem Teuffel unterworffen/ ist es unmüglich/ daß ein Mensch sich auß seinen Kräfften/ oder durch seine gute Wercke herauß wircke/ damit er wider gerecht oder fromb werde/ Ja er kan sich auch nicht bereiten oder schicken zu der Gerechtigkeit/ sondern je mehr er fürnimpt/ sich selbst herauß zu wircken/ je ärger es mit ihm wird. Das ist aber das einige Werck zur Gerechtigkeit/ und zur Erlösung von Sünden und Todt/ so man ohn alle Verdienst oder Wercke/ glaubet an den Sohn Gottes/ für uns gelitten/ ꝛc. Wie gesagt/ solcher Glaube ist unser Gerechtigkeit. Denn GOtt will für Gerecht/ Fromb und Heilig gerechnet und gehalten/ alle Sünde und ewiges Leben geschenckt haben/ allen die solchen Glauben an seinen Sohn haben/ daß sie umb seines Sohns willen sollen zu Gnaden genommen/ und Kinder seyn in seinem Reich/ ꝛc. Wie das alles S. Paulus und Johannes in ihren Schrifften reichlich lehren/ als Roman. 10. mit dem Hertzen glaubet man/ ꝛc. Johan. 3. alle die an den Sohn glauben/ sollen nicht verlohren werden/ sondern das ewige Leben haben.

II.

Mutatio hujus Articuli facta Anno 1540. privata authoritate Philippi Melanchthonis aliquanto prolixior est, quam Confessionis formula patiatur: In qua etiam multos offendit phrasis illa:

de Evangelio arguente peccata. Quanquam autem excusari illa potest ex diversa vocabuli acceptione, quod interdum Evangelium dicatur de toto ministerio verbi: qua ratione Evangelio tribui possunt, & quæ legis sunt propria, & quæ Evangelii stricte accepti (partes enim cum toto consentiunt, & quod parti tribuitur per se, id propter partem illam etiam assignatur toti:) tamen nos judicamus, constanter esse retinenda verba prototypi, quæ mira & rotunda brevitate & perspicuitate summam totius doctrinæ de justificatione complectuntur.

Nam & veras causas justificationis hominis peccatoris coram Deo commemorant, & rejiciunt falsas, quo quidem modo & thesis explicatur, & ἀντίθεσις.

Dicit enim Confessio, justificari nos *gratis* (en misericordiam, gratiam & dilectionem Dei! quæ est causa justificationis nostræ efficiens principalis) *propter Christum* (causam meritoriam, nimirum in officio redemptionis) *per fidem*, quæ est causa instrumentalis, qua applicatur nobis Christi meritum & satisfactio: ubi simul connotatur *ministerium verbi & Sacramentorum*, per quod Spiritus sanctus fidem in nobis accendit, ut in articulis sequentibus perspicue explicatur.

E contrario negat, justificari homines *propriis viribus* (id est, ex se ipsis, & non ex Dei gratia, contra Pelagianos veteres & recentiores) *meritis* (quæ opponuntur sufficientissimo merito & obedientiæ Christi, contra Papistas, & inprimis monachos,

nachos, & Scholasticos doctores, fingentes meritum congrui & condigni) *aut operibus*, scilicet quibuscunque: quæ opponuntur fidei in tota disputatione illa Apostolica, *Rom. 3. 4. 11. Galat. 2. 3. Ephes. 2. Tit. 3. &c.* contra subtiliores Papicolas, distinguentes inter opera non renatorum, & renatorum, sive, opera legis, & opera Evangelii sive fidei, quæ ipsi vocant, &c.

III.

Papistarum judicium de quarto Articulo.

Facessant igitur illi, qui Augustanis Confessoribus vel adulationem, vel timiditatem impudenter objiciunt, quasi dissimularint, nec expresse rejecerint Papistarum circa hunc articulum errores. Quanquam enim quidam Pontificii scripserunt, non sese feriri istis Augustanæ Confessionis verbis, sed Pelagianos: tamen res ipsa utrumque satis ostendit, & Pelagianam hæresin tueri Papistas (tametsi fortasse interdum paulo subtilius, vel etiam timidius) & errorem Romanensium de justificatione operum expresse verbis illis refutari. Quod ne opus sit nobis pluribus argumentis persequi, adscribam verba *Iohannis a Daventria* ex Harmonia Fabricii, pag. 36. edit. Colon. Anno 1587. *Hunc articulum*, inquit, (nempe quartum de justificatione) *qui dissensionem schismatum errorumq; mundo ansam dedit, haudquaquã censuræ*

præterire debebat, utpote erroneum, & Catholicæ fidei adversantem, &c. Ibidem inquit *Andreas Fabricius: Hic articulus* (quartus) *juxta Apologiam declaratus, ex Schola Simonis Magi contra Ecclesiæ Catholicæ consensum est repetitus, &c.* Ipse etiam *Cæsar* in sua & Catholicorum (Romanensium) Principum responsione ex professo disputat, sacris literis adversari, si quis neget, opera nostra esse meritoria. Et clarissime ex Concilio Tridentino, Bellarmino, & aliis demonstrari potest, δὶς διὰ πασῶν distare Anguſtanæ Confessionis de justificatione, & Papistarum, sententiam.

Quod si *Iohannes Hoffmeisterus* in Harmonia Fabriciana, pag. 41. & pauci alii ex Papistis modestius & mollius loquantur & scribant de hoc articulo, argumentum illud est Papisticæ inconstantiæ & mutabilitatis, vel etiam sauciatæ conscientiæ, & de veritate Evangelicæ nostræ doctrinæ convictæ: inde autem inferri non debet aut potest, Augustanam Confessionem, vel non plene & aperte veram sententiam proposuisse, vel non diserte improbasse errorem Papistarum. Annon enim Tridentinum Concilium Anathema dicit toti doctrinæ Augustanæ Confessionis de justificatione? Vide Sess. 6. Can. 4. 9 11. 12. 13. 14. Videant tamen ipsi Papistæ, quomodo hæc Hoffmeisteri verba accipere velint: *Quod adversarii* (confessores,) *docent*, inquit pag. 45. *hominem non posse justificari coram Deo propriis viribus, meritis, aut operibus, sed gratis propter Christum per fidem: non gravatim accipimus, nec putamus:* ali-

aliquem ex modestioribus Theologis nobis hic reluctaturum. Hæc ille: qui postea etiam fatetur, pag. 46. Patres, imo ipsum etiam D. Paulum, *soli fidei justificationem tribuisse, & ante exortum in Ecclesia hunc tumultum neminem fuisse offensum particula illa* sola: *quam jam tenera quorundam aures (inquit) vix ferre possunt.* Qua de re suo loco fusius a nobis disputatum fuit contra Apostatam Iohannem Pistorium. Apparet autem ex toto illo Hoffmeisteri tractatu, diligenter ipsum legisse D. Lutheri & Melanchthonis scripta de hoc argumento, itemque Buceri, & haud obscure improbasse crassam illam monachorum de justificatione opinionem: id quod etiam ab aliis quibusdam Papisticis scriptoribus factitatum esse, ostendunt exempla Pighii, Catharini, Cassandri, & aliorum, qui hoc ipso nomine a Bellarmino & aliis Papistis acerbe reprehenduntur.

IV.

Explicatio plenior de Iustificatione.

I. Nos præcipua capita de hoc argumento, quod alias latissime patet, comprehendimus certis propositionibus. *Vocabulum justificationis est forense, sive judiciale.* Quod sic demonstratur: quia ei opponitur accusatio & condemnatio: & mentio ibi fit rei, testium, tribunalis, advocati, judicis: quæ omnia tam manifesta sunt, ut negari non possint.

II. Exprimit enim scriptura in hoc negotio *debitum*, Matth. 18. v. 24. c. 6. v. 12. *peccatum*, Rom. 3. & 4. *reum*, nempe hominem peccatorem, Psalm. 143. Rom. 3. 4. Galat. 3. *accusatorem*, nimirum legem, Rom. 3. *testem* conscientiam, Rom. 2. & *chirographum*, Col. 2. v. 14. *tribunal* Christi, Rom. 14. v. 10. 2. Cor. 5. v. 10. *advocatum* Christum, 1. Ioh. 2. v. 1. *judicem*, Dominum. Ioh. 5. v. 27. Actor. 10. v. 42. c. 17. v. 31. Matth. 25. ubi vocatur judicium, & processus judicialis describitur. Facit etiam mentionem *gratiæ*, & misericordiæ, & *absolutionis* sive remissionis peccatorum, Psal. 25. v. 6. 7. 11. Psal. 32. v. 1. Psal. 103. v. 10. Rom. 3. v. 25. c. 4. v. 7. Vnde sunt hæ phrases: *solvere*, Matth. 16. v. 19. c. 18. v. 18. *remittere* peccata, Ioh. 20. v. 23. Rom. 3. v. 25. c. 4. v. 7. ex Psal. 32. v. 1. Matth. 9. v. 2. *Condonare* peccata, Col. 2. v. 13. Dicitur etiam *reconciliatio*, 2. Cor. 5. v. 19. & *redemtio*, Rom. 3. v. 24. 1. Cor. 1. v. 30. Gal. 4. v. 5. Denique opponit scriptura sacra justificationi tum accusationem, tum condemnationem, & ligationem, sive peccatorum retentionem, itemque execrationem sive maledictionem, *Rom. 5. v. 16.* Iudicium ex uno (delicto) in condemnationem: donum autem ex multis delictis in justificationem, *Rom. 8. v. 33. 34.* Quis accusabit adversus electos Dei? Deus est, qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imo qui & resurrexit, &c. *Vide etiam Matth. 12. v. 37. c. 16. v. 19. c. 18. v. 18. Iohan. 10. v. 23. 2. Cor. 3. v. 9. Gal. 3. v. 10. Sic Iohannis 3. v. 18.* Qui credit, inquit

quit Christus, non condemnatur. Et *Iob. 5. v. 24.* Qui credit, non venit in judicium, sed transiit a morte in vitam. Constat ex his, verbum justificandi habere significationem forensem sive judicialem.

III. Graviter igitur errant Pontificii, quibus justificare idem est, atque justum facere, nempe per infusionem justitiæ: sicut calefactio est motus ad calorem, ut loquitur Costerus. Qui proinde *justificationem geminam* fingunt: *priorem*, quando ex injusto quis fit justus: *posteriorem*: quando justus majore justitia & sanctitate augetur.

Contra: Uno eodemque modo justificantur, quicunque justificantur, nempe per gratiam Domini Jesu Christi, ut liquet, *Actor. 13. v. 38. 39. cap. 15. v. 10. 11. Rom. 4. v. 3. 6. 24. Psal. 32. v. 1.* Neque possunt in scripturis inveniri aliæ causæ justificationis, aliæ salvationis, sed sunt prorsus eædem.

IV. *Iustificatio est actio Dei Patris, Filii, & Sp. sancti, qua ex mera gratia, dilectione & misericordia, propter Christi mediatoris sanctissimam obedientiam toti divinæ legi præstitam, & plenissimam satisfactionem, homini peccatori, per ministerium Evangelii vere in Christum totius mundi redemptorem unicum credenti, gratis, sine operibus aut meritis propriis, omnia peccata remittit, justitiam Christi imputat, & ad vitam æternam eum acceptat*: Brevius: Justificatio est fidei, obedientiam & satisfactionem Christi in Evangelica promissione apprehendentis, divina imputatio ad justitiam. *Rom. 4.*

V. Tria igitur comprehenduntur in verbo justificare. 1. absolvitur peccator a crimine. 2. pro justo pronuntiatur & acceptatur. 3. tribuitur ei laus, testimonium, & præmia, quæ debentur justis.

VI. *Causa efficiens* justificationis est *Deus*: qui solus est judex universæ terræ, *Gen. 18. v. 25.* qui solus potest peccata remittere, *Marc. 2. v. 7.* & salvare. *Esa. 43. v. 25.*

VII. *Subjectum* justificationis est *totus homo peccator* (non sola anima) qui per ministerium Evangelii peccata sua agnoscit, deq; iis serio dolet, & eorum remissionem a Christo vera fide petit & accipit.

VIII. *Forma* justificationis est, *remissio omnium peccatorum*, tam originalis quam actualium, vel *imputatio justitiæ* Christi, & acceptatio ad vitam æternam, vel *imputatio fidei* ad justitiam. Hæc
„ enim idem notant. Nam Deus remittendo no-
„ bis peccata, Christi justitiam imputat, & imputan-
„ do Christi justitiam peccata remittit, ut eleganter demonstratur. *Rom. 4. v. 6. 7. 8.*
„ IX. Describitur autem in definitione *remissio peccatorum* suis causis veris, rejectis falsis. *Causæ prima & summa* est Dei Opt. Max. gratuita bonitas & *φιλανθρωπία*, *Tit. 3. v. 4.* gratia, *Rom. 3. v. 24.* misericordia, *Ephes. 2. vers. 4. Tit. 3. vers. 5. 1. Petr. 1. vers. 3.* beneplacitum divinæ voluntatis, *Ephes. 1. vers. 9. 2. Tim. 1. v. 9.* dilectio seu charitas, *1. Joh. 4. v. 9. 10. Rom. 5. v. 8. Ephes. 2. v. 4.* Quæ tribuitur *Patri*, *Joh. 3. v. 16. 1. Joh. 3. v. 1.* Filio, *Gal. 2. vers. 20. Ephes. 5. vers. 25.* Spiritui sancto, *Roman. 5. v. 5. 1. Cor. 6. vers. 11. 1. Petr. 1. vers. 2.*

Quæ

Quæ *dilectio Dei consideratur in Christo* intercessore nostro & redemptore, *Ephes. 1. vers. 6.* Deus enim qui justus est, adeoque ipsa justitia, odit (non amat) peccata, & punit, *Psal. 5. v. 5. Psal. 45. v. 8.* juxta communicationem. *Gen. 2. v. 17.* Hinc existit miranda contemperatio divinæ justitiæ, & misericordiæ, quam D. Paulus commendat, *Roman. 3. v. 22. 24, 25. Tit. 3. v. 4. & seqq. Ephes. 2. v. 4. & seqq.* Huc etiam referri debet causa προκαταρκτικὴ respectu hominum, nempe extrema miseria totius humani generis in peccatis mortui, *Iob. 3. v. 16. Rom. 5. v. 8. Hebr. 2. v. 15.*

X. *Causa meritoria* est Iesus Christus, θεάνθρωπος in utraque natura mediator & redemptor unicus totius generis humani: qui cum esset Dominus legis, propter nos factus est sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus, *Gal. 4. v. 4. 5.* Qui non solum integram divinam legem observavit, & implevit exactissime, *Matth. 5. v. 17. 18.* Vnde vocatur τέλος finis & perfectio legis *Rom. 10. v. 4.* Sed etiam pœnas peccatis nostris debitas pertulit, pro nobis passus & mortuus, ut tota Evangelica historia abunde testatur. Quæ ipsius tota obedientia, tam in agendo, quam patiendo consistens (vulgo vocant activam & passivam) appellatur *justitia Christi*, hoc est, a Christo præstita, & *justitia Dei*, hoc est, quæ coram Deo valet, & *justitia Evangelii*, hoc est, in Evangelio revelata, & *justitia fidei*, hoc est, quæ fide apprehenditur,

&

& ad justitiam nobis credentibus imputatur.

XI. Ad causam meritoriam clarius explicandam pertinent illæ particulæ, *gratis*, *sine operibus*, *aut meritis propriis*. Quarum prima ostendit, remissionem peccatorum respectu hominis esse mere gratuitam, hoc est, nihil quicquam esse in homine, propter quod peccata ipsi remittantur. Reliquæ duæ expresse removent falsas sive fictas causas: nempe opera & merita propria. Vbi generatim intelliguntur quævis opera aut merita humana quocunque modo pingantur & exornen-
„ tur. Est enim oppositio directa: *Sola Christi o-*
„ *bedientia est causa meritoria remissionis peccato-*
„ *rum: Ergo nulla opera sive merita humana*: sive dicantur ex arbitrii humani (quam somniant Pelagiani) libertate, sive ex lege, sive ex gratia, sive ex fide, sive Spiritu sancto profecta, sive non renatorum, sive renatorum. sive ante, sive post justificationem, sive per se, sive aspersa sanguine Christi, sive sua vi, sive virtute Christi, & dignitate Spiritus sancti: denique quocunque modo dicantur, nulla opera sive merita hominum possunt promereri remissionem peccatorum.

XII. *Causa instrumentalis* justificationis est, *respectu Dei*, quidem offerentis & donantis doctrina Evangelii (exquisite dicti,) & dispensatio Sacramentorum: *respectu* autem *hominum*, fides, seu cor fidele, qua fide apprehendimus, accipimus, & nobis applicamus hanc, quam dixi, Christi iustitiam, hoc est, obedientiam & satisfactionem.

XIII.

XIII. *Causa finalis* respectu Dei est ostensio ipsius gratiæ & justitiæ, *Rom. 3. v. 26.* respectu hominum justificatorum æterna salus & vita *Rom. 1. v. 16. c. 6. v. 22. Ioh. 3. v. 16. Tit. 3. v. 7. 1. Petr. 1. v. 6.*

XIV. Veritatis evidentia expressit ingenuam Confessionem Francisco Costero Iesuitæ, quam hic puto annotandum ex Enchiridio, de causis & modis justificationis, pag. 295. 296. edit. Anno 93. *Causa meritoria justificationis impii*, inquit, *nulla prorsus est vel in ipso impio, vel in ullis aliis seu viventibus hominibus, seu sanctis in cœlo cum Christo regnantibus, &c. Quia* peccatum non nisi per NB. infinitum meritum potest deleri: *quod infinitum meritum in solis Christi operibus & perpessionibus cernitur, ob infinitam personæ divinæ dignitatem: non autem in ulla actione aut merito creaturæ.* Hæc ille: quæ quomodo cum suis commentis de operum justificatione conciliare monachi possint, ipsi etiam atque etiam viderint.

XV. Fides justificans est, *ex agnita divini verbi veritate per Spiritum sanctum, divinæ gratiæ, sive misericordiæ, per & propter Christum redemptorem, in promissione Evangelica fiducialis apprehensio ad vitam æternam.* Cujus definitionis pleniorem expositionem, confirmationem, & ab objectionibus Papisticis vindicationem vide disputationis Anti-pistorianæ V. th. 88. & seqq. Vbi & hæc observatio additur: quædam dici de fide respectu notitiæ atque assensus, quædam respectu fiduciæ.

XVI.

XVI. Hæc *fides dicitur imputari ad justitiam, Rom.4.v.5.* Quæ loquendi ratio, ut recte intelligatur, tenenda est Apostolica distinctio inter imputationem secundum debitum, & imputationem secundum gratiam, quæ extat, *Rom.4. v 3.4.5.* Illa respicit opera & legem: hæc fidem & Evangelium.

XVII. *Imputatio secundum debitum* est, cujus fundamentum est in ipso operante, cui fit imputatio: id quod S. Paulus sic effatur, *Rom.*4.v.4. *Et qui operatur, merces Imputatur ex debito.* Vbi est relatio & proportio quædam inter mercedem & opera, & merces imputatur propter opera.

XVIII. *Imputatio secundum gratiam* est, cujus fundamentum non est in eo, cui fit imputatio, sed in ipso imputante, ut hoc loco, in gratia & misericordia Dei justificantis impium. Id S. Paulus ita effert: *Et, qui credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua pro justitia, Rom.4. v.5.* Atque hinc vocatur ea imputatio fidei: quam D. Paulus ex *Psalm.*32. *v.*1. definit remissionem iniquitatum, & obtectionem peccatorum, & non imputationem peccati. Vnde colligitur, in nobis ipsis non esse fundamentum imputationis gratuitæ, sed potius fundamentum contrarium, nempe damnationis (si nimirum Deus iudicare vellet secundum rigorem justitiæ) illam vero imputationem esse efficacem relationem Dei, ex gratuita misericordia propter Christum credentibus peccata non imputantis, sed imputantis illis justitiam, nempe Christi obedientiam, quam

pro

pro ipsis præstitit divinæ legi, *Galat.4.v.4.1.Cor.1. v.30. 2.Cor.3.v.ult.Esa.45.v.24. 25.* Augustinus *serm. 6. de verb. Apostoli:* Vt nos simus justitia Dei in ipso. *Videte duo,* inquit: *justitiam Dei, & non nostrum: in ipso, non in nobis.* Bernhardus de sepulchro ad milites in templo: *Mors,* inquit, *in Christi morte fugatur, & Christi justitia nobis imputatur.* Quæ imputatio quam sit efficax & realis, ex comparatione hac potest intelligi. Quemadmodum enim Deus Pater imputavit Christo peccata nostra, propter quæ factus est maledictum, & acerbissimam mortem sustinuit. (*Esa.53.v.4.6. Iob.1. v.29. Luc.22.v.37. 2.Cor.5.v.ult.Gal.3.v.13. 1.Petr.2. v.24.* Confer etiam hircum emissarium, *Levit.16. v.21.* & adjunge, *Psalm. 69. v.5.*) atque sic quod nostrum erat, in ipsum projecit: ita vicissim nobis credentibus donat illud, quod Christus nobis acquisivit. Pulcherrime Chrysostomus, *in comment. 1.Corinth.5. justum fecit peccatorem*, inquit, *ut peccatores faceret justos. Imo neque sic dixit, sed quod multo majus erat: non enim qualitatem posuit, sed substantiam: non dixit peccatorem, sed peccatum: ut nos fieremus: non dixit justi, sed justitia, & justitia Dei. Dei enim est ista, quando non ex operibus, sed a gratia fit justificatio.* Sic ille: Quam beatissimam permutationem & translationem quisquis non agnoscit & prædicat, in Christum salvatorem ingratissimus est.

XIX. Ex dictis apparet, non nisi per fidem Iesu Christi nos justificari, ut inquit Apostolus, *Gal.2. v.16.* Quod etsi verissimum esse negari non potest,

nihil

nihil tamen magis offendit hodiernos Pontificios, quam affirmari a nobis, *tantum fide nos justificari:* cum utriusque propositionis eandem esse sententiam constet. Neque enim exclusive *tantum, aut sola,* vel gratia Dei excludit, (in qua fiducialiter apprehendenda fides justificans unice occupatur) vel Christum ejusque meritum, (in quo fides ipsa fundatur) vel Evangelium & Sacramenta, (per quæ fidem Spiritus sanctus efficit & generat, & sine quibus ordinarie gigni & conservari fides non potest) sed quidvis aliud, præter jam dicta, & nominatim quælibet opera & merita humana; id quod ex perpetua oppositione Apostolica in hoc argumento liquere potest, cum affirmat justificari nos ex Dei gratia, non ex operibus; per fidem, non per opera: fide, sine operibus: ex Evangelio, non ex lege: credendo, non operando. Vnde hic nascitur syllogismus vere Apostolicus, hoc est, immotus & firmissimus: *Aut justificamur ex solis operibus, aut ex sola fide, aut ex operibus & fide simul.* Quartum dari nihil potest. Primum membrum ne ipsi quidem Pontificii hodie concedunt. Tertium expresse negat Apostolus, *Rom. 3. & 4. Galat. 2. & 3. Tit. 3. Ephes. 2.* Cui frustra opponitur cap. 2. Jacobi: ubi res ipsa ostendit, sermonem esse de externa fidei professione, & declaratione justitiæ per bona opera. Neque juvare potest Romanenses, si multas proferant operum distinctiones, cum perpetua sit, quam dixi, oppositio apud D. Paulum:

non

non ex lege, non ex operibus, non operando; sed ex Evangelio, per fidem, credendo, justificamur. Quare concedendum est, secundum membrum esse verum: nempe, tantum, vel sola fide nos justificari. Quæ *sola* hic dicitur, non quod sola existat, separata a spe & charitate, sed quod *sola ipsa, nec præter ipsam aliud quicquam, fiducialiter apprehendat* Christum, & in ipso gratiam Dei peccata remittentis, & ad vitam æternam acceptantis. Pertinet igitur hæc locutio ad notitiam causæ organicæ sive instrumentalis, hoc sensu: nullum esse aliud nobis organon a Deo concessum, quod oblatam in Evangelio gratiam de remissione peccatorum, justitia, & vita æterna, apprehendere & applicare nobis possimus, præter unam fidem.

XX. Et habet hæc sententia etiam piæ antiquitatis consensum. Chrysostomus hom. 3. ad Titum: *Sola* fides sufficit justificare. Idem hom. de fide & lege nat. Latro *tantum* credidit, & justificatus est. Idem in 3. cap. Roman. potentia Dei justificavit *sola* fide absque operibus. Hilarius Can. 8. in Matthæum: Fides *sola* justificat, Basil. hom. de humilitate: *Sola* fide in Christum justificatur. Ambrosius Comment. 3. ad Rom. *sola* fide justificati sunt. Et in cap. 4. Non opus est lege, quando impius per *solam* fidem iustificatur. Ibidem: Decretum est, ut *solam* fidem gratiæ

Dei

Dei pascerent ad salutem. Ibidem: *Sola* fide justificantur apud Deum. Idem in cap. 9. ad Rom. *Sola* fides posita est ad salutem. Idem *in* 1. *Cor.* 1. Hoc constituturum est a Deo, ut qui credat in Christum, salvus sit sine opere, *sola* fide gratis accipiens remissionem peccatorum. Augustinus lib. 1. contra duas Epistolas Pelagii cap. 21. Antiquos *non* salvos fecit, *nisi* fides. Theophylactus in 3. cap. ad Galat. Fides *sola* habet in se justificandi virtutem. Bernhardus serm. 22. in Cant. Cantic. Per *solam* fidem justificatus pacem habebit a te. Idem Epistolæ 77. annuens, *solam* fidem interdum sufficere ad salutem, & sine ea sufficere nihil. Idem sermon. 14. in Psalm. Qui habitat: Gratis dupliciter dedit, sine merito tuo, sine labore tuo. Origines lib. 3. in Epistolam ad Romanos: Dicit (Paulus Rom. 3.) sufficere *solius* fidei justificationem. Ibidem: pro hac *sola* fide ait ei Iesus. Amen. Ibidem per fidem justificatus est latro, sine operibus legis. Eodem modo loquentem supra audivimus Iohannem Hoffmeisterum. Et Syriaca versio in c. 4. ad Rom. sic legit. Ei vero, qui non operatur, sed *tantum* (balchud) credit in eum, qui justificat peccatores, imputatur fides sua ad justitiam. Sic in Bibliis Italis, Anno 1546. excusis Venetiis verba D. Pauli, Galat. 2. ita reddita // sunt. Sapendo che l' huomo non si gnistica da le opere de la legge, ma solo per la fede di Giesu Christo: Per *solam* fidem Iesu Christi. Et inspexi Confluentiæ in Bibliotheca Iesuitarum antiqua Biblia Germanica ante Lutherum edita, in quibus

quibus habetur particula exclusiva: Allein durch den Glauben / ohne die Werck der Ee: hoc est, sine operibus legis. Veteres enim Germani legem vocarunt die Ee: ut multis exemplis potest ostendi. Plura huiusmodi tam veterum Ecclesiæ Doctorum, tum etiam scriptorum Pontificiorum testimonia qui desiderat, videat Tom. III. Locor. Theol. D. Ioh. Gerhardi, pag. 1427. & seqq. ubi magno numero repetuntur.

IV.

Synopsis errorum Papisticorum de Iustificatione.

Errores Romanensium in hoc argumento sunt plurimi & gravissimi: quos si quasi in fasciculum colligare libeat, hoc modo facile fiet. In ipsa voce iustificationis *ludunt, accipientes pro infusione justitiæ. Et geminam fingunt iustificationem,* primam, *cum ex iniusto fit iustus:* secundam, *cum ex justo fit justior.* Tertiam *etiam adjicit Salmeron Tom. XIII. pag. 342, cum quis sententia judicis absolvitur & pronunciatur justus: quam refert ad futurum judicium. Et disputant multi, aliter homines fuisse iustificatos ante Mosen, nimirum lege naturæ, aliter postea, nempe lege Mosaica, aliter in Nov. Testamento, lege videlicet Evangelica. Et peculiari modo justificatam esse B. Virginem, disputat Salmeron: nimirum ex debito peccatum contrahendi erectam in iustitiam. Gratiam Dei perperam interpretantur pro infuso & inhærente habitu iustitiæ. De merito Christi multis modis*

errant: dum quidam valere dicunt pro peccato originali tantum (quod tamen inficiatur Bellarminus, & Iesuitæ alii) quidam scribunt, esse quidem causam universalem salutis, sed neque totalem, neque integram, unde illi adiungunt tum sanctorum, tum propria opera & merita: Tapperus, ubi liberalis est, fatetur esse quidem satisfactionem, sed per sufficientiam, non secundum efficientiam & participationem: sed mox stylo verso: satisfactio illa, inquit, per sufficientiam non meretur nomen satisfactionis. Vt nihil nunc dicam de merito congrui & condigni; deque præparatione & dispositione ad suscipiendam gratiam, per fidem, timorem, spem, dilectionem, pœnitentiam, propositum suscipiendi Sacramenti, & propositum novæ vitæ, & observationis mandatorum Dei: & quod in sola anima ponunt justificationem. Quam vero sunt varii & absurdi in doctrina de fide? quam negant esse fiduciam cordis, vocant nudum assensum, & ignorantiam potius, quam notitiam, quanimirum dicas: credere te, quod credit Ecclesia, eamque fidem vocant implicitam, cui opponitur explicita. Et informem vocant fidem solam: formatam autem, si coniunctam habeat charitatem, addunt nonnulli etiam spem: & hanc quidem justificare dicunt, non etiam illam: quanquam admodum lubrice interdum loquuntur de utraque. Formam justificationis in renovatione potius ajunt consistere, quam peccatorum remissione. Vbi tamen alii quidam duas faciunt justificationis partes: unam remis-

remissionem (hoc est, ut ipsi Scholastice exponunt, totalem sublationem & delationem) peccatorum, quam vocant privationem: alteram, justitiæ imputationem, quam dicunt habitum, intelligentes eo nomine infusum habitum. Nam imputationem justitiæ Christi per fidem appellant putativam justitiam, ut Bellarminus & Sanderus, vel, ut Andradius, amentissimam insaniam, vel, ut Stapletonius, spectrum cerebri Lutherani. Neque verba invenire possunt, quibus satis exagitent fidem specialem, hoc est, qua fidelis quilibet sibiipsi applicat promissiones Evangelicas de remissione peccatorum per & propter Christum. Nosque fide solarios indigetant, quod ex Apostolo doceamus, non nisi fide nos justificari. Damnant etiam certitudinem salutis, quam vera in Christum fides parit, iuxta Apostolum, Rom. 5. v. 1. Justificati fide pacem habemus. Commendant autem humilitatem illam, quam suo stylo vocant, & modestiam, quando quis dubitat, sitne in gratia apud Deum. Denique subinde calumniantur, doctrinam nostram de justificatione sæpissime a nobis mutari, & nihil in ea firmi & solidi habere nos posse. Quæ omnia speciatim hic refellere non est nostri instituti. Sufficit illud monuisse, multa aliter a Iesuvitis hodie disputari, quam superiobus seculis a Scholasticis doctoribus fuere proposita. Pro coronide adscribam verba Mileti contra Heshusium: Fide, inquit, Catholica Christiana, eaque sola, hominem iustificari, nulli unquam negaverunt, nec negant Pontificii. Conf. hodierna certamina. &c.

VI.
Calvinianorum de iustificatione & eius causis sententia.

Dilectio Dei erga mundū. Ioh. 3.

Calviniani in singulis illis causis iustificationis profitentur manifestos errores. I. *Gratiam* illam *Dei*, negant, extendi ad universum hominum genus, restringentes ad solos electos, quos ipsi ex absoluto quodam Dei decreto, & nuda voluntate, causas omnes alias antegrediente absque ullo Christi vel fidei respectu, definiunt. Vnde promissiones Evangelicas universales omnes restringunt, & particulares faciunt. Quam falsam esse accusationem clamat Pareus in Irenico, vel λογομαχίαν, cap. 24. pag. 142. 143. Promissiones gratiæ, inquit, sunt universales, pertinentque ad omnes: quoad prædicationem, invitationem, & mandatum credendi. Ad solos vero credentes pertinent, quoad applicationem, efficationem & fructum.

Quæ distinctio nostra est; reiecta a Beza, Piscatore, aliisque omnibus, qui urgent absolutum Dei decretum in electione: de quo decreto vide *Irenici c. 28. pag. 255.* Quos enim Deus simpliciter & absolute odit, & reprobavit, & ad quos Christus non pertinet: quo tandem fine illis prædicabitur Evangelium: Gratiam suam Deus dicendus est offerre illis, quos æterno odio, eoque absoluto prosequitur.

Meritum Christi efficax & universale.

II. *Meritum Christi* enervant sua ἀλλοιώσει, de qua dictum est supra art. 3. *Vnde Calvinus instit. lib. 2. cap. 17. sect. 1.* Equidem fateor, inquit, si quis

quis simpliciter & per se Christum opponere vellet iudicio Dei, non fore merito locum: quia non reperietur in homine dignitas, quæ possit Deum promereri. Deinde meritum Christi faciunt *particulare, Beza & socii in Colloq. Mompelgart. ad thes. 7. Wirtemberg. de præd. pag. 514.* Certe nobis intolerabilis vox vestra visa est, inquit, Christum esse mortuum pro damnatis. *Piscator disputat. de prædest. thes. 3.* Non pro singulis, inquit, mortuus est Christus, sed *tantum pro aliquibus.* Nec igitur singulos salvos fieri vult Deus, sed *tantum aliquos, thes. 109.* Vocat enunciatum falsum, Christum pro singulis mortuum sufficienter. Nam Christus, inquit, pro solis electis mortuus est. *Vide etiam Spindl.* im nöthigen Bericht/ *p. 261. 263. 264. 277.* Pareus etiam hic distinguit in Irenico cap. 24. p. 142. inter sufficientiam λύτρου, & eius efficaciam illam universalem dicens, hanc particularem.

Quæ iterum nostra est distinctio: Sed reiecta & oppugnata a Beza, Piscatore, & aliis. Stare enim non potest cum decreto absoluto. Pro reprobis nullo modo mortuus est Christus: sive sufficienter dicas, sive efficaciter, inquit Piscator parte 2. disputat. p. 232.

Nec abstinet a calumnia Pareus, pag. 245. nos arguens, quasi doceamus, Christum tam quoad efficaciam (hoc est applicationem & fructum, ut exponit pag. 142.) quam quoad sufficientiam λύτρου, etiam pro damnatis mortuum esse, Con-

trarium enim distinctio nostra luculente ostendit.

Obedientia Christi perfectissima.

III. Adhæc Piscator causam meritoriam iustificationis negat esse integrã Christi obedientiam legi divinæ præstitam, quam etiam negat imputari credentibus, affirmans, *solum* Christi *mortem* ad iustitiam imputari: *in comment. ad Roman. cap. 4. & 5. Non recte*, inquit, *pag. 87. edit. Herbornens.* 1601. *a* nonnullis *possessio vitæ æternæ, tanquam effectum, adscribitur obedientiæ Christi, quam Patri præstitit sancte vivendo secundum legem. Pag.* 106. Non sumus iusti effecti per sanctam vitam Christi. *Pagina* 109. Errant, qui putant, vitam nobis esse partam per sanctam vitam Christi, &c. Quem manifestissimum errorem Nestorianum incrustare Pareus non dubitarit in Commentario ad Romanos, publice damnatum in Synodo VVappinensi in Gallia, & a multis Calvini discipulis iustissime reiectum, Bucano, Polano, Trelcatio, &c.

IIII. *De fide* non recte docent, cuius fundamenta labefactant, gratiam & dilectionem Dei & Christi meritum restringentes ad paucos aliquos, quos absolute a Deo ad vitam electos statuunt, homines: & affirmantes, fidem semel datam nunquam amitti posse, ne quidem per peccata regnantia, ut ostendetur artic. 12. Item infantes negant iustificari fide sua, quippe quam eos habere, aut habere posse, negant *Beza in 2. part. Respons. ad Acta Colloq. Mompelgart. pag. 97. & seqq. Et Piscator Resp. ad dicta a Hoffmanni, p. 84.* asserit infan-

infantibus justitiam non eadem ratione, qua adultis, imputari.

V. Adhæc *Zvvinglius* in vita æterna collocat Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones: In expositione Christianæ fidei ad Christianismum Regem. Eamque opinionem defendit *Henricus Bullinger, & Rudolphus Gualterus peculiari Apologia, quam breviter repetit Sohnius in Exeg. A. C. pag. 828. Edit. Sig. Anno 98. & Embdenses contra D. Hunnium.* Pereus calumniam illam vocat malevolorum, Irenic. p. 245. c. 24. quia nimirum Zvvinglius scripserit sub certa conditione: nimirum, siquidem in fide hinc migraverint. Sine fide nemo salvatur.

Σοφὸν Φάρμακον? Vnde ergo fides de Christo in animo Herculis, Numæ, &c. enata est? Naturalem enim facere fidem Christianam, profecto Christianum non est. Fides ex auditu est, inquit Apostolus, *Rom. 10. v. 17.*

VI. *Grynæus disp. de scala a terra ad cœlum pertingente. th. 29.* Deus ex misericordia sua, inquit, qua servavit nos *per* lavacrum regenerationis, *& renovationem* Spiritus sancti, &c. Quam lectionem etiam habent *Biblia Tigurie dita, Anno* 1579. Et adhuc clarius *Iohann. Piscator in Germanicis suis Bibliis, & Analysi super illum locum, Tit. 3. vers. 5. ait,* Deum servasse nos *per* regenerationem & *renovationem* Spiritus sancti, tanquam per lavacrum quoddam, quo abluimur a sordibus peccati. *Praxis & medulla Catechetica* Non ex operibus justificamur.

tica Marpurgi edita, Anno 1606. *quæst.* 67. ait, fidem sufficere ad apprehendendam salutem, non autem ad eam conservandam: Sed amplius requiri vitæ emendationem. Et *q.* 70. ait, vitæ emendatione perfici conversionem, & fidem & salutem n nobis conservari.

VII.
Doctrina Photinianorum de Iustificatione.

I. Iustificationem his verbis definit Catechesis Racovienſis, p. 170. Iustificatio est, inquit, cum nos Deus pro justis habet: quod ea ratione facit, cum nobis & peccata remittit, & nos vita æterna donat. Fatetur etiam, p. 271. sine fide in Christum neminem justificari: sed addit, de eo id tempore intelligendum, quo Christus patefactus est. Cæterum fidem hoc modo distinguit, ut notet vel assensum tantum, quo Jesu Christi doctrinam esse veram attestamur: vel significet fiduciam per Christum in Deum: quo & Christo confidamus & Deo obtemperemus, pag. 266. Obedientiam enim sub fide comprehendi asserit, pag. 246. Et opera, quæ a D. Paulo fidei opponuntur, dicit esse opera legis, quæ & perfectam & perpetuam obedientiam continent: non autem opera, quæ obedientiam, quam Deus a nobis, qui in Christum credimus, requirit, comprehendunt, p. 247. satisfactionem Christi pro peccatis nostris simpliciter rejicit & damnat, vocans dogma illud fallax, erroneum, & admodum pernitiosum, p. 227. & seqq.

II. Osto-

II. Ostorodus in Germania institutione cap. 36. iustificari nos affirmat non per satisfactionem, sed per remissionem pag. 297. arguens satisfactioni locum non relinqui: ubi plena regnat gratia & remissio, p. 299. imo etiam per satisfactionem valde obscurari dicit Dei gloriam, p. 300. Concludit autem, p. 302. aliquid in nobis oportere inveniri, sine quo justificare nos Deus nolit, nempe fidem in Christum, hoc est, fiduciam & obedientiam. Quam obedientiam distinguit ab operibus legis. pag. 303. Et hanc fidem, hoc est, fiduciam & obedientiam dicit imputari ad iustitiam, pag. 304. per eamque perfici hominem posse concludit, pag. 306. Orthodoxam de Christi pro peccatis nostris satisfactione sententiam appellat errorem puerilem & ridiculum, imo blasphemiam, pag. 310. & anilem fabulam, pag. 311. Nuspiam enim scriptum esse ait, Christum placasse Deum patrem, pag. 311. quippe nobis non inimicum: sed nos potius tanquam inimicos, reconciliasse Deo, pag. 312. Causas vero mortis Christi expositurus, pro nobis mortuum dicit, hoc est, non vice sive loco nostri, sed ad utilitatem nostram, pag. 313. ut vitam nobis ostendere doctrina sua & exemplo, per quam pervenire ad salutem possimus, si ipsum imitemur, pag. 315. Ad quem sensum torquet, trahitque cuncta scripturæ testimonia, quæ mortis Christi finem, fructum, efficaciam, & effectum commendant: satis esse putans, mortem Christi dici remissionis peccatorum confirmationem & obsignationem, pag. 318. & sanguinem

Christi nos purgari ab omni peccato, hoc est, esse causam istius rei, sine qua non possimus a peccatis purgari, hoc est, potentiæ Christi, ad quam per effusionem sanguinis sui pervenit, pag. 320. Item Christum dedisse animam suam pro redemptione nostri, hoc est, fuisse mortuum ex mandato Dei, ut per istum modum ipse ad beatam immortalitatem & summam potentiam perveniret, per quam potentiam etiam nos eo adduceret, pag. 321. Ad hæc, Christum vocari mediatorem, hoc est, legatum a Deo missum ad homines, ad ipsius gratiam annuntiandam, pag. 322. 323. Sic Christum dici pro peccatis nostris se obtulisse, phrasi Veteris Testamenti, quia sacrificium secuta fuerit peccatorum remissio ex decreto Dei, non autem quod talis virtus aut effectus ipsi sacrificio adscribatur, 323. 324. neque in ara crucis, sed in cœlo perfectum fuisse Christi sacrificium contendit, pag. 325. Vnde concludit, Christum sua passione & morte pro nobis Deo non satisfeciisse, neque eum ad quicquam nobis ignoscendum permovisse, vel quicquam effeciisse in eo, quod in ipso antea non fuerit: sed ideo passum & mortuum, ut in nobis eas res operaretur, sine quibus salvari non possumus, nimirum fidem & obedientiam, p. 326. Vnde etiam Faustum Socinum de Servatore, lib. 1. cap. 1. & seqq. & Ostorodum contra Tradelium in scripto Germanico edito, Anno 1602. & alios Photinianos. Summa huc redit, justificari hominem per fidem & obedientiam, ex mera gratia Dei, absque ulla Christi satisfactione: & hanc doctrinam Chri-

Christum nobis in Evangelio proposuisse, sua morte confirmasse, & ad eam amplectendam suo nos exemplo invitasse, &c.

III. *Quo pernitiosissimo dogmate totum Evangelium plane evertitur, quod paucis demonstrabo. Summa Evangelii est, fides in Christum. Iohan. 3. v. 16. cap. 6. vers. 40. cap. 20. v. ult. Actor. 4. vers. 12. cap. 10. vers. 43. cap. 20. vers. 21. Rom. 1. v. 16. cap. 3. v. 22. 1. Timoth. 1. vers. 15. 16. &c. Nam nisi per fidem Iesu Christi salvari non possumus, Rom. 3. v. 28. Gal. 2. v. 16. in quo etiam sumus electi, Ephes. 1. vers. 4. 5. & in ipso data est nobis gratia ante tempora aterna, 2. Tim. 1. v. 9. 10. & in ipso habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ipsius, Ephes. 1. v. 7. &c. Quæ omnia Photiniani miserrime depravant.*

IIII. Nam primo *gratiam* sive *misericordiam Dei* faciunt *absolutam*, docentes, Deum, Dominum super omnia, pro absoluto suo dominio, peccata dimittere libere, absque ulla interveniente satisfactione. Qua parte consentiunt Calvinianorum absoluto decreto, de quo Masculus in loco de iustificatione scribit, *Deum judiciariæ justitiæ ita obstrictum non esse, ut non liceat ipsi quorum vult misereri, & a peccatis absolvere eos.* Eodem modo Thomas p. 3. quæst. 46. art. 3. *Deus*, inquit, *potest sine satisfactione remittere peccata, cum non habeat aliquem superiorem.* Vide etiam

Biel

Biel 3. Sentent. dist. 20. quæst. 11. Et Pareus in Irenico, p. 255. c. 28. *Nulla mens pia est*, inquit, *quæ hinc non intelligat, Deum habere absolutum jus in suas creaturas, & homines: multo magis, quam figulus habet absolutum jus in lutum & vasa sua, formandi & ordinandi ea ad decus, vel ad dedecus, absque injustitia, prout voluerit. Ex hoc igitur jure absoluto si Deus majorem partem generis humani ad interitum creasset & ordinasset, absque peccati respectu, saltem propter gloriam suam, nemini esset injurius.* Hactenus Pareus; ex quo pari modo concludunt Photiniani, Deum jure absoluto peccata remittere, absque respectu satisfactionis.

V. Contra Evangelium *gratiam Dei* nobis proponit *in Christo*: tum in electione, Ephes. 1. tum in iustificatione, Roman. 3. Gal. 2. ita, ut extra Christum nemo placere Deo, & salvari queat; & sine eo pervenire ad Deum nemo possit, Johan. 14. vers. 6. Quia enim peccata diviserant inter Deum & nos, Esaiæ 59. vers. 2. a quo ipsi recesseramus, violato divino interdicto, Gen. 3. v. 16. facti ab eo alieni, Eph. 2. vers. 12. & obnoxii servituti peccati, 2. Pet. 2. v. 19. morti, & damnationi Gen. 3. v. 17. & seqq. Rom. 5. v. 12. iuxta divinam comminationem, Gen. 2. v. 17. morte morieris, item Ezech. 18. v. 4. 20. Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, & Rom. 1. v. 32. Hoc est jus Dei, ut qui talia faciunt, digni sint morte: & maledictus, qui non permanserit in omnibus sermonibus legis huius, Deut, 27. v. ult, ideo in gratiam recipi non

non poteramus, nisi iustitiæ Dei foret satisfactum.

VI. Vbi frustra obiicitur ius Dei, & dominium absolutum. Nobis enim de Deo non ex speculationibus humanis, sed ex revelato nobis verbo iudicandum & loquendum est. Odit autem Deus & punitur peccatum, sic etiam peccatores, Psal. 5. v. 5. 6. 7. Psal. 45. vers. 8. Et verax est, ut in promissionibus, sic etiam comminationibus suis, Rom. 3. v. 4. Pugnat igitur cum iustitia Dei & veritate, eumque universa scriptura, Photinianorum illa sententia, de Deo peccata remittente absque interveniente satisfactione. Cui errori ex scripturæ fundamentis hoc theorema opponimus: *Deus nullum peccatum remittit, nisi pro eo sit satisfactum.* Non enim retractat suam voluntatem in verbo revelatam: Anima quæ peccat, morietur.

VII. In eo autem eluxit infinita Dei gratia & misericordia, quod miseris nobis peccatoribus dedit filium suum unigenitum, qui pro nobis legi subjectus, sua obedientia, & morte nos ab æterna morte liberaret, & vitam æternam nobis acquireret, *Ioh. 3. v. 16. Rom. 5. v. 8. c. 8. v. 3. Gal. 2. v. 20. 1. Ioh. 4. v. 9. Gal. 4. v. 4. 5. Dan. 9. v. 24. Ioh. 6. v. 39. 40.*

VIII. Vnde paresçit crassissimus eleuchus oppositorum, quando fingunt Photiniani, simul stare non posse; meram Dei gratiam, & Christi satisfactionem. Cui satis fit, inquiunt, vel a debitore ipso, vel ab alio quopiam illius loco, de eo dici

dici nequit, quod gratis & ex gratia ipsi remiserit. Contra D. Paulus *Rom. 5. v. 8.* Commendat, *inquit*, charitatem suam Deus erga nos, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Et *cap. 8. v. 32.* Deus proprio suo filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? χαρίσεται, ex gratia dabit? Et clarissime, *cap. 3. vers. 24.* justificantur *gratis* per *gratiam* illius, per *redemptionem*, quæ est in Christo Jesu: quem proposuit Deus propitiatorium per fidem *in sanguine* ipsius, ad ostensionem *justitiæ* suæ per *remissionem* præcedentium delictorum, in tolerantia Dei, ad *ostensionem justitiæ* ejus in hoc tempore: ut sic ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Iesu. Ex quo insigni loco hæc eruuntur theoremata Theologica: *In justificatione lucet tum justitia Dei, tum misericordia. Justitia*: quia peccata Deus non dimittit impunita, sed ea punit in proprio filio. *Misericordia*: quia nobis miseris peccatoribus dedit filium suum, ejusque redemptionem acceptat, & propter ipsum peccata nobis remittit. Sic igitur appellata Dei „ gratia & misericordia ipse Christus includitur, si„ ne quo gratia peccatori non præstatur: Et nomi„ nato Christo, sive ipsius obedientia & satisfactio„ ne, ipsa Dei gratia simul comprehenditur, filium „ suum nobis dantis, ut per eum vivamus, *1. Ioh. 4. v. 9.* Quod divinæ justitiæ & misericordiæ temperamentum quando opponitur Photinianis commentis, consistere nullo modo possunt. Opponunt

ponunt enim illi tanquam contraria, adeoque divellunt gratiam Dei & Christi satisfactionem: quæ scriptura arctissime copulat & connectit. Fusior explicatio aliunde petenda est.

VIIII. Christi pro nobis *satisfactionem* negant. *Primo*, quia negant Christi Deitatem, ac proinde pretium meriti. Et hactenus cum illis Nestorianis consentiunt, qui solam humanitatem dicunt passam esse & mortuam. Nam purus putus homo non potest satisfacere infinitæ justitiæ Dei. *Deinde*, quia docent, Christi (tanquam creaturæ) obedientiam fuisse debitam: pro nobis igitur præstitam non fuisse. Quæ eadem est Iohannis Piscatoris sententia, de obedientia vitæ Christi: quam dicit eum debuisse Deo, tum ut creaturam tum ut natum ex familia Abrahami. Quod autem quis pro se ipso debet, illo non potest redimere alium. *Tertio*, quia negant, Deum fuisse hominibus inimicum: quia nimirum dilexerit humanum genus: ac proinde non fuisse opus reconciliatione respectu Dei, sed tantum respectu hominum. Cum igitur Deus dilexerit humanum genus, non fuisse opus aliqua satisfactione, ad gratiam Dei promerendam. Non enim reconciliatur amicus, sed inimicus. *Quarto*, quia docent, Christum sua obedientia sibi ipsi promeritum esse immortalitatem & gloriam. In quo etiam consentit quadantenus Iohannes Piscator, & Iesuitæ. Quod autem sibi ipsi Christus acquisivit, & pro se, id non est ad alios transferendum.

X. Quæ rationes omnes facile colluntur. Nam

1. *primo*, Christi veram Deitatem supra demonstravimus. 2. Neque sola humanitas passa est, sed ipse author vitæ interfectus, & Dominus gloriæ crucifixus est, & Deus suo sanguine Ecclesiam acquisivit, *Actor. 3. 1. Cor. 2. Actor. 20.* Vnde pro secundo patet, Christi obedientiam fuisse voluntariam atque indebitam. 3. *Tertio*, Deum fuisse ab hominibus offensum transgressione mandati, cuivis liquet, legenti caput tertium Geneseos. Opus igitur erat reconciliatione, non Deo apud homines, quos ob peccatum iuste punire poterat; sed hominibus apud Deum, cuius divinam maiestatem violaverant. Vnde loquendi ratio satis est clara, cur homines (tanquam rei) reconciliati dicantur Deo, nimirum offenso. Sic igitur pax est restituta, & sublatæ inimicitiæ, ut in gratiam recepti homines Deo uterentur placato parente, cuius iram provocaverant suis peccatis. Atque sic Deus mundum dicitur dilexisse, non ut peccatum approbaret, vel connivendo impunitum dimittere, vel pro absoluto suo iure condonare vellet: Sed teste ipso Christo, *Iob. 3. v. 16.* ita dilexit Deus mundum, *ut daret filium suum*, nempe in mortem, ut peccata expiaret, & iustitiam reduceret, *Dan. 9. vers. 24. Gal. 4. vers. 4. 5. &c.* Hæc igitur dilectio Dei non tollit in Deo peccati odium, sed commendat gratiam, qui subvenire lapso humano generi, & a peccatis liberare illud voluit. Dilexit nos Deus, inquam, non ut conniveret peccatis nostris, sed ut nos redimeret per filium a maledictione. Quæ dilectio & patri, *Iohan. 3. v. 16.*

v. 16. & filio, *Gal. 2, v. 20.* & Spiritui sancto, *Rom. 3. vers. 5.* assignatur, insigni argumento ὁμοουσίας: ut vociferari desinant Photiniani, plus a nobis Christo, tanquam redemptori, pro nobis mortuo, quam Deo patri deberi, qui passus pro nobis non fuerit. Ad patrem enim omnia sua Christus ipse refert, a quo in hunc mundum missus est: ut dicendum sit ex Apostolo: Qui filium dedit, quomodo non cum illo omnia nobis χαρίσεται, ex gratia dabit? *Rom. 8. v. 32.*

4. Denique quidnam sibi ipsi merebitur in tempore is, qui habet omnia ab æterno? Nam Christus, (ut homo) petit glorificari se ea gloria apud patrem, quam apud eundem (ut Deus) habuit, antequam hic mundus fieret, *Iohan. 17. v. 5.* Quam gloriam non merebatur demum per suam obedientiam, sed ut Deus ab æterno, ut homo per & propter unionem personalem, habebat. Quemadmodum igitur filius Dei natus est homo non sibi, sive pro se, sed nobis, *Esa. 9. v. 6.* sic etiam factus est Salvator non sibi, sed nobis, *Luc. 2. v. 11. 1. Cor. 1. vers. 30.* & legi subjectus non pro se, sed pro nobis, eandem implevit, *Gal. 4. v. 4. 5.* sic passim non pro se, sed pro nobis passus & mortuus legitur. Cumque in officio suo Christus hunc ordinem teneret, ut prius pateretur, & post mortem demum intraret in cœlestem gloriam, *Luc. 24. v. 26.* dicta scripturæ, *Psal. 110. v. ult. & Phil. 2. v. 8. 9. Hebr. 2. vers. 9.* hunc ipsum ordinem describunt: quæ proinde violente torquentur in eum sensum, quasi propter mortis meritum

Christo gloria illa collata fuerit. Describitur enim consequentia ordinis, non causalitatis, ut loquuntur Logici.

XI. Porro Christum verissime satisfeciſſe pro peccatis generis humani breviter sic demonstro: Si 1. nobis miseris hominibus, 2. per peccatum a Deo aversis, 3. & sub ira Dei, 4. maledictione legis, 5. servitute peccati, 6. & potestate Satanæ, 7. morti æternæ obnoxiis, 8. Christus a Deo constitutus & datus est mediator, 9. & redemptor, 10. ut peccata nostra transferret, & reciperet in seſe, 11. & factus pro nobis peccatum, 12. & maledictum, 13. pro nobis solveret, 14. suamque animam daret, λύτρον & ἀντίλυτρον pro nobis, 15. & sic mercaretur nos. 16. pretioso suo sanguine, 17. tanquam victima pro peccatis nostris, 18. & oblatio Deo patri, 19. & ἱλασμὸς pro peccatis nostris, 20. factus nobis a Deo redemptio, & iustitia nostra: 21. ut deleto chirographo, quod adversum nos erat, 22. & contrito serpentis capite, hoc est, victo Diabolo. 23. nos a peccatis sanguine Christi purgati, 24. Deoq; (per peccata a nobis offenso) reconciliati, 25. sublatis inimicitiis, 26. pacem haberemus cum Deo, 27. & liberati ab ira Dei, 28. maledictione legis, 29. servitute peccati, 30. potestate Satanæ, 31. & æterna morte, 32. per Christum in filios adoptaremur, 33. & in ipso hæredes efficeremur vitæ æternæ: Consequens est, Christum pro peccatis nostris vere satisfeciſſe. Prius ita est. Ergo & posterius. Connexionis ratio est per se clara & manifesta. Assumptum probatur ex

ex luculentis scripturæ testimoniis & argumentis.

XII. Nam 1. *nobis miseris hominibus, Genes. 3. vers. 17. & seqq. 2. per peccatum a Deo aversis, Genes. 3. v. 6. 8. Esa. 59. v. 2.* iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret, *Psalm. 5 v. 7.* odisti omnes, qui operantur iniquitatem. 3. *Et sub ira Dei, Ioban. 3. v. ult.* qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei MANET super eum, *Ephes. 2. vers. 3.* Eramus natura filii iræ, 4. *maledictione legis, Deut. 27. vers. ult.* Maledictus omnis, qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit, *Galat. 3. vers. 10. 13.* 5. *servitute peccati, Ioh. 8. vers. 34, Rom. 6. vers. 20.* servi eratis peccati, *1. Petr. 2. vers. 9.* A quo quis superatus est, huic etiam in servitutem est addictus, 6. *& potestate Satanæ, Hebr. 2. vers. 14. 15.* Diabolus habebat mortis imperium in eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti, 7. *morti æternæ obnoxius, Rom. 5. vers. 12.* per peccatum mors, *Gen. 2. v. 17.* Morte morieris, *Ezech. 18. v. 20.* anima quæ peccaverit, ipsa morietur, *Rom. 6. v. ult.* stipendia peccati mors, 8. *Christus a Deo est constitutus & datus mediator, 1. Tim. 2. vers. 5.* Vnus est mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus, *Hebr. 8. vers. 6. c. 9. vers. 15. c. 12. v. 24.* Novi Testamenti mediator. 9. *Et redemptor, Tit. 2. vers. 14.* ut nos redimeret ab omni iniquitate,

Luc. 1. v. 68. invenit redemptionem plebi suæ, *Rom. 3. v. 24.* per redemptionem, quæ est in Christo Iesu *Heb. 6. v. 12. 10. ut peccata nostra debitaque transferret & reciperet in se, Esa. 53. v. 6.* Deus conjecit in ipsum iniquitates omnium nostrum, *vers. 5.* languores nostros ipse tulit, *Iohan. 1. vers. 29.* agnus Dei tollit peccata mundi, *1. Pet. 2. v. 24.* peccata nostra sursum tulit super lignum in corpore suo, *Esa. 43. v. 24.* servire me fecisti in peccatis tuis. Confer typum Christi, hircum emissarium, qui portabat iniquitates Israelitarum, *Levit. 16. v. 20. 11. factus pro nobis peccatum, 2. Cor. 5. v. 21.* Eum qui non noverat peccatum, Deus fecit pro nobis peccatum: nempe impositis ipsi (ut hirco emissario, *Levit. 16. v. 20.*) peccatis nostris, ut ea a nobis auferret. 12. *& maledictum, Gal. 3. v. 13.* Christus non redemit a maledictione legis, factus pro nobis maledictum, 13. *pro nobis solveret, Psal. 69. v. 5.* Quæ non rapui, inquit Messias, exolvi, *Esa. 53. v. 8.* propter prævaricationem populi mei plaga fuit ei, 14. *suamque animam daret λύτρον & ἀντίλυτρον pro nobis, Matth. 20. v. 18. Marc. 10. v. 45.* Filius hominis venit, ut daret animam suam λύτρον pro multis, *1. Tim. 2. v. 6.* Christus dedit seipsum ἀντίλυτρον, pretium redemptionis pro omnibus, *Luc. 1. v. 68. Tit. 2. v. 14. 1. Pet. 1. v. 18. Hebr. 9. v. 15. 15. ut sic mercaretur nos, 2. Petr. 2. v. 1.* negantes Dominum, qui eos mercatus est, 16. *pretioso suo sanguine, 1. Petr. 1. v. 18. 19.* redempti estis non argento aut auro, sed pretioso sanguine agni

agni immaculati & incontaminati, Christi, 17. *tanquam victima pro peccatis, Hebr. 9. v. 26.* semel in consummatione seculorum ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit, *cap. 10. v. 12.* Vnam pro peccatis obtulit hostiam, 18. & *oblatio Deo patri, Ephes. 5. v. 2.* Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis, *Hebr. 9. vers. 14.* Christus per Spiritum æternum semetipsum obtulit immaculatum Deo, 19. & ἱλασμὸς *pro peccatis nostris, 1. Ioh. 2. v. 2.* Christus est propitiatio pro peccatis nostris, & totius mundi, *cap. 4. v. 10.* Deus misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris, *Rom. 3. v. 25.* Christum proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ejus. Confer typum propitiatorium Veteris Testamenti in arca fœderis, *Exod. 25. v. 17. 20. factus nobis redemptio, & justitia nostra, 1. Cor. 1. v. 30.* Christus factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio, *2. Cor. 5. vers. ult.* ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, 21. *ut deleto chirographo, quod adversum nos erat. Col. 2. v. 14.* Christus delevit chirographum, quod erat adversum nos scriptum, 22. & *contrito capite serpentis, hoc est, victo diabolo, Genes. 3. v. 15.* semen mulieris conteret caput serpentis, *1. Ioh. 3. v. 8.* In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli, *Hebr. 2. v. 14.* ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, 23. *nos a peccatis sanguine Christi purgati. Matth. 26. v. 26.* Hoc est sanguis meus, qui effunditur

in remissionem peccatorum, *1. Ioh. 1. v. 7.* Sanguis Jesu Christi, filii Dei, emundat nos ab omni peccato, *Hebr. 9. v. 13. 14. 24. Deoque (per peccata a nobis offenso) reconciliati, Rom. 5. v. 10.* cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus, *2. Cor. 5. v. 18.* Deus nos sibi reconciliavit per Iesum Christum, 25. *sublatis inimicitiis, Eph. 2. v. 16.* ut reconciliet ambos in uno corpore, Deo, per crucem interficiens inimicitiam in semetipso, *Gal. 1. vers. 20. 22. Roman. 5. v. 10. 26. pacem haberemus cum Deo, Eph. 1. v. 14.* Ipse est pax nostra *Col. 1. v. 20.* pacificans per sanguinem crucis ejus, per ipsum, *Esa. 9. v. 6.* princeps pacis, *Rom. 5. v. 1.* pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, *Luc. 2. v. 4.* Gloriam in altissimis Deo, & in terra pax in hominibus beneplacitum, *Ioh. 16. v. 33.* ut in me pacem habeatis, *Gal. 1. v. 3. Eph. 1. v. 2. 27. & liberati ab ira Dei, 1. Thess. 1. v. ult.* Iesus liberavit nos ab ira ventura, 28. *maledictione legis, Gal. 3. v. 13.* Christus nos redemit de maledicto legis, *c. 4. v. 5.* restituta nobis benedictione, *Gal. 3. v. 14.* ut in gentes benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, *Eph. 1. v. 3.* benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, 29. *servitute peccati, Heb. 2. v. 15.* liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti, *Col. 1. vers. 13.* Eripuit nos de potestate tenebrarum, *Ioh. 8. v. 36.* Si vos filius liberarit, vere liberi eritis, 30. *potestate Satana, Act. 26. v. 18.* ut convertantur a tenebris

nebris ad lucem, de potestate Satanæ ad Deum; ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos, per fidem quæ est in me, 1. *Cor.* 15. *v.*24, *& seqq. Col.* 2. *v.* 15. 31. *& æterna morte.* 1. *Cor.* 15. *&* 54. *& seqq. Heb.* 2. *v.*14. *Matt.* 25. *vers.* 32. 32. *per Christum in filios adoptaremur, Eph.* 1. *v.* 5. qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, *Gal.* 3. *v.* 16. *c.* 4. *v.* 5. *Ioh.* 1. *v.* 12. 33. *& in ipso haredes efficeremur vitæ æternæ, Ioh.* 3. *v.* 16. *Rom.* 6. *v. ult. c.* 8. *vers.* 17. *Gal.* 4. *vers.* 17. 1. *Thess.* 5. *v.* 9. *Tit.* 3. *v.* 7. 1. *Ioh.* 1. 11. 12. Vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in filio ejus est.

Veritas igitur conclusionis nostræ immota est, nempe, Christum pro peccatis nostris satisfeciisse. Et diabolica παρρησία est, tam luculenta & manifesta scripturæ divinæ dicta torquere & trahere in sensum plane alienum, & ab Evangelica veritate discrepantem: Nec difficile erit, ex monstratis fundamentis sophismata Photinianorum, quæ magno numero colligere solent, refutare.

XIII. In definitione *fidei* confundunt Photiniani legem cum Evangelio: in qua duo ponunt: *primum*, ut Christo confidamus, *secundum*, ut Deo obtemperemus, non in iis solum, quæ in lege per Mosen lata præcepit, & per Christum abrogata non sunt, verum etiam in iis omnibus, quæ Christus legi addidit: Verba sunt Catecheseos Racovienis, p. 246.

Cum autem videant D. Paulum in tota disputatione de iustificatione, quam accuratissime distinguere fidem ab operibus, & concludere, quod

homo justificetur fide absque operibus legis: Varia conquirunt diverticula, ut discrimen ostendant inter opera legis, & illam, quam vocant, obedientiam mandatorum Christi. Qua parte magna est inter ipsos & Papistas cognatio: cum & hi distinguant inter opera legis, & opera fidei, quæ vocant: itemque fidem aliam dicant informem, aliam formatam, nempe charitate. Sic autem eos breviter refutamus.

XIIII. Si justificans fides, 1. est ex Evangelio & non ex lege, 2. ac proinde opponitur (in articulo justificationis) generatim omnibus operibus, quæ in lege præscribuntur, 3. quo modo etiam operibus opponitur gratia. 4. ut omnis gloriatio hominum excludatur, 5. ac denique fides accurate distinguitur a fructibus spiritus in hominibus renatis, 6. ejusque proprium est, Christum in Evangelica promissione oblatum fiducialiter apprehendere, quod operibus nullo modo tribui potest: Consequens est, fidem definiri non posse per obedientiam mandatorum legis. Ratio connexionis certa est. Nihil enim definitur per suum oppositum, sive per effectum, ut nimirum unum de altero, tanquam genus de sua specie, in casu recto prædicetur.

Atqui *justificans fides, 1. est ex Evangelio, & non ex lege, Rom. 3. v. 21.* Sine lege justitia Dei manifestata est, testificata a lege & prophetis, v. 22. justitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt, *Gal. 3. v. 11. 12.* Quod in lege nemo justificetur, manifestum est: quia

quia justus ex fide vivet. Lex autem non ex fide: sed qui fecerit ea, vivet in eis, 2. *Ac proinde opponitur (in articulo justificationis) generatim omnibus operibus, quæ in lege præscribuntur. Rom. 3. vers. 20.* Ex operibus legis non justificatur omnis caro, *vers. 28.* justificatur homo fide, absque operibus legis, *cap. 4. v. 5.* Non operanti, sed credenti imputatur fides ad justitiam, *v. 6.* Deus imputat justitiam sine operibus, v. 13. non per legem, sed per justitiam fidei. 3. *Quo modo etiam operibus opponitur gratia, Rom. 11. v. 6.* Si ex gratia, jam non ex operibus. Alioqui gratia jam non est gratia, *Eph. 2. v. 8. 9.* Salvari estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei donum est: non ex operibus, ne quis glorietur. 4. *Vt omnis gloriatio hominum excludatur* Ibidem: *& Rom. 3. v. 27.* Gloriatio exclusa est, non per legem factorum, sed per legem fidei, *cap. 4. v. 2. 1. Cor. 1. v. ult.* 5. *Ac denique fides accurate distinguitur a fructibus Spiritus, in hominibus renatis, Gal. 5. vers. 22. Matth. 7. vers. 17.* Sic *Gal. 5. vers. 6.* dicitur fides operari per charitatem. Et alibi passim fides a dilectione distinguitur, *1. Cor. 13. vers. ult. 1. Thess. 1. vers. 3. ad Philem. v. 6.* 6. *Ejusque proprium est, Christum in Evangelica promissione oblatum fiducialiter apprehendere: quod operibus tribui nullo modo potest. Iob. 1. vers. 12.* Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui credunt in nomen ejus, *Gal. 3. v. 14.* ut promissionem Spiritus accipiamus per fi-

dem, *Heb. 9. v. 15.* ut ii, qui vocati sunt, promissionem accipiant æternæ hæreditatis.

Ergo fides non potest definiri per obedientiam mandatorum legis.

XV. Quare tenendum est discrimen inter obedientiam geminam: quarum una legis dicitur, altera fidei. De priori exempla passim obvia sunt. De posteriori sic loquitur Spiritus sanctus, ut dicat, patefactum esse Evangelium ad *obedientiam fidei, Rom. 16. v. 26.* nempe ut omnis intellectus captivetur sub *obsequium Christi, 2. Cor. 10. v. 5. ad obediendum fidei, Rom. 1. v. 5.* ut *obediatur Evangelio, Rom. 10. v. 16. 2. Thess. 1. v. 8. D.* Petrus conjungit hanc obedientiam, & aspersionem sanguinis Christi, *1. Petr. 1. v 2.* Summatim igitur, obedientia Evangelii seu fides est credere in Christum: obedientia legis sive mandatorum, est facere, quæ in lege mandata sunt. Quantum igitur ab Evangelio lex distat, tantum hæc obedientia ab illa disterminatur. Confundi ergo non debent.

XVI. Pro coronide attexam syllogismum, quo demonstratur, bona opera non esse admiscenda fidei in negotio justificationis. Vbi illud præmitto, opera ante justificationem, hoc est sine fide facta, non posse dici bona: quia quicquid ex fide non est, peccatum est. *Rom. 14. v. ult.* & impossibile est, sine fide placere Deo, *Hebr. 11. v. 6.* Quare de illis non est nobis hic laborandū. Quæritur ergo, an bona opera hominum renatorum concurrant cum fide ad hominis justificationem.

Quod

Quod a nobis ex fundamentis Evangelicis negatur. Nam: Si fides iustificans, 1. est medium sive instrumentum unicum, per quod apprehenditur oblata nobis in Evangelio Christi justitia, hoc est, obedientia divinæ legi pro nobis præstita: 2. & gratia Dei, propter Christum peccata nobis remittentis: 3. eaque fides est ex Evangelio, & non ex lege. 4. ac proinde opponitur generatim operibus legis: 5. etiam hominum renatorum: 6. ad quæ sumus conditi in Christo Jesu: 7. ut soli Deo omnis gloria tribuatur: 8. & excludatur hominum gloriatio: 9. & ut certa sit promissio: 10. nihilque alienum assuatur divinæ gratiæ: 11. & Christi merito: 12. neque cum fide confundantur, opera charitatis ab ea distincta: 13. neque pro eodem habeantur ipsa justificatio peccatoris, & fructus justificati hominis: 14. & ut recte contradicetur pseudo-apostolis, fidei opera legis commiscentibus: 15. & absurda plurima vitentur: Consequens est, bona opera non concurrere cum fide ad hominis justificationem. Prius autem affirmatur in scripturis. Ergo & posterius.

Assumptum probo: *Fides iustificans, 1. est medium sive instrumentum unitum, per quod apprehenditur oblata nobis in Evangelio Christi iustitia, hoc est, obedientia divinæ legi pro nobis præstita.* Nam relata sunt promissio & fides, ut constat ex supra dictis. Et hoc loco offertur in Evangelio remissio peccatorum per & propter Christum: uti liquet ex tota Apostolica disputatione: 2. *Et gratia Dei propter Christum peccata nobis remittentis,*

Rom.

Rom.3.4. Gal.2.3. Eph.2. 3.*eaque fides est ex Evangelio, & non ex lege Rom.3.v.21.22. Gal.3.v.11.12.* 4.*ac proinde opponitur generatim operibus legis, Rom.3.v.20.28.cap.4.vers.5.6.13.Gal.2.v.16.* 5.*etiam hominum renatorum*, ut Abrahami in medio cursu pietatis, *Rom.4.v.* 2.3.4. & Davidis, *vers.*5. 6.7. Apostoli Pauli, *1.Cor.4.v.4.* nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. 6.*ad quæ sumus conditi in Christo Iesu. Eph.2.v.8.9.10.* Vbi nexus argumenti Paulini diligenter considerandus est: Salvari estis, inquit, per fidem, non ex operibus, ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu ad bona opera, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus, 7.*ut soli Deo omnis gloria tribuatur, Ephes.1.v.6. 1.Cor.1.v.ult. Rom.4.v.2.* 8.*& excludatur hominum gloriatio, Rom.3.v.27. cap.4.v.2. Eph.2.v.8.9.* 9.*& ut certa, sive firma, sit promissio, Rom.4.v.16.* Ideo ex fide, ut secundum gratiam, ut sit firma promissio. Vbi nota fundamentum contra dubitationem Papisticam, 10.*nihilque alienum assuatur divinæ gratiæ.* Quam in hoc argumento sic commendat Apostolus, ut ei semper opera nostra opponat, *Rom.3.v.24.28.cap.11.v.6. Ephes.2.v.8.9.* 11.*Et Christi merito*; Qui solus calcavit torcular, & de populis non fuit vir cum eo, *Esa.63.v.3.* solus est redemptor, solus est agnus Dei portans peccata mundi, &c. Vnde D.Paulus infert, *Gal.5.v.24.* iis Christum nihil prodesse, qui ex lege volunt justificari, 12.*neque cum fide confundantur opera charitatis, ab ea distincta, Galat.5.v.6. Matth.7.v.17.*

Gal.

Gal.5. v. 22. Tametsi enim arcte cohærent fides, charitas & spes: suam tamen quæque propriam retinet definitionem. Solius igitur fidei est apprehendere promissionem. Quæ proprietas charitati non convenit. 13. *neque pro eodem habeantur ipsa justificatio peccatoris, & fructus justificati hominis.* Differunt enim ut arbor, & fructus. Vt ergo fructus non constituunt arborem, sed ex arbore nascuntur: ita opera non justificant peccatorem, sed ab homine justificato eduntur. 14. *Et ut recte contradicatur Pseudo-Apostolis, fidei opera legis commiscentibus.* Contendebant enim, præter fidem in Christum etiam requiri observationem legis, & sine hac salvari neminem posse, *Actor.15.v.1.5. Gal.2. v.16. & seqq.* Quibus opponebant Apostoli talia fundamenta, ut dicerent non per legem, sed per Dei gratiam, non ex operibus, sed in fide Christi, nos salvari, *Actor.15. v.10.11. Gal. 2.v.16. &c.* 15. *Et absurda plurima vitentur*: quæ oriuntur ex confusione legis & Evangelii: & ex commixtione gratiæ divinæ, & operum humanorum, item ex assumento operum ad Christi obedientiam, denique ex infirmitate carnis ad implendam divinam legem, &c. 16. Si breviore linea conficere velis, pone in circulo justificationis causas ab Apostolo notatas, *Rom.3.* quæ sunt, 1. gratia Dei, 2. meritum Christi, 3. & fides. Porro idem Apostolus opera opponit gratiæ, *Rom.11. v.6. Eph. 2.v.8.9.* item merito Christi, *Gal.5.v.2.4.* & fidei, *Rom.3.v.28. cap.4.v.5. &c.* Quare opera hominum circulum justificationis non ingrediuntur.

17. Val-

17. Valde est efficax argumentum D. Pauli, *Rom. 7. v. 14.* Lex est spiritualis. Homo non est spiritualis. Ergo non potest implere legem. Vbi propter Photinianos, & alios quosdam, hunc locum misere corrumpentes, accurate notanda est vera illius termini explicatio. Vocatur ibi homo *spiritualis*, qui totus, sive ex toto, regitur a spiritu, sine lucta carnis: qui sic totus est voluntati divinæ conformis, ut nihil quicquam in eo contrarium reperiatur. Qualis fuit Adam ante lapsum, & quales futuri sunt electi in vita æterna. Talem enim obedientiam lex (quæ ideo & ipsa spiritualis dicitur) requirit, ut totus homo ex omnibus viribus, sine ulla repugnantia, diligat Deum & proximum. Quam obedientiam cum Paulus ipse præstare non posset, vocat se *carnalem* (non ex toto: Nam qui toti carnales sunt, illi non pugnant adversus carnem, sed desideriis carnis obsequuntur, & peccatis indulgent, *Rom. 8. vers. 5. 8. 13.* verum ex parte) quia experitur in seipso luctam carnis adversus spiritum: quam luctam graphice multis describit, *cap. 7. v. 15. & seqq.* Similique sensu dicit se *venundatum sub peccato*: nimirum propter adhærentem pravitatem naturæ, qua subinde infestabatur, tanquam a quodam tyranno, a cuius potestate ut eximeretur, magno studio annitebatur, sed expellere tamen penitus in hac vita non potuit: de quo anxie conqueritur, *vers. 24.* Infelix ego homo, *inquit*, quis me liberabit de corpore mortis huius? Discant hinc justitiarii, possintne D. Pauli superare sanctitatem,

tem, & ſtudium in implenda lege, & eradicando peccato, ut nullam ſentiant luctam carnis adverſus ſpiritum. Quod præſtare qui non valent, fruſtra diſputant legem a ſe impleri poſſe.

ARTICVLVS V.

DE MINISTERIO VERBI ET SACRAMENTORVM.

HOminem peccatorem non niſi fide in Chriſtum juſtificari, docuit articulus quartus: ſequitur nunc de medio ſive inſtrumento, per quod fides hominibus confertur & in eis conſervatur: nempe de miniſterio Evangelii, & Sacramentorum. Verba Confeſſionis ita habent:

Vt hanc fidem conſequamur, inſtitutum eſt miniſterium docendi Evangelii, & porrigendi Sacramenta.

Nam per Verbum & Sacramenta, tanquam per inſtrumenta, donatur Spiritus ſanctus, qui fidem efficit, ubi & quando viſum eſt Deo, in iis qui audiunt Evangelium, ſcilicet, quod Deus non propter noſtra merita, ſed propter Chriſtum, juſtificet hos qui credunt, ſe propter Chriſtum in gratiam recipi.

Damnant Anabaptiſtas, & alios, qui ſentiunt Spiritum ſanctum contingere ſine

sine verbo externo hominibus, per ipsorum præparationes & opera.

I.

Desumptus est hic quintus articulus ex capite septimo inter 17. illa, quibus doctrinam Christianam complexus est D. Lutherus non multo ante Comitia Augustana, ut supra ostendimus: cuius verba ita habent Tom. V. Ienensi, fol. 15 p. 1. edit. Anno 75. Solchen Glauben zu erlangen / oder uns Menschen zu geben / hat GOtt eingesetzt das Predigampt oder mündliche Wort / nemlich das Evangelium / durch welches er solchen Glauben und seine Macht / Nutz und Frucht verkündigen lässet / und gibt auch durch dasselbige / als durch ein Mittel den Glauben mit seinem heiligen Geist / wie und wo er will / sonst ist kein ander Mittel noch Weise / weder Weg noch Steg den Glauben zu bekommen. Denn Gedancken ausser oder für dem mündlichen Wort / wie heilig und gut sie scheinen / sind sie doch eitel Lügen und Irrthumb.

II.

Iudicium Papistarum.

Caroli Cæsaris & Catholicorum (Papisticorum) Principum ad Articulum quintum responsio ita habet: In articulo quinto, quod Spiritus sanctus per verba & Sacramenta detur, tanquam per instrumenta, comprobatur. Sic enim scriptum habetur. Actor. 10. Adhuc loquente Petro Verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui

qui audierunt Verbum. Et *Ioh. 1*, Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Quod autem fidei mentionem hic faciunt, eatenus approbatur, quatenus de fide non sola (ut aliqui male docent) sed quæ per dilectionem operatur (ut Apostolus recte docet, *Galat. 5.*) intelligatur. In Baptismo enim non sola fides, sed & spes charitasque simul infunduntur, ut declarat Alexander Papa C. majores, de Baptismo, & ejus effectu. Quod & ante longe docuit Iohannes Baptista, de Christo loquens, *Luc. 3.* Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne.

Andreas Fabricius *magni erroris arguit hunc articulum, nempe Pelagianismi: quia doceamus, hominem se fide ad Deum posse erigere, cujus virtute Spiritus sanctus detur: & opponit variatam editionem prima, tanquam dissentientem.*

Cui breviter respondeo, nos Augustanam Confessionem non agnoscere aliam, quam quæ fuerit Augustæ, Anno 1530. Carolo V. exhibita. Deinde non pugnant illa, Spiritum sanctum efficere in hominibus fidem; nempe per ministerium Evangelii; & Spiritum sanctum dari credentibus, & fide nempe ratione augmenti, & obsignationis, atque sic fide nos accedere ad Deum: id quod infra explicabimus. Non autem docemus, fidem esse ex viribus nostris, sed esse donum Dei. Quomodo vero Papistæ hic Pelagianizent, clare ostendemus suo loco.

Iohannes a Daventria *multa desiderat in hoc articulo.* 1. *Negat ministerium porrigendi Sa-*

M cra-

cramenta institutum esse, ut assequamur fidem: quia, inquit, non recte & salubriter Sacramenta porrexeris, nisi prius credenti.

Cui hoc loco tantum oppono baptismum infantum, & locum. *Hebr. 4. v. 2.*

II. Deinde exagitat tanquam contraria, quod Lutherus negat, per Sacramenta dari gratiam, & Confessio affirmat, per Sacramenta donari Spiritum sanctum.

At D. Lutherus contra Scholasticos negat per Sacramenta dari gratiam, nimirum tanquam per opus operatum: non autem negat, sed potius constanter asserit, sacramenta esse organa Spiritus sancti, & per illa fidem accendi & confirmari.

III. Tertio reprehendit Verba illa: Efficit fidem, ubi & quando visum est Deo, in iis, qui audiunt Evangelium: Quæ dicit esse obscura, ut non possint intelligi.

Peccat autem Elencho divisionis & compositionis. Hic enim sensus est illorum verborum. 1. Deum per ministros suos Evangelium prædicare, non uno eodemque tempore omnibus omnino locis, sed ubi & quando ipsi visum est: quemadmodum dicitur, *Iob. 3. v. 8.* Spiritus ubi vult spirat: id quod perspicue intelligi potest ex actis Apostolicis. 2. Deinde Deum accendere fidem, non in iis qui verbum non audiunt, sed contemnunt, vel etiam obiter auditum mox amittunt, vel spinis voluptatum suffocant, &c. Verum in iis tantum, qui audiunt Verbum, nempe cum studio discendi: sicut ostendit exemplum Iudæorum

rum contradicentium Apostolis, & Verbum gratiæ repellentium, & gentium, quæ audiebant, & glorificabant sermonem Domini, eumque cum gaudio susciebant. Actor. 13. v. 46. 48. Nam auditus verbi non est causa meritoria fidei, neque ex sese, & per sese, fidem efficit (alioquin omnes Evangelium audientes converterentur) sed Spiritus sancti efficaciam, qui dat incrementum, plantationi & rigationi, *1. Cor. 3, v. 7.*

Quarto vociferatur, malam esse causam, ob quam damnantur Anabaptistæ: Quia inquit, Spiritus sanctus etiam datur sine externo verbo, nempe per verbum internum: quod non est infirmius externo: Idemque repetit Iohannes Hoffmeisterus, pag. 54, col. 1.

Respondeo, agi hic de ordine divinitus instituto ad fidem in nobis generandi: cui non debent opponi exempla extraordinaria. Affirmare autem, quod ordinarie Deus fidem accendat absque verbo externo, est aperte Enthusiasticum, & totum ministerium Evangelii & Sacramentorum evertit. Nam quod ex Scholasticis dicit Hoffmeisterus, gratiam non esse alligatam Sacramentis, id nos de causa extremæ necessitatis accipimus, ubi locum habet regula: *Non privatio, sed contemptus Sacramenti damnat:* item respectu Dei, qui non est Sacramentis alligatus: nos autem sumus alligati ad observandum ordinem divinitus nobis præscriptum.

Denique de præparationibus, & operibus multa disputant Iohannes a Daventria, & Hoffmeisterus,

rus, ex Schola Pelagii: de quibus aliquid dictum fuit in articulo quarto. Non possum autem, quin adscribam pro coronide verba Hoffmeisteri, quibus hunc locum concludit, p. 56. col. 2. *Qui sunt Filii pacis*, inquit, *& almæ concordiæ, & qui tranquillitatem quærunt Ecclesiæ, nec hunc articulum quidem explodunt. Meo quidem iudicio magis adversatur opinionibus Zwinglianorum & Anabaptistarum, qui adhuc nolunt cristas ponere, quam nobis, quas per contemptum Pontificios vocant.* Hactenus ille. Ex quibus apparet, non omnium Papistarum eandem esse de hoc Articulo sententiam. Bellarminus certe videri vult acriter disputare adversus Schvvenckfeldium, & Libertinos lib. 1. de verbo Dei, cap. 1. 2. 3. quem alii nonnulli sequuntur: sed de iis postea videbimus in Antithesi.

III.

EXPLICATIO.

Summa articuli huius est de fine, virtute, & efficacia ministerii verbi, & Sacramentorum. Cuius duæ sunt partes. Prior θέσιν proponit Veræ sententiæ: posterior ἀντίθεσιν, sive ἀναίρεσιν doctrinæ heterodoxæ.

THESIS hæc est:

Spiritus sanctus efficit fidem per verbum & Sacramenta, tanquam per instrumenta.

I. In qua notantur causæ fidei iustificantis, Princeps & instrumentalis. *Princeps*, Spiritus sanctus. *Instrumentalia* gemina, verbum & Sacramenta. Quæ consideratur, tum ut *offerens* & *ex-*

exhibens respectu Dei: tum *ratione applicationis*, respectu hominum. Nam Spiritus sanctus per ministros suos Evangelium annunciat: quod homines cum studio discendi debent audire & meditari: & Sacramenta dispensat, quæ homines debent usurpare, lavando in baptismo, & manducando atque bibendo in S. Cœna.

II. *Summa Evangelii* etiam explicatur: nempe quod Deus non propter nostra merita, sed propter Christum iustificet hos qui credunt, se propter Christum in gratiam recipi. De quo argumento dictum est articulo quarto. De Sacramentorum usu ex professo tractat artic. 13.

III. Ante omnia tenendum, ministerium Evangelii institutum esse ab ipso Christo: unde eius authoritas & dignitas æstimanda est. Quæ institutio describitur, *Matth. 10. v. 1. cap. 28. v. 18. 19. 20. Marc. 3. v. 14. c. 16. v. 1. Luc. 6. v. 13. c. 24. v. 47. Ioh. 20. v. 21. Actor. 1. v. 8. cap 2. v. 3.* & passim alibi. Hinc Apostoli, & omnes fideles doctores appellantur *servi Christi*, qui pro Christo funguntur *legatione*, 2. *Cor. 5. v. 20.* Dei cooperarii, *Cor. 3. v. 9.*

IV. Deinde vocatur *ministerium Spiritus*, 2. *Cor. 3. v. 6. 8.* non solum quia Spiritus sanctus una cum Patre & Filio illud instituit, verum inprimis etiam, quia Spiritus sanctus, tanquam sanctificator (quo opere in symbolo Apostolico insignitur, ut artic. 1. vidimus) singulari sua gratia huic ministerio adest, ei benedicit, & per illud efficaciter operatur: in quo ipso ministerio Spiritus sanctus nobis offertur, exhibetur & confertur, accensa in

nobis fide &c. Vnde virtus & efficacia ministerii existimanda est: quæ tota refertur ad Spiritum sanctum, non tamen immediate, sed per verbum & Sacramenta operantem. Vbi scripturæ divinæ phrasis diligentissime observanda est. Nam verbum Evangelii insignibus Elogiis exornatur: quæ diligenter annotata, vide apud D. Chemnitium in locis Theol. part. 2.

V. Patet hinc 1. *Ministerium Evangelii æstimandum esse ex Deo, qui illud instituit*: 2. *Adesse illis Spiritum sanctum, & per illud efficaciter operari.* 3. Ac proinde quæ illi virtus, dignitas & efficacia tribuitur, eam non esse qualitatem aliquam in creaturis sive hominibus, sed esse vere divinam, ac proinde ipsi Deo, cuius nomine & authoritate omnia fiunt, quæ ad ministerium pertinent, transscribendam.

VI. Vbi rursum nota scripturæ tum testimonia, tum exempla. Nam vocatur *Evangelium potentia Dei*, nempe ordinata, in annunciatione Christi, ad salutem omni credenti: aut, si ita mavis, ordinatio Dei, vel medium & instrumentum, (in quo, & per quod potentia Dei sese efficaciter exerit & declarat,) salvos faciendi omnes, qui credunt in Christum, *Rom. 1. v. 16.* Sic 2. *Cor. 10. v. 4.* dicuntur arma militiæ nostræ δυνατὰ τῷ θεῷ, hoc est, *divinitus valida*, vel per quæ Deus ipse potens & efficax est in nobis, ad destructionem munitionum, &c. 1. *Cor. 1. vers. 21.* placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Vbi *stultitia prædicationis* vocatur

κατὰ

κατὰ δόξαν, secundum opinionem & iudicium sapientum huius seculi, ut ostenditur, vers. 23. Sic *Iohann. 17. v. 17.* orat Christus: Sanctifica eos, o pater, in veritate tua. Sermo tuus veritas est. Et v. 10. Non pro eis rogo tantum, sed & pro istis, qui crediturisunt *per verbum eorum* in me. Nam fides est ex auditu, *Rom. 10. v. 17.* auditus autem per verbum Dei, *Actor. 11. v. 14.* dicitur Petrus locuturus Verba, *in quibus vel per quæ* salvus futurus sit Cornelius, & tota ipsius domus. Nam D. Paulo teste 1. *Thess. 2. vers. 13. verbum Evangelii* non est verbum hominum, sed *ipsius Dei*, qui operatur in vobis, qui credidistis.

VII. Hinc igitur dicimur regigni *per* Evangelium Filii Dei, 1. *Cor. 4. v. 15.* idque ministerio eorum, qui Evangelium docent, sicut ibi loquitur D. Paulus: In Christo Iesu, inquit, *per* Evangelium vos genui. Et 1. *Tim. 4. v. ult.* Hæc faciens (quæ in officii tui partibus tibi præscripsi) & teipsum salvum facies (Evangelium meditando, & per illud in Christum credendo) & eos, qui te (fideliter docentem) audiunt. Et D. Petrus 1. *Epist. 1. v. 23.* ait renatos non esse *per* verbum Dei vivum, quod permanet in æternum. Per idem verbum fide perceptum accipimus Spiritum sanctum, *Galat. 3. v. 2.* & reddimur cohæredes & concorpores, atque consortes promissionis in Christo, *Ephes. 3. vers. 6.*

VIII. Exempla vide, *Actor. 2. v. 37.* auditorum Petri, *cap. 8. vers. 35. 37.* Eunuchi reginæ Candaces,

Actor. 10. v. 44. Cornelii & domesticorum, *c. 11. v. 20. 21.* Antiochenorum, *Actor. 16. v. 14.* Lydiæ, *cap. 19. v. 4. 5.* Ephesinorum, *Actor. 28. v. 24.* Judæorum quorundam in urbe Roma. &c.

VIIII. Eodem modo *de Sacramentis* scriptura testatur, Deum *per* illa efficaciter operari, *Actor. 2. v. 38. c. 22. v. 16. Rom. 6. v. 3. Gal. 3. vers. 27. Eph. 5. v. 26. Tit. 3. v. 5. Ioh. 3. v. 5. 1. Petr. 3. v. 21. 1. Cor. 10. & 11. capp.* De quo fusius infra videbimus in explicatione artic. 13.

X. Ex his, quæ diximus, agnoscitur *immensa Dei sapientia & bonitas*, per prædicationem Evangelii, & dispensationem Sacramentorum a se institutorum, vocantis nos ad divinæ gratiæ communionem ministerio hominum ad istud officium ordinatorum. Non enim agit nobiscum immediate (loquor de ordine in Ecclesia constituto) neque per angelos, quos tamen ipsos scriptura etiam vocat administratorios Spiritus, *Hebr. 1. v. ult.* sed per homines, nostros fratres, ut ipsorum ministerium nobis sit familiarius, & in promptu eos habere possimus, ubi opus est.

XI. Vt igitur thesin hanc concludamus, *omnis ministerii Evangelii, & Sacramentorum virtus, dignitas, atque efficacia ad Deum referenda est, tanquam causam principem*: ipsum vero ministerium est causa instrumentalis sive medium, per quod Deus in nobis efficaciter accendit & confirmat fidem: & propter & per illud ministerium sibi impositum ipsi etiam precones Evangelii, dispensatores Sacramentorum, ad Christi fidem nos perducere

ducere dicuntur: ubi tamen nihil humanis viribus, sed omnia divinæ sapientiæ, potentiæ, & ordinationi transscribuntur: ita tamen, ut subordinatas illas causas agnoscamus, non autem sibi invicem opponamus, quippe cum conjungantur in effectu illo fidei producendo, sicut ex scripturæ luculentis testimoniis apparet. Nam. *1. Cor. 3. vers. 9.* Apostoli dicuntur *συνεργοὶ cooperarii Dei, Roman. 15, v. 18.* Non ausim quicquam loqui, inquit D. Paulus, quod non *effecerit Christus per me*, 1. *Corinth. 4. v. 15.* Apostoli dicuntur ministri, *per quos* credimus. 1. *Cor.* 15. *v*, 10. Amplius quam illi omnes laboravi; non ego tamen (ex meis viribus) sed gratia Dei, quæ mihi adest, *ἡ σὺν ἐμοὶ, Galat. 2. v. 8.* Deus efficax est per Paulum erga gentes, *Matth. 10. v. 20.* Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.

XII. Eodem modo de Sacramentis habendum est, eorum dispensatores esse Ecclesiæ ministros, ipsum autem Deum esse, qui per illa efficaciter in nobis operetur. In his enim conveniunt verbum & Sacramenta: 1. *Essentia.* Utrumque enim est medium a Deo ordinatum, ad fidem in nobis ingenerandam. 2. *Efficiente principe:* Utriusque enim auctor est ipse Deus. 3. *Necessitate & efficacia.* Utrumque enim est necessarium nobis propter ordinem divinitus institutum: & per utrumque Deus est efficax. 4. *Fine communi.* Utrumque enim pertinet ad fidem in nobis excitandam & confirmandam. 5. Eorumque vis nec

ad tempus, nec locum, nec certum hominum ordinem cogi potest.

XIII. Et hactenus quidem de mediis fidei, respectu Dei: aliquid nunc addendum est *de applicatione:* quæ in eo spectatur, ut verbum prædicatum nos audiamus, & meditemur, & Sacramenta usurpemus. Vbi si quæras, possitne homo ex suis viribus audire Evangelium, & Sacramentis uti? respondet sacra scriptura diserte, hominem ψυχικὸν animalem, nondum renatum, posse de Deo cogitare, *Roman. 1. v. 21.* scripturam legere, *2. Cor. 3. v. 14.* audire verbum Dei, *Actor. 17. v. 20.* & quidem ἡδέως libenter, seu cum voluptate, *Marc. 6. vers. 20. Vide etiam Actor. 26. vers. 1. & seqq.* loqui de Deo, *Psalm. 50. vers. 16.* scrutari scripturam, *Iohan. 5. vers. 39.* eamque evolvere, *Actor. 17. vers. 17.* habere Zoelum, sed non secundum scientiam, *Rom. 10. vers. 2.* Exempla passim occurrunt, tum Judæorum in Veteri Testamento, & quorundam gentilium, tum in Novo Testamento: ubi ad Christi conciones multi conveniunt auditores: & Apostolos audiunt Philosophi, & alii, itemque primitivæ Ecclesiæ doctores multi paganis Evangelium prædicarunt, ut testantur historiæ. Quin etiam Amos famem verbi divini tribuit Judæis, *cap. 8. vers. 11. 12.* Sic *Luc. 13. vers. 24.* multi quærent intrare, & non poterunt, *Actor. 13. vers. 7.* de Sergio proconsule dicitur, quod desiderarit audire verbum Dei. Et *cap. 24. vers. 24.* Veniens Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Judæa, vocavit Paulum, & audivit ab eo fidem,

fidem, quæ est in Christum. De hypocritis testetur experientia, frequentes eos esse in Ecclesia, & interdum valde occupari circa externum Dei cultum. Potest hoc totum ζήτημα pulcherrime illustrari exemplo Augustini, cum adhuc esset Manichæus, qui de sese scribens lib. 5. Confess. cap. 13. Veni Mediolanum, inquit, ad Ambrosium Episcopum, & studiose audiebam disputantem in populo, non intentione, qua debui, sed quasi explorans ejus facundiam, &c. Rerum autem incuriosus & contemptor adstabam, & delectabar svavitate sermonis, &c. Et cap. 14. Cum non satagerem discere, quæ dicebat, sed tantum quemadmodum dicebat audire (ea quippe mihi jam desperanti ad te viam patere homini, inanis cura remanserat) veniebant in animum meum simul cum verbis, quæ diligebam, res etiam, quas negligebam. Neque enim ea dirimere poteram. Et dum cor aperirem ad decipiendum (*forte rectius legitur: percipiendum,*) quam diserte diceret, pariter intrabat, & quam vere diceret, gradatim quidem. Et reliqua quæ ibi sequuntur.

XIIII. Cave hinc inferas, posse hominem ex suis viribus ad Dei gratiam se applicare, & afferre aliquid ad sui conversionem. Non enim est currentis, neque volentis, sed miserentis Dei, *Rom. 9. v. 16.* Externa enim illa sunt media, quibus quicquid tribuitur, totum dependet a Dei misericordia. Neque vel in auribus hominis, vel animo, illa

illa virtus est & efficacia, ut possit ad Deum homo converti: cum multi audiant Dei verbum, qui tamen non convertuntur, obstante nimirum ipsorum sive contumacia, sive securitate, sive aliis impedimentis. Et accurate illud tenendum est, *prædicationis Evangelicæ initium penes Deum esse, non penes homines.* Nisi enim in messem suam operarios extrudat Dominus, nemo est, qui Evangelium doceat: ac proinde audire illud nemo potest, Deus igitur est, qui vocat nos per suos ministros. Quos audire quilibet potest, non minus quam historicum aliquem aut philosophum. In ipso vero auditu Evangelii efficax est Spiritus sanctus: ut quæ inde effecta sequuntur salutaria in homine, non ipsi homini, sed Deo in solidum sint adscribenda. Homo enim tantum audit (quæ facultas est naturalis) Deus autem in homine per verbum agit: ejusque mentem divina luce collustrat, & movet cor ad assentiendum, sicut eleganter ostendit exemplum Augustini jam prolatum, adeoque omnium eorum, qui in adulta ætate per prædicationem & auditum Evangelii ad Deum convertuntur. Confer parabolam Christi, *Matth. 13. vers. 3. & seqq. & Hebr. 4. vers. 2.* Cur autem auditorum aliqui convertantur, aliqui indurentur, exponemus infra ad articulum 7. & 8. & de thesi hactenus.

IV.

ANTITHESIS.

Damnant Anabaptistas & alios, qui sentiunt Spi-

Spiritum sanctum contingere sine verbo externo hominibus, per ipsorum præparationes & opera.

Pugnant igitur cum hoc articulo I. Manichæi *fingentes purgari hominem & liberari per certa ciborum genera, quibus admixta sit divina substantia, & per certa quædam exercitia. De quibus vide Augustinum Tomo 6. distinctis tractatibus.*

II. Enthusiastæ *veteres sive* Messaliani: *de quibus ita scribitur in tripartita historia Ecclesiastica, lib. 7. c. 11. Ea tempestate (Anno Christi 371.) Messalianorum, quos εὐχήτας, id est, Orantes appellant, hæresis est exorta. Vocantur autem & alia appellatione ἐνθουσιαστὰι, id est, sacrificatores (rectius afflati & divini, ἔνθεος quasi ἔνθεος: unde ἐνθουσιάζεσθαι, rapi divino numine.) Hi enim cujusdam dæmonis operationem expectant, & hanc Spiritus S. præsentiam arbitrantur. Qui vero integro hujus rei languore participantur, aversantur operationem manuum velut malam, somnoque semetipsos tradunt, & somniorum phantasias Prophetias appellant. Vide iisdem Nicephorum,* lib. 11. c. 14.

III. Enthusiastæ *novi, nimirum* Anabaptistæ: *de quibus vide Sleidanum l. 10. Comment. Quibus hac in parte associatur* Andreas Carolstadius *certaminis Sacramentarii tuba & fax: &* Caspar Schvvenckfeldius *nobilis Silesius, & qui ipsum sequuntur, Weigeliani & Rosæcruciani.*

IIII. Andreas Fabricius, *in harmonia Augustanæ Confessionis scribens, Spiritum sanctum etiam dari sine externo verbo, nempe per Verbum internum.*

num. Quem sequitur Iohannes Hoffmeisterus. *Nec obstat, quod* Bellarminus *lib. 1. de verbo Dei, c. 1. & 3. disputat adversus Schwenckfeldium, & Libertinos, (insignem istam sectam inter Anabaptistas) & impudentissimum vocat mendacium Lutheri & Calvini, errorem illum Romano-Pontifici adscribentium. Apertissima enim sunt verba Fabricii & Hoffmeisteri, qua negari non possunt.* Et quam honorifice de scriptura sacra sentiant Pontificii, ostendunt ipsorum verba & facta. Ex manibus enim Laicorum, quos vocant, jam pridem sacra Biblia excusserunt, ut constat. Et scripturam appellant cereum nasum, Lesbiam regulam sive plumbeam, literam mortuam, in qua nihil sit divinitatis, cujus firmitas tota dependeat ab Ecclesiæ Romanæ, vel Pontificis determinatione & authoritate, quæ si absit, non plus eam valere, quam fabulas Aesopi: Quas, & similes, appellationes ex Papisticis scriptoribus propositas vide, si libet, in Apologia nostra primæ disputationis Anti-pistorianæ pag. 663. & seqq.

V. *Damnantur etiam* Pelagiani, *qui hominis naturali arbitrio tribuunt libertatem & facultatem assentiendi, & applicandi se ad divinam gratiam. De quibus late disputantem vide D. Augustinum tomo 7. qui est oppositus Donatistis & Pelagianis. Refer etiam huc* Monachos, & Andradium, & Erasmum, & Thammerum: *item* Franciscum Puccium, & Guilielmum Postellum, & *similes.* Synergistæ *etiam huc pertinent, qui docent, aliquo saltem modo viribus suis naturalibus homi-*

hominem adjuvare suam conversionem: de quo errore dicendum erit ad articulum 18. qui est de libero arbitrio.

VI. Quæ de præparationibus *hic dicuntur, accommodari possunt tum ad Manichæos, de quibus primo loco dictum est, tum ad præparationes Papisticas, de quibus articulo quarto monuimus: inprimis autem videntur ferire Anabaptistas, quorum anteſignamus* Thomas Monetarius *has finxit præparationes*, 1. Entgröbung / 2. Studierung / 3. Verwunderung / 4. Die lange Weil / 5. Beſprengung.

V.

Zvvinglii, Calvini, & ſociorum de hoc articulo ſententia.

Splendide admodum & honorifice multis locis de hoc argumento loquuntur & ſcribunt Calviniani, ut jures, ſintere ipſos credere, totum hunc articulum eſſe veriſimum. Vbi vero acceſſerit ad ipſorum domeſticam explicationem, & praxin, contrarium ſtatim apparebit, ut ex iis conſtare poterit, quæ ſubjungemus.

Colluſio cum Suencofeldio & Anabaptiſtis.

I. Iohannes Oecolampadius, *Anno 1527. præfatiuncula quadam ornavit libellum Svvencofeldii* de curſu verbo Dei, *qua ipſum eruditum juxta & pium vocat, atque optat ut ejus manſuetudinem doctores ſibi male conſcii magis imitentur, quam* doctrinam (*Schvvencofeldianam*) vere ſolidam *arrodant.* En maturam Spiritus Suenckfeldiani & Cingliani colluſionem: Quo etiam refer Caroloſtadii cum Anabaptiſtis familiaritatem.

II. Vlri-

Zvvinglii somnium.

II. Vlricus Zvvinglius *de se ipse scribit, in somnio se didicisse veram verborum Cœnæ Dominicæ interpretationem, a monitore, de quo non meminerit, ater an albus fuerit. In subsidio.*

Vocatio immediata.

III. Iohannes Calvinus *lib. 4. institut. c. 16. dist. 19. In multorum vocatione, inquit, Deus usus est* interiore *modo, quos Spiritus sancti illuminatione,* nulla intercedente prædicatione, *vera sui cognitione donavit. Sic Sobnius in Exegesi A. C. p. 792. 793. edit. Sigen, Anno 98. dicit, Spiritum sanctum* absque ministerio verbi *in infantibus accendere fidem* immediate. *Thesaurus Orthodoxæ fidei. Basileæ excusus, Anno 87. in class. 3. loc. 2. de fide, th. 2. Fidem omnem in genere, inquit, in hominibus efficit Spiritus sanctus, sive per vocem doctrinæ cœlestis, sive per* immediatam *revelationem.*

Fides ex auditu.

IIII. *Rursum* Zvvinglius *in Exegesi: Nos putamus, inquit,* fidem ex verbis hauriri non posse? *Sed fide magistra, quæ proponuntur verba intelligi. Idem ad Lutheri sermonem: Fides, inquit, nequaquam e verbis desumi potest, vel addisci.* Quem errorem cum nonnullis aliis Marpurgi, Anno 1529. revocavit Zvvinglius (vide articul. 8. Colloq. Marpurg.) & tamen Anno 1530. in sua Confessione ad Carol. V. ita scribit: *Credo, inquit, imo scio, omnia Sacramenta tam abesse, ut gratiam conferant,* ut ne offerant quidem, aut dispensent.

Extra Christum

V. Idem sine verbo externo contingere Spiritum sanctum docet, quando conjungit Herculem, Numam

mam &c. cum sanctis Patribus in vita æterna. In expositione fidei.

nulla salus.

VI. Grynæus *in præfatione theorem. Theolog. ad Ioachimum a Berga: Asseveranter affirmo, inquit, insciti am esse indignam Christi servis nescire, quod per Evangelium & Sacramenta nos ita erudiat Dominus, ut* non per Evangelium & Sacramenta nos salvari credamus, *sed per unum Iesum Christum. Et paulo post: Evangelio, Baptismo, Eucharistiæ, fidei, tribuitur remissio peccatorum, prout fert vocabulorum πρὸς ἓν ratio, quæ ita comparata est, ut instrumentis (honestandi eadem gratia) tribuantur effecta, quæ alioquin propria sunt causæ efficientis. Idem in disputatione Heidelberg. An. 84. th. 6. aphorism. 4. Ministerio externo ejus cohonestandi ergo phrasi Sacramentali effectum ministerii interni tribuitur. Et thesi 21. vocat Papisticum commentum: & πρῶτον ψεῦδος, si quis dicat, Sacramenta vim justificandi & salvandi habere.*

Evangelium est potentia Dei: est verbum vitæ æternæ.

VII. Theodorus Beza *in 2. part. Resp. ad Colloq. Mompelgart. p. 115. scribit, palpabile esse errorem, ex fœtidis Scholasticorum lacunis hausum, quando, ut illi loquuntur, causativa vis conferendæ gratiæ, principalis quidem Deo,* instrumentalis *autem Sacramentis tribuitur. Et p. 116. ait, ad ministros verbi & Sacramentorum suas habere actiones distinctas proprias, nec ullo modo cum Spiritus sancti actione commiscendas, externas videlicet. Et paucis interjectis affirmat, in regeneratione hominis, propter quam dicat Apostolus nos esse Dei*

Baptisma nos salvat. 1. Pet. 3. v. 21.

Blaſphemie. *opus, valde falli, & in Deum ipſum injurios eſſe, qui aut hominibus, per quorum os loquitur, vel ipſi externo Dei Verbo, vel Sacramentalibus ſignis, Deum exiſtimet vel tantillum divinæ illius ſui virtutis hominibus renovandis, & æterna vita in Chriſto ſervandis attribuere. Cujus horribilis erroris participes ſeſe fecerunt* Heidelbergenſes *Palatini, Bezana illa reſponſione in ſermonem Germanicum translata & excuſa, Anno 1588. Vide pag. 217. 219.*

Salvavit nos per lavacrum regenerationis, &c. *VIII.* David Pareus in *Exegeſi doctrinæ Palatinæ, cum dixiſſet pag. 40. miniſterium Eccleſiaſticum eſſe efficax organon Spiritus ſancti, per quod fidem & converſionem in cordibus Electorum accendat & confirmet: Subjicit p. 81. talem interpretationem, ut dicat, internam vim & efficaciam, qua ſanctificemur, non eſſe miniſtrorum, nec in ipſorum externo verbo & actionibus (Sacramentorum ſcilicet adminiſtratione) incluſam: ſed eſſe Spiritus ſancti. Pag. 82. negat, miniſtros cum externis interna dona exhibere.* Vide ibidem cætera ex Schola Suencofeldiana emblemata eaque conjunge cum regula Bezæ part. 2. Reſp. ad Colloq. Mompelg. p. 117. Verbo Dei & Sacramentis ultra ſignificationis uſum nihil quicquam tribuendum eſſe. Et affert σχέσιν Sacramentariam, qua ipſius rei ſignatæ nomen tribuitur ſigno: Itemque Grynæi commentum, quod externo miniſterio divina effecta tribuantur Phraſi Sacramentali, ejus cohoneſtandi ergo. Et adhuc dubitabimus, Calvinianos non ſentire honorifice de miniſterio Evangelii? Scilicet.

VIIII.

VIIII. Anatomia Marpurgensis, *p. 154. negat, Sacramenta esse causas gratiæ: sed tamen concedit esse organa: sub intellige: per Phrasin Sacramentalem, organa significantia. Alibi enim vocat signa, stylo Piscatoriano & Bezano, nimirum quod significent id, quod solus Spiritus sanctus sua vi præstat.* Sanctificatur Ecclesia lavacro aquæ in verbo, Tit. 3. v. 5. Ita Piscator *in Bibliis suis Germanicis, doctrina prima ex 7. cap. Actor. expresse & constanter negat, efficaciam salvandi esse in Sacramentis: addita ratione, quia in solo Deo sit sita.* Quæ eadem ratio & Suencofeldio communis est, & Zuinglio & Calvino, & Bezæ, & Pareo, & Grynæo, aliisque sociis: non animadvertentibus turpissimum Elenchum in oppositione causarum coordinatarum, nempe principalis & instrumentalis. Itane opponetur Deus, tanquam causa Princeps, mediis salutis, quæ ipse instituit? Et quis fando audivit unquam in Ecclesia tale argumentum: Deus nos justificat: Ergo non justificamur fide? Christus nos salvat: Ergo non salvat Evangelium, non salvat Baptismus, non salvat fides, nisi tropo Sacramentali, & per quoddam verbum honoris. Ite nunc viri Sacramentarii, & negate, vos sentire tenuiter de verbo Dei & Sacramentis.

X. *Communiter docent* Calviniani, *fidelium parentum liberos nasci* sanctos, *ut vidimus articulo secundo. Quare in illis ponunt Spiritum sanctum & salutem, absque ministerio verbi & Sacramentorum.* Ecquod igitur medium salutis ibi ostendunt;

XI. Separant etiam ministerium externum, ab interno, quod vocant: cum non sit, nisi unum ministerium Spiritus sancti: *quod omnem suam efficaciam habet a Deo, non ab ullo vel elemento, vel homine. Sic Baptismum vocant alium externum, alium internum, de quo dicemus artic. 9.*

XII. Denique quia defendunt absolutum Dei decretum in praedestinatione, fingunt aliam Dei vocationem esse externam, *per verbum, aliam* internam: *& multos vocari per verbum, quos tamen Deus simpliciter nolit venire: quippe quos absolute a se rejecerit. Quo spectat ipsorum distinctio & definitio voluntatis signi & beneplaciti. Vide Bezam part. 2. Resp. ad Colloq. Mompelg. p. 149. Thesaurum orthod. fidei, Class 1. Loc. 8. th. 5. Spindlerum* im sehr nothwendigen Bericht/ pagina 155. &c. Quasi nimirum Deus sit hypocrita, qui aliud verbo eloquatur, aliud in pectore clausum teneat. *Vide Piscatorem Analysi in Matth. cap. 23. obs. ult. & Bezam 2. Resp. ad colloq. Mompelg. p. 173. 174.*

XIII. Adscribam nonnulla ex responsione Apologetica ad Conradum Vorstium, pag. 7. quæ fundamentum ostendunt sententiæ Calvinianæ. Vult ostendere Piscator ordinem, quem Deus observet in mediis, quibus homines vel ad salutem, vel ad interitum adducit; (recito ipsius verba) eumque hunc esse dicit. 1. Deus creavit homines ad imaginem sui, id est, integros & peccati expertes. 2. Permisit eos labi in peccatum. 3. Ex lapsis alios elegit, alios reprobavit. 4. Electos sibi reconciliavit per mediatorem Christum: reprobos non

non item. 5. Electos efficaciter vocat: id est, per Evangelii prædicationem fide justificante donat, reprobos vero aut prorsus non vocat, aut externe tantum vocat. 6. Electos justificat & sanctificat: reprobos non item. 7. Electos glorificat, vitaque æterna eos beat: reprobos vero damnat æterno exitio. Hactenus Piscator, qui in eodem libro, pag. 203. scribit, Deum ab æterno ex beneplacito voluntatis suæ decrevisse quosdam *creare* ad exitium. Et in notis ad amicam collationem. p. 27. & 213. ait, Deum aliquos *creavisse* ad interitum, & p. 29. eosdem creavisse ad damnationem, p. 30. & destinasse ad peccatum. Quæ quomodo cum isto ordine conveniant, ipse viderit.

Patet autem inde, quantum ministerio verbi & sacramentorum ab eo tribuatur: nimirum ut scribat in Responsione Apologetica, p. 12. fidem non esse effectum promissionum per se, sed per accidens. In notis autem ad Collationem p. 22. Promissionem divinarum, inquit, *diversi sunt fines: unus, ut electi, ad obedientiam adducantur: alter, ut reprobi magis reddantur inexcusabiles. Distinguit etiam promissiones Dei ab ipsius voluntate, pag. 13.* Voluntas Dei, inquit, nunquam est conditionata. Promissiones quædam sunt conditionatæ. Et Deus omnia, quæ promittit, vult: at non vult omnia, quæ præcipit, pag. 56. Intentio Dei in vocandis per Evangelii prædicationem hominibus duplex est: una, ut electos ad resipiscentiam & fidem, & consequenter ad vitam

æternam adducat: altera, ut reprobos, quos vocat, magis inexcusabiles reddat, atque ita ad justum interitum adducat. Idem docet parte 2. disputat. pag. 197. & pag. 200. affirmat. Deum interdum verbo significare, se velle, quod revera non vult, aut nolle, quod revera vult. Et hanc appellat *sanctam quandam simulationem*, p. 201. Postea, p. 212. concludit, principem fidei causam esse ipsam electionem: itemque principem incredulitatis causam esse reprobationem, pag. 243. Deus lingua per ministros Evangelii profitetur, se reprobos, quos in turba electorum alloquitur, *velle* credere Evangelio, quatenus id eis mandat: & tamen *non vult* eos credere. Similia vide in notis ad amicam collationem, sectione 4. & seqq. & inprimis, p. 26. 32. 34. &c.

VI.

Photinianorum sententia de ministerio verbi & sacramentorum,

Docet Catechesis Racoviensis, pag. 305. eos, qui docent in Ecclesia, & ordini tuendo & conservando invigilant, nullo modo opus habere, ut singulari aliqua ratione mittantur: quia nimirum nunc non afferant novam doctrinam, sed Apostolicam, antiquitus ab omnibus exceptam. Eandem sententiam fusius repetit Ostorodus in institut. cap. 42. & diserte affirmat, vocatione sive missione ad ministerium opus non esse; nec reprehendi posse, si quis absque missione docendi offi-

officium suscipiat. Tales enim multos fuisse in persecutione, *Actor. 5. vers. 4.* ab obitu Stephani: & in his Philippum, *Actor. 8. vers. 15.* & Apollinem, *Actor. 18. vers. 24.* Neque tantum docere, verum etiam baptizare, & Cœnam Domini dispensare ait posse quempiam non missum, p. 441. exemplo Philippi, *Act. 8. v. 12.*

Vnde satis apparet, quam perverse de toto ministerio Evangelii sentiant Photiniani. De cujus efficacia si quæras, verbis quidem profitentur, fidem provenire ex auditu verbi: sed neque fidem recte definiunt, ut vidimus articulo 4. neque generationem fidei recte exponunt. Qua de re pauculas quasdam pagellas recens edidit Valentinus Smalcius, quæ hunc præ se titulum gerunt? Brevis discursus de causa, ob quam creditur, aut non creditur Evangelio Jesu Christi: & de eo, quod qui credit, præmio, qui non credit, pœna a Deo afficiatur: Fausti Socini Senensis. *Cujus discursus summa huc redit, ne libenter facere velimus, quod justum & rationi conveniens est, tametsi conjunctum cum detrimento, ad illud inprimis nos adduci exemplo Christi a mortuis resuscitati. Qui igitur credunt vera esse, quæ narrantur ab Evangelistis de Christo excitato a mortuis, & evecto in cœlum, facto immortali & potentissimo: eoque exemplo incitati agunt, quæ justa sunt & rationi conformia: eos concludit non levem habere causam sperandi, quod sibi imitantibus Christum, maximum commodum sit propositum: cæteros non credentes, ac proinde*

nec imitantes Christum, grave supplicium subituros.

Hæ igitur fides est Photiniana: de qua Osiorodus gloriatur, nihil in ea contineri, quod cum ratione pugnet. Ac proinde negat, opus esse singulari Spiritus sancti illuminatione, ut divinæ literæ salubriter intelligantur. c. 1. pag. 7. & seqq. Neque ferre potest, fidem definiri a nobis fiduciam, qua Christi justitia sive meritum apprehendatur, pag. 21. Quam vero perverse de baptismo, & sacra Domini Cœna, doceant Photiniani, suis locis exponemus artic. 9. 10. Et quæ pertinent ad locum de vocatione ministrorum, explicabuntur infra artic. 14.

ARTICVLVS VI.

DE BONIS OPERIBVS.

Post expositam doctrinam de Justificatione per fidem, & de mediis, per quæ Spiritus sanctus fidem in nobis accendit & confirmat: recte ordine sequitur de fructibus fidei justificantis, hoc est, de bonis operibus.

Verba confessionis ita habent:

Item docent (*nostræ Ecclesiæ*) quod fides illà debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera, mandata a Deo facere, propter voluntatem Dei, non ut confidamus per ea opera justificationem coram Deo mereri. Nam remissio

remissio peccatorum & iustificatio fide apprehenditur, sicut testatur & vox Christi: Cum feceritis hæc omnia, dicite: Servi inutiles sumus. Idem docent & veteres scriptores Ecclesiastici. Ambrosius enim inquit: Hoc constitutum est a Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit, sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum. Luc. 17. v. 10.

I.

Desumptus est hic sextus articulus ex cap. 6. inter 17. de quibus supra dictum fuit, cujus sunt hæc verba: Daß solcher Glaube seye nicht ein Menschlich Werck/ noch auß unsern Kräfften müglich/ sondern er ist ein Gottes Werck und Gabe/ die der H. Geist durch Christum gegeben/ in uns wircket/ vnd solcher Glaube/ dieweil er nicht ein loser Wahn oder dunckel des Hertzens ist/ wie die falschgläubigen haben/ sondern ein kräfftiges newes/ lebendiges Wesen/ bringt er viel Frucht/ thut immer gutes/ gegen GOtt mit loben/ dancken/ bitten/ predigen/ und lehren/ gegen dem Nechsten mit Liebe dienen/helffen/ rathen/geben und leihen/ und leidet allerley Vbels biß in den Todt/ ꝛc. *Tom. V. len. fol. 15.*

II.

Caroli Cæsaris & Catholicorum (Romanensium) responsio.

Quod sexto articulo confitentur, fidem parere

bonos fructus, ratum gratumque habetur. Quin fides sine operibus mortua est, *Iacob. 2.* Et tota scriptura invitat nos ad opera, &c. Quod vero in eodem articulo iustificationem soli fidei tribuunt, ex diametro pugnat cum Evangelica veritate, opera non excludente &c. ubi multa dicta scripturæ coacervantur pro bonorum operum commendatione. Et respondent Principes ad dictum, *Luc. 17.* Si factores se inutiles dicere debent, quanto magis his, qui solum credunt, dicere convenit. Si crediderit is omnia, dicite, servi inutiles sumus: &c. Ad dictum S. Ambrosii, quod extat *tom. 5. in 1. Cor. 1.* respondent per distinctionem inter opera legalia (quæ concedunt excludi) & alia opera, quæ non nominant.

Andreas Fabricius *Leodius ex collatione prototypi cum editione mutata studet nectere antilogias: quæ nos non attingunt, nullam Confessionis mutationem concedentes vel approbantes.*

Johannes a Daventria *calumniatur, bona opera fuisse a Luthero proscripta, nimirum per doctrinam de fide sola justificante. Negat etiam, universam scripturam recte secari in legem & Evangelium: & distinguit inter opera legis & fidei, itemque inter veterem legem Mosis, & novam legem Christi. Disputat etiam de merito congrui & condigni, de gratia gratis data, & gratia gratum faciente: de fide simul cum peccato mortali persistente: de dilectione, quæ sit forma & vita virtutum: aliaq; similia effutit, quæ hominem produnt, neq; quid fides sit, neque quid Evangelium, neq; quid bonum opus, intellexisse.*

Tan-

Tandem enim connectit opera Christi & hominum, ut meritum evadat integrum & perfectum. Quo nihil potest in Christum dici magis contumeliosum: adeo, ut Costerus Iesuvita errorem istum graviter refutet in Enchiridio, loco de iustificatione, ubi summatim dicit, nulla creaturæ opera peccati ullius remissionem mereri posse.

Johannes Cochlæus *approbat conciliationem Augustæ in septenorum Colloquio hoc modo factam: Quod justificatio seu remissio peccatorum fiat per gratiam gratum facientem & fidem formaliter, per verbum vero & Sacramenta instrumentaliter. Ferre autem non potest locutionem illam, quod sola fide justificemur, quam appellat scandalosam & simpliciter falsam, & tandem abire jubet in malam crucem.*

Iohannes Hoffmeisterus *modestior cupit videri: sed tamen approbat Scholasticorum dogma de merito congrui & condigni, non sine manifesta contradictionis implicatione. Sic enim scribit: Non arbitror quenquam tum stolidum, qui dicere ausit, opera nostra coram Deo, propter suam ipsorum bonitatem, & ex sui natura accepta esse, nec ipsa egere misericordia & propitiatore Christo. Hactenus ille, cui multi Papistæ hac parte contradicunt. Tandem commendat eos, qui docent, operariorum hunc debere esse præcipuum scopum, scilicet, ut nostra opera potius gratiarum actio, quam quædam inter Deum & homines commutatio dicenda sit. Quam sententiam, si Papistæ omnes serio amplecterentur,*

ferentur, de bonis operibus concordia inveniri facile posset.

Alfonsus Virvesius *Philippica 4. disputat iustos nos esse fide & charitate: neque unam sine altera sufficere ad iustitiam. Vt autem opera nostra mereri possint, dicit, infinitam quandam vim & efficaciam illis communicari a Christo: hoc est, ut alii quidem Papistæ loquuntur, opera non mereri per se, & sua virtute, sed quatenus sunt aspersa sanguine Christi. Affert inter cætera hoc simile: Vt imago principis, inquit, sive sigillum in papyro sive charta non habet aliquem valorem, neque metallum valet sine principis charactere: quando autem metallo character principis inprimitur, tum proba moneta censetur: ita æque propemodum inutilis est fides sine operibus, atque opera sine fide, Vnde infert, justitiam nostram hoc esse, ut per bona opera inscripta fide, charitate signata, mercedem comparemus illam, quam Christus servenue pietatem colentibus pollicetur. Quæ omnia examinata supra artic. 4. hic repetenda non putamus.*

III.

Summa articuli.

I. Describit hic articulus veram sententiam de bonis operibus, non addita ἀντιθέσει, quoniam tota hæc doctrina opposita est tum erroribus Papistarum, tum calumniis vociferantium, contemni a nobis, adeoque etiam prohiberi, bona opera. Constat autem quatuor membris. 1. Describit causam efficientem bonorum operum. *Fides*, inquit, *debet bonos fructus parere.* 2. Necessitatem

tem bonorum operum. *Oportet*, inquit, *bona opera facere.* 3. Brevem descriptionem proponit bonorum operum: *Quæ sunt mandata*, inquit, *a Deo.* 4. Ostendit causas veras, cur bona opera sint facienda, & removet falsas. *Propter voluntatem Dei*, inquit, *non ut confidamus per ea opera justificationem coram Deo mereri.* Additur negationis illius ratio: *quia fide* (non operibus) *apprehenditur remissio peccatorum & justificatio*: id quod probatur tum testimonio primario Christi, *Luc.17.v.10.* tum secundario Ambrosii *in 1. Cor.1.*

II. *Bona opera* dicuntur hic generatim, ut eo nomine etiam cogitationem, & dicta sive sermones intelligantur. Quæ sic definiri possint. *Bona opera sunt hominum renatorum a Deo mandata opera, ex fide in Christum, iuxta normam divinæ legis, Spiritus sancti ductu facta, ad Dei gloriam, & hominum ædificationem.* Bona operanes Renatorum propria.

Absolute dici potest, bonum opus esse, quod conforme est divinæ legi. Sed illa perfectio legalis non cadit in naturam humanam post lapsum in hac vita.

III. Fiunt bona opera *a solis renatis.* Nam quicquid ex fide non est, peccatum est, *Rom.14.v.ult.* Et arbor mala non potest ferre fructus bonos, *Matth.7.vers.18.* Qui ergo renati non sunt, sed in peccatis hærent mortui. *Eph.2.v.1. Col.2.v.13.* illorum ut spiritualis vita nulla est, sic operatio spiritualis nulla, ac proinde nullum vere bonum opus esse potest. Vide Augustinum lib. 4. contra Julianum Pelagianum, c. 3. Hinc regula nata est:

est: *Bona opera non ex omnibus, sed ex adverbiis iudicanda sunt*; Quando enim quis bonum opus non bene facit, non est dicendum bonum opus. Sic *Psalm.109.v.7.* oratio impii dicitur ipsi fieri in peccatum. Et *Esa.1.v.13.* sacrificium atque immolatio peccantium dicitur esse abominatio Iehovæ. Illud igitur Apostolicum accurate notandum est, quando nos vivere jubet *sobrie* sive modeste, & *juste*, & *pie*, hoc est, vult nos ita bene operari, ut & nobis dignum & utile est, & ad proximi ædificationem facit, & in Dei gloriam vergit. Vnde hoc fluit consequens: *Quicquid est divinæ gloriæ, & ædificationi proximi, & nostræ saluti contrarium, illud boni operis nomine censeri non debet.*

IV. Observandum etiam venit Augustini theorema lib. de fide & operibus, cap.14. *Bona opera sequuntur justificatum, non procedunt iustificandum.* Ex quo duo notamus. 1. Nulla præcedere opera iustificationem, propter quæ homo dici possit iustificari, sive de congruo, sive de condigno, ut monachi loqui solent. 2. Quando bona opera a nobis requiruntur, id non eo fine fieri, ut per aut propter ea iustificemur, (si quidem iustificatio præcessit) sed ut nostram Deo gratitudinem declaremus, pro accepta peccatorum remissione per veram in Christum fidem. Neque est, ut afferas distinctionem inter iustificationem primam & secundam, quæ scripturæ & piæ antiquitati ignota est, nata in cerebro otiosorum monachorum.

V. Di-

V. Dicuntur bona opera *a Deo mandata*. Reiiciuntur igitur cultus electitii, & privata intentio, & opera supererogationis, quæ Pontificii vocant. Mandata a Deo.

VI. Ostenditur etiam *necessitas bonorum operum*, nempe propter Dei mandatum & voluntatem, cui fas est nos obedire. Aperte enim dicit Confessio. 1. Fides *debet* bonos fructus parere. 2. Oportet bona opera facere. 3. Mandata sunt a Deo bona opera. 4. Propter voluntatem Dei bona opera sunt facienda. Vnde consequitur, *veram fidem iustificantem cum studio peccandi simul stare non posse*, de quo vide *1. Ioh. 3. v. 6. 9. Matth. 7. v. 18. Ioh. 3. v. 6. Rom. 8. v. 5. 14. Gal. 5. v. 6. Esa. 61. v. 3. Phil. 1. v. 11. Iac. 3. v. 17. Gal. 5. v. 22. Ephes. 2. v. 10. cap. 1. v. 4. cap. 4. v. 24.* Quo etiam spectat disputatio *Iacobi c. 2.* cuius hæc summa:

Sola nihil fidei præclara professio prodest,
Quam non externe consona facta probant.

Et post Hussum recte dicimus: *Intra nulla fides, si non opera exerit extra.* Damnantur igitur furores Simonis illius Magi, Basilidis, Carpocratis, Gnosticorum, Aerii & Eunomii, & Libertinorum, qui docuerunt, liberum esse hominibus facere quæcunque vellent.

VII. *Author bonorum operum Deus est*, qui & ea mandat, & ipse suo Spiritu ad bene operandum homines ducit. Et quia *fides* a Spiritu sancto per auditum & meditationem verbi accensa est per charitatem efficax, *Gal. 5. v. 6.* tanquam arbor fertilis & generosa bonos fructus profert, *Matt. 7. v. 17.* Causa bonorū operum efficiens.

v.17. recte etiam appellat D. Ambrosius fidem bonæ voluntatis, & iustæ actionis genitricem. Sicut *Hebr.* 11. fides constituitur causa heroicarum virtutum: in magnis illis viris, qui in V. T. præclaras res & salutares gesserunt.

VIII. Denique etiam *voluntas* humana numeratur inter causas boni operis sive bonæ actionis: non autem ex viribus naturalibus, sed quia renovata & vivificata a Spiritu sancto ab eodem agitur *Rom.8.v.5.14. Rom.7.v.22. 1.Cor.9.v.17. 2.Cor. 8.v.11. Rom.6.v.17. Philem.v.14. Psalm.1.v.2. Psal. 14.v.8. Ps.110.v.3.*

IX. Ex hoc fundamento explicatur argumentum Papistarum: qui bona opera ideo dicunt esse meritoria, quia proficiscuntur a Spiritu sancto. Non sequitur: quoniam Spiritus sanctus non est eorum causa solitaria: sed voluntas humana ex ipsius gratia cooperatur: in qua voluntate etsi renovatio est inchoata, tamen adhuc multæ sunt imperfectiones. Cumque denominatio fiat non a remotiore, sed causa proxima, ideo non negandum est esse opera humana, quantumvis Dei instinctu, ope & auxilio facta. Quare fatendum est nobis cum Apostolo: volentibus nobis facere bonum, malum nobis adiacet, *Rom.7.v.21.* Quare autem nihilominus ea opera Deo placeant, paulo post exponemus. Illud enim prius addendum est, cum ex Papistarum hypothesi (scripturæ tamen contraria) hominis arbitrium ex suis propriis viribus cooperetur Spiritu sancto, planum sit, nomen & titulum absolutæ perfectionis tribui illis

non

non posse, sine apertissimo Pelagianissimo. Vt jam taceam mutuas contradictiones. Si enim opus habent opera, aut sanguine Christi adspergantur, atque inde demum merendi vim acquirant, consistere illa opinio nequit. Aut si hæc locum invenire debeat, illud stare non potest.

X. *Forma bonorum operum* his verbis continetur: Ex fide in Christum, iuxta normam divinæ legis Spiritus sancti ductu facta. Lex igitur divina est norma & forma bonorum operum: ita quidem, ut sicut peccatum est ἀνομία, bonum opus dici possit ἐννομία. Vnde hoc theorema nascitur: *Quodcunque opus in divina lege præceptum non est, bonum esse aut dici non potest.* Ac proinde cadit Papistica distinctio operum, qua alia vocant opera legis, alia Evangelii, sive fidei. Cum enim quælibet actio, sive quodlibet opus sit æstimandum ex sua forma, & fine: quæ utraque causa in divina lege expresse continetur: plane absurdum est, ulla dicere bona opera, quæ non ad legem divinam referantur. Cum autem ea perfectio in hominem post lapsum non cadat, in hac vita, ut legem implere valeat, ideo necessario fit mentio fidei in Christum, nimirum quia Christus fide apprehensus supplet piorum defectus, & tegit imperfectiones. Vnde Augustinus contra duas Epistolas Pelagii lib. 3. cap. 7. in eo ipso perfectionem constituit, ut imperfectionem nostram in veritate cognoscamus, & in humilitate confiteamur. Forma bonorum operum.

Finis bonorum operum.

XI. *Finis bonorum operum* respectu Dei est ipsius gloria, *Matth.5.v.16. 1.Cor.10.v.31.* respectu hominum, ædificatio, tum bene operantis, tum proximi.

Propter Deum.

XII. *Propter Deum* igitur facienda sunt bona opera, 1. quia ea est Dei voluntas, 1. *Thess.4.v.3. 1.Petr.2.v.15.* & mandatum, *Levit.11.v.44.cap.19.v. 2.Esa.1.v.16. Matth.5.v.16. Iob.13.v.34.&c.* 2. quia placent Deo, *Act.10.v.35. Coloss.1.v.10. 1.Thess.4.v. 3. 1.Tim.5.v.4. 1.Ioh.3.v.22.* 3. Quia Deo illa debemus, *Luc.17.v,10. Rom.8.v.12.cap.13.v.8. 1.Ioh. 4.v.11.* 4. Quia id requirit conformitas, quæ esse debet inter patrem nostrum cœlestem, & nos ipsius filios, *1.Petr.1.v.14.17. 1.Ioh.3.v.2.cap.4.v.11.* 5. Quia sumus ideo per Christum redempti a peccatis, ut in posterum serviamus justitiæ, *Rom.6.v. 4. 2.Cor.5.v.15. Tit.2.v.14. 1.Pet.2.v.24.* 6. Quia Spiritus sanctus ideo nos per baptismum regenuit & sanctificavit, ut abjectis peccatis novum hominem induamus, & sectemur justitiam & sanctitatem, *Eph.4.v.24.* & ambulemus Spiritu, *Gal.5.v.15.* & Spiritu actiones corporis mortificemus, *Rom.8. v.13.* neque peccatis nostris Spiritum sanctum contristemus, *Eph.4.v.30.* 7. Vt glorificent bona nostra opera Deum, *Matth.5.v.16.* tanquam authorem & approbatorem boni, adeoque etiam compensatorem, *Phil.1.v.11.* 8. Propter imitationem Dei, quæ Deo nos reddit similes, sicut dicitur, *Eph.5.v.1.* Sitis imitatores Dei. 9. Vt declaremus nostram gratitudinem erga Deum, *Rom.12. v.1. 1.Cor.10.v.31. Phil.1.v.11. 1.Petr.2. vers.9. 12.*

cap.

*cap.*4. *v.*11. 10. Propter dignitatem & reverentiam Evangelii. *Col.*1.*v.*10. *Phil.*1.*v.*27. *Tit.*2. *v.* 10, 1.*Petr.*2.*v.*12.

XIII. *Propter proximum* commendantur bona opera, 1. ut officiis noſtris eum juvemus & ſublevemus: adeoque, ſi res requirat, etiam animas ponamus pro fratribus, *Luc.*6 *v.*38.*c.*14.*v.*13. 1.*Ioh.*3. *v.*18.*Rom.*14.*v.*1. *Matth.*22. *v.*39. 2. Vt bonis exemplis alios ædificemus, & invitemus ad veram pietatem, *Matth.*5.*v.*16. 1.Petr.2. *v.*12. *cap.*3.*v.*1. 1.*Cor.*9. *v.*22. 3. Vt vitemus ſcandala, 1.*Cor.*10. *v.* 32.*Cor.*6.*v.*3. *Phil.*2.*v.*15.*Hebr.*12.*v.*15. 4. Denique ut benefaciendo pudefaciamus improbos calumniatores, & os eis obturemus, 1.*Petr.*2. *v.*12.*c.*3. *v.*16.*Tit.*1,*v.*8. Propter proximum.

XIV. *Noſtri ipſorum cauſa* bonis operibus ſtudendum eſt. 1. Quia regeniti ex aqua & Spiritu jam ſumus nova creatura in Chriſto, 2.*Cor.*5.*v.*17. *Rom.*6. *verſ.*2. 2. Sumus Filii lucis: Exornemus igitur noſtram profeſſionem. 3. Vt edamus veros fructus fidei & firmam faciamus noſtram vocationem. 4. Vt diſcrimen appareat inter veros Chriſtianos & hypocritas, fidem vivam & mortuam. 5. Vt vitemus pœnas temporales, & æternas. 6. Ne triſtitia afficiamus Spiritum ſanctum, ne vulneremus conſcientiam, excutiamus fidem, & abjiciamus gratiam. 7. Vt conſequamur a Deo præmia (gratuita) corporalia & ſpiritualia, in hac & æterna vita, quibus ex immenſa gratia ornaturus eſt veram pietatem & bona opera. Propter nosmetipſos.

Discrimen operum.

XV. Operum *distinctiones* variæ proponi solent: ex quibus hanc unam paucis explicabimus. Distinguit Augustinus inter opera legis, & opera gratiæ. Quod discrimen non est formale, sed ex causa efficiente sumptum, hoc sensu: Quædam

Opera legis.

opera exigi, imperari & extorqueri per legem, quæ non incommode servilia appellaverimus; alia

Opera gratiæ.

proficisci a gratia Spiritus sancti. Sicut D. Paulus ad *Rom. 6. v. 15.* dicit, renatos non esse sub lege, sed sub gratia.

Bona opera sunt necessaria.

XVI Ex his, quæ diximus patet *necessitas bonorum operum*, unde illa dependeat, & quo sit referenda. Non est illa necessitas coactionis. Nam populus Dei spontaneus est, & prompto atque hilari animo bona opera Deo præstat, & proximo, *Ps. 51. v. 14. 21. Ps. 54. v. 8. Ps. 110. v. 3. Rom. 6. v. 12. c. 8. v. 15. cap. 12. v. 8. 2. Cor. 9. v. 7.* Sed est necessitas mandati, ordinis, debiti, & consequentiæ.

IV.

Errores Papistarum.

Pontificii hic multos errores habent, partim proprios, partim cum quibusdam Zwinglianis communes.

I. Dicunt, in fidelium etiam opera legi naturæ conferentia esse Deo grata. Salmeron tom. XV. p. 41.

Contra: Sine fide fieri non potest, ut quisquam placeat Deo, *Hebr. 11. v. 6.* Mala arbor non potest ferre bonos fructus, *Matth. 7. v. 18.* Quicquid ex fide non est, peccatum est, *Rom. 14. v. ult.* Augustinus lib. 3. ad Bonifacium c. 10. Sine fide etiam quæ videntur bona opera, in peccatum vertuntur.

II. Ope-

II. Opera iustorum absolute bona vocat Bellarminus de iustificat. lib. 4. c. 16.

Quæ opinio & scripturis est contraria, & aliis Papistis, ut supra docuimus.

III. Bona opera conservare Dei gratiam in animo, Osorius affirmat, & ipsum Concilium Tridentinum, sess. 6. Can. 23.

Quod negat Apostolus, *Rom. 5. v. 2. 2. Petr. 1. v. 5. Eph. 1. v. 5. Hebr. 12. v. 2.*

IV. Bona opera esse meritoria vitæ æternæ, communis est Papistarum opinio: nonnulli etiam blasphemant esse satisfactoria, ut Gregorius de Valentia, Tom. III. disput. 7. qv. 20. de indulgentiis.

Contrarium ex scripturis clarissimum est, *Matt. 20. v. 28. Luc. 17. v. 9. Actor. 4. v. 12. cap. 10. v. 43. Rom. 4. v. 4. c. 11. v. 6. Hebr. 9. v. 12. c. 10. v. 14.*

Pie & erudite Bernhardus serm. 51. Meritum meum, inquit, miseratio Domini.

V. Varie distinguunt opera. Est opus operatum: *est* opus operantis: *est* opus supererogationis: *est* opus mortificatum.

Quæ monstra verborum & rerum ignota sunt divinis scripturis, & ex iisdem valide refutari possunt.

VI. Denique Christi gloriam illustrari vociferantur, si dicantur opera nostra ab eo vim accepisse iustificandi.

Negat autem scriptura, ideo venisse Christum in mundum, ut nostris operibus virtutem conciliaret justificandi & salvandi: dicens, ideo venisse, ut ipse liberaret nos a potestate diaboli &

mortis, & adduceret justitiam, ut in ipso habeamus vitam, & æternam salutem. Blasphemum igitur est, quod unius est Christi proprium, nostris transscribere operibus. Totum gratiæ Christi imputatur, non nostris operibus, *aut August. in Psalm. 31.*

V.

Calviniſtarum de bonis operibus ſententia.

Iuſtificamur abſque operibus legis.

I. *Deum nos ſalvare per lavacrum regenerationis*, & renovationem *Spiritus ſancti, affirmant* Grynæus, Tigurius, & Piſcator, *quorum verba annotavimus in articulo 4. Iuſtificationem igitur cum quibusdam Pontificiis ſtatuunt. 1. in remiſſione peccatorum. 2. in renovatione ſive ſanctificatione.*

Contra D. Paulum, Rom. 3. 4. 11 Gal. 2. 3. Eph. 2. Tit. 3. ubi expreſſe opera a iuſtificatione excluduntur; ut oſtendimus artic. 4.

Salvamur per fidem, non ex nobis, Dei donum eſt. Eph. 2.

II. Iohannes Piſcator, M. Goclenius, *& quidam alii Calvini ſectatores diſputant, bona opera eſſe cauſam ſine qua non noſtræ ſalvationis (quam diſtinguere volunt, ſed præter ſcripturam, a juſtificatione) eſſe viam, per quam ad ſalutem perveniatur, adeoque recte dici*, nos non ſalvari ſine operibus. *Vide Iohannem Piſcatorem lib. 2. cap. 3. de iuſtificatione p. 85. (quam tractationem Heidelbergenſibus inſcripſit, & eorundem commendat conſenſum in præfatione) in Bibliis Germanicis ad Rom. 6. in declar. verb. 18. 21. 23. Vide etiam* Zanchium

in

in Miscellaneis, fol. 97. Et Bezam *in quæst. & Resp. Sic Piscator in Analysi Ephes. 1. vers. 4. Hæc ipsa, inquit, nostri sanctificatio (qua sancte vivimus) actio Dei est, qua nos inter alios ad salutem adduxit, ac proinde rationem aliquam* causæ efficientis *habet.*

Habent Calviniani illi hunc errorem communem cum Papistis, imo etiam cum Photinianis. Ac proinde approbant propositionem: *Bona opera esse necessaria ad salutem.* Quam esse Pseudo-apostolicam, constat ex *Act. 15. v. 11. Rom. 1. v. 28. Gal. 2. v. 16. Ephes. 2. v. 8. 9. Tit. 3. v. 5.* ubi & *justificari*, & *salvari* dicimur fide absque operibus legis. Confer etiam *Rom. 11. v. 5. 6. 2. Tim. 1. v. 9.* Christus salvat populum suum a peccatis, *Matth. 1. v. 21.* Christus est via, per quem venitur ad Patrem, *Ioh. 14. v. 6. &c.*

III. Bona opera conservare fidem, gratiam, salutem, cum Pontificiis credit Johannes Piscator. Fidei finis est salus animarum 1. Pet. 1.

Contra scriptura testatur. Christum & principium, & medium, & finem esse salutis nostræ: quem Apostolus, *Hebr. 12. v. 2.* perfectorem appellat fidei, τελειωτὴν. Et *Rom. 5. v. 2.* dicimur (*non per opera, sed*) fide stare in gratia. Et D. Petrus *1. Epist. 1. vers. 5.* in virtute Dei, inquit, *per fidem* conservamur. Neque valet illatio: per peccata contra conscientiam admissa salutem amitti: Ergo per bona opera conservari. Nam ipsa etiam fides excutitur per peccata regnantia: Ergone dicemus, per bona opera fidem acquiri & conservari? Elenchus est contrariorum. Et ne plura dicen-

da sint, D. Petrus testatur, animarum nostrarum salutem finem esse fidei (non operum,) *1. Pet. 1. v. 8.*

Pietas habet promissionem huius & futuræ vitæ. 1. Tim. 1.

IIII. *Præmia (non merita proprie dicta, sed præmia gratuita) in vita etiam æterna proposita esse bonis operibus, & hinc fore distinctos gradus in cœlesti gloria, ambigit quidem* Petrus Martyr *in comment. in 1. Cor. 15. (fatetur enim consensum veteris Ecclesiæ, & tantum disquirit de firmitate argumentorum, quibus ea sententia adstruitur, sed diserte negat* Gregorius Schönfeldius *disputatione publica Cassellis edita & habita.*

Contra Apologia Augustanæ Confessionis expressis verbis: Erunt dissimilia præmia, inquit, propter dissimiles labores. Quam sententiam ipse etiam Calvinus approbat lib. 3. inst. cap. 25. dist. 10. Quod scripturæ docent, inquit, ab omni controversia exemptum apud nos esse debet: nempe sicut varie Deus sua dona sanctis in hoc mundo distribuens eos inæqualiter irradiat, ita non fore æqualem gloriæ modum in cœlis, ubi dona sua coronabit Deus. Neque enim competit in differenter in omnes, quod dicit Paulus: vos estis gloria mea, & corona in die Christi, &c. Eadem communis est Theologorum sententia: quam, quia superbe rejicit Schönfeldius, argumentis usus nullius plane momenti, insolentiam hominis quis æquo animo feret?

VI.

Photinianorum de bonis operibus sententia.

I. Fide

I. Fide in Christum nos salvari, fortiter clamant Photiniani, diserte addentes, sine fide illa salvari neminem posse, in Novo Testamento. Eaque verborum forma simplicioribus facilius imponere se posse putant. Sed ostendimus nos supra artic. 4. & 5. quam perverse proponant doctrinam de fide. Nam fidem definiunt, primo per fiduciam in Deum & Christum: deinde etiam per obedientiam mandatorum Dei, & Christi. Ipsum autem veræ fiduciæ fundamentum tollunt, nempe Christi pro nostris peccatis satisfactionem: cujus loco ponunt propriam obedientiam: hoc est, observationem mandatorum Dei & Christi. Ac proinde fidem appellantes, inprimis intelligunt suam illam obedientiam erga mandata Dei & Christi; cui obedientiæ tribuunt, quicquid honorificum & eximium de fide in scripturis reperitur.

Quam esse totius Evangelii de Christo, & ipsius beneficiis, abnegationem: vel ejusdem cum divina lege confusionem, perspicue ostendimus in articulo 4. Neque ullo modo errorem istum suum Photiniani confirmare possunt. Quæ enim proferunt dicta & exempla scripturæ, in quibus & fidei mentio fit, & obedientia sive operum (quæ duo illi connectunt, & una fidei definitione simul includunt) manifestum est, in iis distincte fidem describi, & ex operibus, tanquam fructibus demonstrari. Ex quibus si Photinianorum sententia concludi debeat, dicendum ipsis est, obedientiam esse ipsam fiduciam: quã tamen ipsi, tanquam alteram fidei partem, ab ea

distinguunt. Exempli gratia, producunt Psal. 78. v. 7. 8. 9. 10. 21. 22. Dan. 6. v. 23. Ionæ. 3. vers. 5. Non crediderunt, nec sperarunt in Deo, hoc est, interpretantibus Photinianis, non servarunt mandata Dei. Item: Crediderunt, & induerunt se saccis: hoc est, obtemperarunt mandatis &c. Vbi vel membrum posterius est a priore distinctum, vel cum eo unum. Si distinctum, non probant sententiam Photinianorum: quia fides ponitur, & ejusdem fructus: quæ distincta esse quis nescit? Sin unum, tum membrum posterius erit ἐξήγησις prioris: ac proinde unum idemque erit, credere, & servare mandata. Fides igitur Photiniana erit observatio legis & mandatorum Christi: Hoc est, fides erit opus legis, & opus legis erit fides, nempe juxta illud Paulinum: Ex fide, absque operibus legis: Non operanti, sed credenti, &c. Rom. 3. 4. 11. Gal. 2. 3. Eph. 2. Quæ contradictionis implicatio cum sit manifestissima, non opus est prolixiori responsione.

II. Ostendimus autem supra, in circulum justificationis opera legis intromitti non posse: quoniam opponantur tum gratiæ Dei, tum Christi merito, tum ipsi fidei.

III. Nunc ubi de justificatis hominibus sermo est, non possunt satis commendari bona opera: quia nimirum fides, (quæ in justificatione unice occupatur circa Christum fiducialiter apprehendendum, & in eo gratiam Dei, justitiam & vitam æternam posfidendum) nunc quasi foras prodiens sese exerit in producendis variis fructibus, ad Dei gloriam, & proximi salutem. Quemadmodum D. Apost,

Apost. *Galat. 5. vers. 6. Fides*, inquit, *per charitatem operatur*, hoc est, quemadmodum in justificatione fides oblatam in Evangelio gratiam & remissionem peccatorum accepit; ita nunc sese effundit liberaliter per opera charitatis, ut gratitudinem suam pro acceptis divinis beneficiis demonstret, Deum laudando, & proximo benefaciendo. Radicata igitur fides in Christo vivit vigetque, & ex eo succum vitalem haurit, ut tanquam arbor generosa fructus edat pulcherrimos. Vbi non amplius opponuntur fides & opera, sed arctissime cohærent: ut dicendum sit: veram vivamque non esse fidem, quæ operibus destituatur: quemadmodum prolixe ostendit D. Jacobus, cap. 2. vers. 14 & seqq. cujus disputationis hæc summa est: Non satis esse, verbis profiteri Christianam fidem, sed requiri, ut etiam opera respondeant professioni. Quasi dicat Christianus est, non qui dicit tantum se esse, sed qui factis etiam ostendit. Atque hoc sensu dicit Jacobus, v. 22. *fidem cooperari operibus*, hoc est, utrumque esse conjungendum, & fidei Christianæ professionem, & opera Christianæ fidei conformia: itemque *fidem perfici ex operibus*, hoc est opera demonstrare, fidei illam professionem esse veram: Sicut contra, qui fidem Christianam jactat, opera vero Christiano homine digna non facit, ostendit vanitatem suæ jactantiæ. Vnde hæc emergit conclusio, v. 24. *justificatur homo* (hoc est justus coram hominibus declaratur) *ex operibus* (professioni fidei conformibus) *& non ex fide* (hoc est, fidei externa pro-

professione) *tantum*. Hoc est, verus Christianus agnoscitur non ex sola professione fidei, sine bonis operibus: neque ex solis operibus, quantumvis speciosis, sine fide: sed utrumque oportet concurrere, fidem nempe cum operibus, & opera cum fide. Vnde jam liquet, bona opera (fructus) non efficere sive constituere hominem (arborem) coram Deo justum: sed hominem justificatum facere bona opera, & per illa coram hominibus justificari, hoc est, declarari, quod sit justus, & vera, vivaque fide præditus.

IIII. Fundamento Photinianorum destructo, reliquum ædificium stare non potest. Quæ igitur prolixe disputant de multis mandatis a novo legislatore Christo decalogo additis, ut per eorum observationem justificemur, simpliciter rejicienda sunt. Nam Christus datus nobis est, non novus *legislator*, sed *salvator*, *Luc. 2. v. 11.* Salvator, inquam, non per nova mandata, sed per remissionem peccatorum, *Matth. 1. v. 21.* ut pro nobis legi subjectus. *Gal. 4. v. 4.* a maledictione legis nos liberaret, *Gal. 3 v. 13.* ut supra art. 3. & 4. docuimus. *Legem igitur divinam Christus non auxit novis præceptis: sed Pharisaicis corruptelis contaminatam repurgavit, & explicavit. Neque difficile est, in V. Testamento demonstrare fontes omnium mandatorum, quæ Photiniani fingunt esse nova, & a Christo primum in N. T. proposita. Quæ tractatio, quia prolixior est, & pleraque habet cum Anabaptistis communia: speciatim singula excutere nostri instituti ratio non patitur, & ab aliis*

peti

peti ea possunt, qui ex professo id argumentum pertractarunt.

V. Id silentio prætereundum non est, docere Photinianos, promissiones de vita æterna tempore V. T. propositas non fuisse, sed primum per Christum in N. T. revelatas: Veteres autem habuisse promissiones amplissimas de bonis temporalibus. Quod ita audacter pronunciat Ostorodius, in institut. cap. 5. p. 36. ut affirmet, nemini unquam expresse ante Christi manifestationem, vitam æternam a Deo promissam fuisse. Vnde discrimen inter Vetus & Novum Testamentum constituit in promissionibus & mandatis, pagin. 37.

Qui error crassissimus refutatur, tum ex protevangelio, Gen. 3. vers. 15. ex quo tanquam uberrimo fonte reliquæ promissiones de Messia promanarunt, Genes. 12. 15. 18. 22. 49. &c. tum ex fide patriarcharum, per quam salvati leguntur: tum ex regula Apostolica, qua unam & eandem justificandi rationem præscribit in Veteri & Novo Testamento: nominatim proposito exemplo Abrahami & Davidis, Rom. 4. Confer etiam c. 11. ad Hebræos, & Actor. 15. vers. 11. Et quid de Enocho dicendum, & Helia? Ne sim longior, propono comminationem Dei, Gen. 2. v. 17. quam oppositam fuisse promissioni de vita æterna dubitari non potest. Quemadmodum igitur Adamus per peccatum fuit factus obnoxius æternæ morti: ita certum est, si in concreta integritate perstitisset, æterna vita beandum fuisse. Confer quæ de fide Abrahami dicuntur,

Genes.

Genes. 15. vers. 6. c. 17. vers. 1. Iohan. 8. v. 56. Rom. 4. v. 3. 16. & seqq. Heb. 11. vers. 8. &c.

ARTICVLVS VII.
DE ECCLESIA.

Hactenus dictum fuit de causis salutis nostræ, & de fructibus justificatorum hominum: Sequitur nunc de Ecclesia, in qua sola sonat illa doctrina Evangelii juxta dictum: Extra Ecclesiam non est salus. *Quæ doctrina cum sit amplissima, & variis modis obscurata, duobus distinctis articulis, 7. & 8. proponitur. Et necessaria fuit diligens & exquisita explicatio hujus capitis, propter importunos Papistarum clamores, nomen & titulum Romanæ Ecclesiæ subinde nobis objectantium: Sic autem habent verba articuli septimi:*

Item docent (*Ecclesiæ nostræ*) quod una sancta Ecclesia perpetuo mansura sit. Est autem Ecclesia congregatio sanctorum, in qua Evangelium recte docetur, & recte administrantur Sacramenta. Et ad veram unitatem Ecclesiæ satis est consentire de doctrina Evangelii, & administratione Sacramentorum. Nec necesse est, ubique esse similes

miles traditiones humanas, seu ritus aut ceremonias ab hominibus institutas. Sicut inquit Paulus: Vna fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium &c.

I.

Desumptus est hic articulus, ut & sequens octavus ex c. 12. inter 17. illa a D. Luthero non multo ante comitia Augustana comprehensa: cujus verba ita habent Tom. V. Ien. f. 16. Daß kein Zweiffel sey/ es seye und bleibe auff Erden eine heilige Christliche Kirche/ biß an der Welt Ende/ wie Christus spricht/ *Matth. ult.* Sihe/ Ich bin bey euch biß an der Welt Ende. Solche Kirche ist nichts anders/ denn die Gläubigen an Christum/ welche obgenandte (*in superioribus articulis*) Articul und Stücke halten/ glauben und lehren/ und darüber verfolget und gemartert werden in der Welt/ denn wo das Evangelium geprediget wird/ und die Sacramenta recht gebraucht/ da ist die heilige Christliche Kirche. Vnd sie ist nicht mit Gesetzen und eusserlichen Pracht/ an Stett und Zeit/ an Person und Geberde gebunden.

II.

Judicium Papistarum.

Responsio Caroli Cæsaris & Papisticorum principum ad hunc articulum est admodum dura: quem dicit non posse citra fidei præjudicium admitti. Videatur autem de illa Confessionis Augustanæ Apologia, quæ veram Confessionis sententiam

tentiam fuse explicat & confirmat, & calumniam Papistarum diluit.

Andreas Fabricius *de unitate Ecclesiæ & fidei in ea disputans, objicit nobis dissensiones Theologorum & Ecclesiarum protestantium: de quo argumento vide præfationem principum in libro Christianæ Concordiæ.*

Iohannes a Daventria *oppugnaturus definitionem Ecclesiæ seipsum implicat, ita ut pro nobis tandem concludat, in Externa Ecclesia esse bonos & malos, sed aliam Ecclesiam esse* absconditam (*paulo post vocat* internam) *quam definit ipse* sanctorum congregationem. *Postea declamitat de excellentia & authoritate Catholicæ Ecclesiæ: quo nomine ipse censet Romanam Ecclesiam: hodie Iesuitæ intelligunt solum Papam Romanum.*

Nos Ecclesiæ ea tribuimus Encomia, eamque authoritatem, quam scriptura commendat: addimus autem, ea omnia Ecclesiæ competere, quamdiu & quatenus audit & sequitur vocem sui sponsi.

Facit ille monachus discrimen inter bene fideles, & male fideles: in quo est contradictionis implicatio. Nam fieri non potest; ut quisquam sit male fidelis: cum fidelis dicatur a fide, quæ fides amplectendo Christum beat nos, & ornat omnis generis bonis. Causa erroris hæc est, quod fidem Papistæ vocant nudam historiæ Evangelicæ notitiam, vel assensum, & professionem. Fideles autem nos cum scriptura vocamus, qui sunt vera & viva in Christum fide præditi.

Noto etiam, quæ pag. 168. scribit iste monachus, nimi-

nimirum Canonicis scripturis nihil prorsus fore virium, nisi ab Ecclesia essent recepta. Hoc est, ut loquitur Cardinalis Hosius tom. I. oper. adversus Brentii prolegomena: scripturas tantum valere, quantum Æsopi fabulas, si Ecclesiæ authoritate destituantur. Quasi nimirum scripturæ divinæ authoritas & virtus dependeat ab Ecclesia, & non potius ab ipso Deo, a quo inspirata, & per Prophetas & Apostolos promulgata est.

Tum & illud non est prætereundum, quod asserit, p. 169. c. 1. contingere posse, ut pure alicubi doceatur Evangelium, riteque administrantur Sacramenta, ubi mox etiam non sit sanctorum congregatio. Quod perinde est, atque si quis dicat, contingere posse, ut alicubi audiatur Spiritus sancti vox, ubi tamen ipse non adsit aut operetur. Nos contra: ubi sonat vox Dei ad homines, & Sacramenta rite dispensantur, ibi domus Dei est, ibi Deus habitat & operatur. Extra Ecclesiam enim neque pure docetur Evangelium, neque Sacramenta rite administrantur; id quod facilime demonstrari potest.

Denique notas quasdam Ecclesiæ subjicit, & negat decreta Ecclesiæ recte vocari humanas traditiones: de quibus infra videbimus.

Johannes Hoffmeisterus: *Quæ hic articulus habet,* inquit, *mihi per omnia probantur. Subjicit autem rationes, cur confutatores hoc articulo nonnihil fuerint offensi. Et diserte contradicit Iohanni a Daventria: In sola,* inquit, *sancta Ecclesia Catholica & Apostolica recte habetur Evangelium.*

Concludit autem, etsi prima arma adversus hæreticos ex sacris Bibliis deprompta fuerunt, postea tamen propter vafritiem hæreticorum confugiendum esse ad D. Petri Cathedram, idque etiam nunc faciendum esse.

Qui si nomine Cathedræ D. Petri intelligeret Apostolicam doctrinam in scripturis comprehensam, sicut cathedra Mosis notat doctrinam Mosaicam: non debebat eam opponere sacris Bibliis. Sed imitatur ille suos præceptores, & Papam Romanum eo nomine designat: a quo definitivam sententiam in controversiis religionis expectare nos non possumus: quippe quem reum agimus infinitorum errorum, tam in fide, quam in moribus. Distinguimus autem priores Episcopos Ecclesiæ Romanæ, quos multos novimus fuisse doctissimos & sanctissimos, a posterioribus, qui occuparunt imperium vi & fraude super Ecclesiam. 2. *Thess.* 2.

III.

Analysis articuli 7.

Membra tria sunt: 1 An sit *Ecclesia*? *quod affirmatur, annexis simul adjunctis sive attributis, quod Ecclesia sit* 1. una: (*cujus unitatis ratio postea explicatur, quod consistat in consensu de doctrina Evangelii, & administratione Sacramentorum.*) 2. Sancta. 3. Perpetuo mansura. 2. Quid sit *Ecclesia; nempe, congregatio sanctorum: in qua Evangelium recte docetur, & recte administrantur Sacramenta.* 3. Vnde nascatur *Ecclesia: nimirum ex doctrina Evangelii, & administratione Sacramento-*

mentorum. Vbi additur illustratio a dissimilitudine rituum sive ceremoniarum ab hominibus institutarum, quæ non dissolvit Ecclesiæ unitatem. Confirmatur hoc membrum testimonio Apostolico Eph. 4. v. 4. 5. 6. Vna fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, &c.

IV.

De nomine sive appellatione Ecclesiæ.

Ecclesia vox est Græca, ἐκκλησία παρὰ τὸ ἐκκαλεῖν, hoc est, ab evocando, quasi diceres evocationem. Ac proinde significat, tum separationem, vi particulæ ἐκ, nimirum ratione termini *a quo*: tum collectionem sive congregationem, ratione termini *ad quem*. Id enim est καλεῖσθαι. Vnde κλῆσις vocatio, quæ fit voce Evangelii, tanquam divina aliqua tuba. Eodem modo ab Hebræis vocatur Cahal a congregando: & Edah ab indicendo & conveniendo. In Veteri Testamento usurpabatur vocabulum synagogæ: quod semel de Novi Testamenti Ecclesia dicitur Iacob. 2. vers. 2. Ad Hebr. 10. v. 25. extat appellatio ἐπισυναγωγῆς: quæ videtur deducta ex Matthæo 23. vers. 37. Quoties volui congregare, ἐπισυναγαγεῖν, Filios tuos, &c.

Varias vocis significationes sequenti tabella comprehendemus.

Ecclesia est cœtus hominum cõvocatorũ;
- Generatim: quavis de causa.
- Speciatim: nomine religionis
  - Falsæ: quæ est Ecclesia malignantium.
  - Veræ: quæ est Ecclesia Dei, tum V.T. in populo Iudæorum ante natum Christũ: tum N.T. per totum terrarum orbem post exhibitum Messiam.

Hæc dicitur
- Exquisite, proprie & principaliter cœtus Electorum. Hæc est Ecclesia
  - militans in terris & vincens.
    - universalis.
    - particularis.
      - magna sive frequens.
      - Parva, ut domestica.
  - Triumphans in cœlis.
- Populariter & synecdochice pro
  - toto cœtu vocatorum: in quo sunt
    - sancti.
    - non sancti.
  - parte eius:
    - presbyterio: vel senatu Ecclesiastico.
    - Grege, hoc est, ovibꝰ sive auditoribus.

Nusquam Ecclesia notat unam aliquam singularem personam, qualis est Papa Romanus. Est enim nomen collectivum.

Esse

Esse veram Dei Ecclesiam, adeoque fuisse ab orbe condito, & perpetuo mansuram esse, demonstratur ex clarissimis sacræ scripturæ testimoniis, *Matth. 16. v. 18. c. 28. v. 29. Ioh. 10. v. 16. 28. c. 17. v. 11. 1. Cor. 11. v. 20.* Et ex Symbolo Apostolico: *Credo Ecclesiam.* Esse Ecclesiam.

V.

Definitio Ecclesiæ.

I. Distinguit confessio inter latiorem vocis significationem, & strictiorem. *Exquisite* accipit in hoc articulo, & sic definit: *Ecclesia est congregatio sanctorum sive credentium:* Quam definitionem Apologia nervose confirmat & explicat. Vbi notandum est, maluisse Confessionem uti voce *sanctorum* & credentium, quam *Electorum:* ne quis vocem Electorum traheret in sensum alienum, de electis absoluto, quod vocare solent prædestinarii, Dei decreto. Latior enim est appellatio sanctorum, & credentium, & renatorum, quam Electorum. Dicuntur enim *Electi*, qui in fide perseverant ad finem, & finem fidei reportant salutem animarum, & glorificantur, *Matth. 10. v. 22. c. 24. v. 13. 1. Petr.* 1. *v. 9. Rom. 8. v. 30. Sancti* autem & vere credentes, quando frænum laxant carnalibus desideriis & fiunt securi, & deferunt congregationem aliorum sanctorum, & indulgent voluptatibus, & patiuntur regnare in se peccatum, abjiciunt fidem, & gratia Spiritus sancti excidunt, patiuntur fidei naufragium, avertuntur a veritate, & nisi agant pœnitentiam, damnantur: ut plenius exponemus in articulo 12. Confessio Ecclesia est congregatio sanctorum. Electi. Sancti.

igitur in Ecclesia desiderata non tantum extremum finem, verum inprimis etiam media considerat, quæ ad finem deducunt. Vnde hic syllogismus verissime concludit. *Omnis vere Christianus est verum & vivum Christi membrum, ac proinde etiam Ecclesiæ. Omnis autem vere in Christum credens, & ipsius vocem audiens, est vere Christianus. Ergo omnis vere in Christum credens, & ipsius vocem audiens, est verum & vivum Christi membrum, ac proinde etiam Ecclesiæ.* Vbi si adversarius excipere velit, fidem semel datam non amitti: remittimus eum ad articulum 12.

Ecclesia invisibilis.

II. Hanc Ecclesiam D. Lutherus vocavit *invisibilem*, propter fidem & Electionem; quæ humanis oculis perspici non potest, *1. Reg. 8. v. 39. cap. 19. v. 18. Roman. 2. vers. 28. 29, Psalm. 45. v. 14. 1. Petr. 3. v. 4. Col. 3. v. 3. 2. Timoth. 2, v. 19.* Quam Cyprianus, *lib. 2 Epist. 3.* vocat *catum Christo credentium*, cui per fidem copulantur & uniuntur: & *Chrysostomus* serm. 10. in 4. c. ad Ephesios, *ex animabus nostris constructam domum: Ambrosius* in Lucam lib. 2. cap. 3. *matrem viventium, quam Deus ædificavit in ipso summo angulari lapide Christo Iesu: Clemens Alexandrinus* lib. 7. Strom. *congregationem Electorum: Lactantius* lib. 4. c. 13. de vera sapientia, *verum templum Dei*, quod non in parietibus est, sed in corde ac fide hominum, qui credunt in eum, ac vocantur fideles.

III. Quam cum Metaphysicam vel Mathematicam esse Ecclesiam, hoc est, commentum vanissimum, vociferantur Pontificii; manifestis scripturæ,

pturæ, & piæ antiquitatis testimoniis, ipsique veritati impudenter obloquuntur. Sicut etiam in eo, quando geminam a nobis clamitant Ecclesiam fingi, unam invisibilem, alteram visibilem: Cum non nisi *unam veram Christi Ecclesiam* agnoscamus: in eaque diversos considerandi modos sive respectus ostendamus: qui respectus non efficiunt Ecclesiam a se diversam, aut multiplicem. Etenim Ecclesia *visibilis* (de qua articulo sequente plura dicenda erunt) dicitur propter prædicationem verbi, & Sacramentorum administrationem, quæ in oculos & aures incurrunt, sicut & alia quædam externa Ecclesiæ officia, adeoque ipse cætus hominum congregatorum omnino cernitur. *Invisibilis* autem (quæ in visibili comprehenditur, tanquam triticum in horreo) vocatur, ut dixi, quia oculis humanis non patent interna fides, & electio: eodem plane modo, sicut Elias dicit *1. Reg. 19. Remansi ego solus.* Vbi respondet Dominus, vers. 18. *Reservabo in Israel septem millia, omnia genua, quæ non curvaverunt se ipsi Baal & omne os, quod non osculatum est eum.* Quem insignem locum repetit D. Paulus, *Roman. 11. vers. 3. 4.* & applicat ad disputationem de rejectione Judæorum, ob contemptum Evangelii. Exurgit inde nobis argumentum firmissimum. Septem ista millia virorum fuerunt Ecclesia Dei. Non autem visibilis. Elias enim non agnovit. Ergo invisibilis. Et notari debet, isto tempore Visibilis.

ipsum etiam externum ministerium in populo Israelitico cessaviſſe. Vt alia præteream, dicant nobis ipsi Papistæ, quinam sint vere fideles & electi in amplo aliquo cætu Ecclesiastico. Quod si non possint, ut certe non possunt, quia corda intueri non valent, fateantur, Ecclesiam sanctorum & Electorum esse invisibilem. Cum enim multi vocati sint, pauci vero electi: de vocatis constare nobis potest, quinam autem inter eos sint electi, scire nos non valemus. Et tamen propter Electos, quicquid de Ecclesia honorificum dicitur, dici fatendum est. De qua Synecdoche ita Augustinus Epistol. 9. ad Paulinum circa medium: *Scripturæ mos est*, inquit, *ita loqui de parte, tanquam de toto: Sicut Corinthios in primis suæ Epistolæ partibus ita laudat, tanquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum: & postea in nonnullis Epistolæ ipsius locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent, propter quosdam qui tales erant. Istam divinarum scripturarum consuetudinem per omne corpus literarum ejus creberrime sparsam, quisquis diligenter advertit, multa dissolvit, quæ inter se videntur esse contraria. Inimicos ergo alios dicit, alios dilectos. Sed quia in uno populo erant, velut eosdem ipsos dicere videtur, quanquam & ex ipsis inimicis, qui crucifixerunt Dominum, plerique conversi sunt, & apparuerunt electi. Tunc electi, quando conversi, quantum ad salutis initium: quantum vero ad Dei præscientiam non tunc electi, sed ante constitutionem mundi.* Hactenus Augustinus.

Synecdoche scripturis usitata.

Quare

Quare perinde hic fit, ac si quis agrum egregiis epithetis ornet propter triticum, cui tamen multa mixta sint Zizania: vel urbem propter egregios cives, quibus tamen mali etiam & perversi sint commixti: vel Academiam, propter insignes & eruditos studiosos, quibus tamen intermixti sint rudes & ignavi fuci. Est enim *Ecclesiæ corpus ex multis aggregatum*, qui non sunt omnes eiusdem generis, quantum ad veram & vivam fidem in Christum, & sinceram charitate attinet: sed tamen in externa fidei professione consentiunt. Non igitur gemina, sed una Ecclesia est: in qua duplex hominum genus reperitur: unum eorum, qui vere in Christum credunt: (Hæc vocatur invisibilis Ecclesia) alterum vero hypocritarum & impœnitentium. Et firmiter tenemus axioma: *Extra cœtum vocatorum non esse quærendos Electos.* Neque in cœlis Patrem habet, qui non in terris Ecclesiam agnoscit matrem: aliaque similia.

IIII. *Ecclesia* est *una* propter fidem unam, in unum Deum, & Christum, & propter eadem Sacramenta, eandem spem & vocationem, unitatem mystici corporis, & unitatem Spiritus, *Eph. 4. v. 3. & seqq.* Ecclesia una.

V. Est *sancta*, propter Christum tanquam caput propter vocationem sanctam, ministerium sanctum, imputatam per fidem sanctitatem, novitatem vitæ, ac denique, quia contendit ad Sancta.

perfectam sanctitatem in vita æterna, *Ioh. 17. Eph. 5. v. 26. Hebr. 10. v. 14. 2. Tim. 1. v. 9. Act. 15. v. 9. 1. Cor. 1. v. 30.*

Catholica. VI. *Catholica* (quæ vox in scripturis divinis de Ecclesia non extat, sed usurpatur in Symbolis Apostolico & Niceno: nec semper eodem modo accipitur:) propter Catholicam de Christo doctrinam omnium temporum & locorum; & quia in N. Testamento per totum terrarum orbem diffusa est: Et propter discrimen ab Ecclesia particulari, *Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 16. Act. 10. v. 35. 43.* & differentiam hæreticorum. Confer in Codice Justiniani de summa trinitate & fide Catholica, l. cunctos populos.

Apostolica. VII. *Apostolica*, hoc est, ab Apostolis in Novo Testamento per prædicationem Evangelii plantata & ædificata, quæ per eandem Apostolicam doctrinam in scripturis sacris comprehensam propagatur & conservatur ad finem usque seculi, *Ephes. 2. vers. 19. 20. Act. 10. vers. 45.* Vbi nota, tametsi Prophetæ & Apostoli ratione temporis distinguuntur, illique in Veteri Testamento docuerunt, hi in Novo: in ipsa tamen doctrinæ, ut ita loquar, substantia non esse discrimen: nimirum summam salutis consistere in Jesu Christo, olim promisso, nunc exhibito, vera fide apprehendendo, *Act. 4. vers. 12. c. 10. vers. 43. cap. 15. vers. 10. 11. Rom. 4. vers. 24. Hebr. 13. v. 8. Apoc. 13. v. 8.*

VIII.

VIII. De *notis Ecclesiæ* breviter ex Confessione talem formamus syllogismum. Quicquid rem notandam certo ostendit, eique soli, & semper convenit, atque eam distinguit ab aliis omnibus rebus, & ei adæquatur, ac proinde separari ab ea non potest: istud est rei illius notandæ nota vera, certa, & propria. Atqui pura Evangelii prædicatio, & legitimus baptismi & sacræ cœnæ usus, juxta ipsius Christi institutionem, rem notandam, nempe veram N. T. Ecclesiam, certe ostendit, eique soli & semper convenit, atque eam distinguit a quibusvis aliis cætibus, & ei adæquatur, ac proinde ab ea separari non potest. Ergo pura Evangelii prædicatio, & legitimus baptismi & sacræ cœnæ usus, juxta ipsius Christi institutionem, est rei notandæ, nempe veræ N. Testamenti Ecclesiæ, nota vera, certa, & propria. Notæ Ecclesiæ.

Propositio est firmissima ex his axiomatis: Effectus proprius arguit propriam causam: & adjunctum proprium ostendit proprium subiectum.

Assumptum etiam patet. Nam officium Ecclesiæ proprium est, docere Evangelium, & administrare Sacramenta, juxta mandatum Christi, *Matt. 28. Marc. 16. &c.* Quod officium quando actu obit, recte vocatur effectum. Obtemperat enim mandato Dei. Et sic D. Paulus vocat se λειτουργὸν, ministrum Iesu Christi, in gentes sacrificantem Evangelium Dei, *Rom. 15. v. 16.* quem qui audit, ipsum Christum audit, *Luc. 10. vers. 16. Iohann. 10. vers. 16.* quia nimirum Christi verbum pro-

proponit, *Matth. 28. v. ult.* neque quicquam illi contrarium, vel ab eo diversum, *Gal. 1. v. 8. 2. Iob. 10. v. 5. 2. Thess 3. v. 6.* Vnde hoc theorema emergit: *Vera Ecclesia Christi est, in qua sonat vox Christi, & Sacramenta ab ipso instituta legitime dispensantur.* Atque hoc officium soli Ecclesiæ & semper convenire certissimum est, vel ipsis fatentibus Papistis: dum soli Ecclesiæ vendicant officium scripturas interpretandi. Vnde recte affirmamus, quam certo sermo articulatus & sapiens ostendit hominem, tam certo doctrinam Evangelii arguere Ecclesiam Christianam. Vbi ne objici possint conventicula hæreticorum, distingue inter veram scripturæ interpretationem (per quam solam in Ecclesia recte docemur) & ejusdem depravationes & corruptelas, quæ sunt hæreticorum propriæ. Quemadmodum igitur ex semine divini verbi Ecclesia dicitur generari, *Matth. 13. v. 3. 23. Marc. 4. v. 26. 1. Petr. 1. v. 23.* ita per idem conservatur, & a quibusvis aliis conventibus distinguitur: & absque eo tam esse & conservari non potest, quam nec sine oleo lampas, *Matth. 25. vers. 3. 8.* Quæ omnia ut manifestissima sint, & extra omnem dubitationem ponantur, cogitemus, ipsum Deum esse, qui vocat homines ad Ecclesiam. Vocat autem per verbum & Sacramenta, & quidem ministerio eorum, quos ipse constituit. Quorum cum de hæreticis, (qui non Dei, sed sua dogmata proponunt) affirmari nihil possit, pater alienum esse, quicquid de ipsis obtendi solet. Aliud enim est opinio & jactantia hominum: aliud ipsa Evange-

angelii veritas. Aliud ipsa fides, aliud vana fidei persuasio. Neque pro casta virgine habendum est impurum scortum (Apocal.17.) fucis exquisite pictum, & nitidis vestibus indutum, verbisque diserris castitatem suam jactitans. Erudite Augustinus lib.3. de Baptismo contra Donatistas cap.19. distinguit inter id, quod hæreticorum est, & illud quod Dei est proprium, *Hæretici*, inquit, *Sacramenta & scripturas tenent ad speciem, & non ad salutem.* Vide ibi reliqua.

IX. Non repugnabimus, si quis notis Ecclesiæ adjunxerit persecutiones, quas patitur ab impiis: de quibus scite dixit Hieronymus: *Christus neminem occidit, sed occisus fuit, nemini alapas dedit, sed accepit. Ergo qui occiditur (pro veritate) Christum imitatur: qui occidit, Anti-Christum.* Crux vexillum Ecclesiæ.

VI.

De Prædestinatione.

Cum Ecclesia dicatur cætus electorum, res ipsa postulat, ut Evangelicam de Electione doctrinam repetamus: cujus hæc est brevis delineatio.

Electio

- Electio est ordinatio ad vitam æternam. In qua considerantur
  - personæ
    - Deus eligens
      - Ex gratia & misericordia
      - in Christo intercessore & redemptore
      - secundum propositũ, & præcognitionem.
    - Homines electi: certo nimirum ordine, a Deo ipso constituto, & in Evangelio nobis revelato.
  - Media salutis
    - Offerentia & simul confirmantia, gratiam illã Dei in Christo Iesu:
      - Evangelium prædicatum, & in V. T. sacrificia Christum adumbrantia.
      - Sacramenta
        - Veteris Testamenti
          - Circumcisio.
          - Agnus paschalis.
        - Novi Testamenti
          - Baptismus.
          - S. Cœna.
    - Recipiens: Auditus verbi, & usus sacramentorum, & fides vera in Christum, ad finem perseverant.

I. Voca-

I. Vocatur *Prædestinatio* προορισμὸς a προορίζειν, quod significat ad certum finem destinare atque ordinare, nempe hic ad salutem & vitam æternam, ita, ut simul media ad finem illum deducentia, constituantur. Dicitur etiam *electio*, hoc est, segregatio, nempe filiorum Dei ad vitam æternam. Sicut ait Christus, *Iob.15.v.19.* Ego *elegi* vos *de mundo.*

II. *a* Prædestinatio sive electio est *b* Dei actio, *c* qua ante jacta mundi fundamenta *d* (non secundum opera, sed) *e* ex mera sua gratia & misericordia *f* in Christo, *g* juxta propositum *h* & prænotionem, *i* homines in peccatum prolapsos, *k* sed per Christum redemptos *l* & operatione Sp. sancti *m* per Evangelii prædicationem & sacramentorum usum, *n* perseveranter in Christum salvatorem credentes, *o* ad vitam æternam ordinavit, *p* in laudem gratiæ suæ gloriosæ.

(a) *Rom.8.v.30.c.9.v.11. c.11. v.5.28. Ephes.1.v.4.5.* (b) *ibidem, Ephes.1.v.11. 2. Thess.2.v.13. Act.13.v.48.* (c) *Eph.1.v.4. 2.Thess.2.v.13. 2.Tim.1.v.9.* (d) *Rom.9. v.11. v.5.6.* (e) *Rom.9.v.11. cap.11.v.5.6. Eph.1.v.6. 2.Tim.1.v.9.10. Ioh.3.v.16.* (f) *Ephes.1.v.4.10. 2.Tim. 1.vers.9. Ephes.1.v.5. Iohann.15.v.16.* (g) *Ephes.1.v.5. 9.11. Rom.8.v.28. cap.9.v.11. 2.Tim.1.v.9.* (h) *Rom.8. v.29. 1.Petr.1.v.1.2.* (i) *Eph.1.v.4. & seqq.* (k) *1.Petr. 1.v.18.19. Actor.20.v.28. Ioh.1.v.29.* (l) *2.Thess.2.v.13. 1.Petr.1.v.2.5. Tit.3.v.5. 2.Cor.3. v.6.8. Rom.8.v.14. & seqq.* (m) *2.Thess.2.v.13.14. 1.Petr.1.v.2. 2.Tim.1. v.9.10. Ephes.1.v.9. Rom.10.v.17.* (n) *Iob.3.v.16.36. cap.8.v.31. Matth.10.v.22. cap.24.v.13. Marc.13.v.13. Luc.*

Luc.21.v.19.c.8.v.15. Col.1.v.23. Rom.11.v.22.Hebr.3. v.6. cap 10.v.38. 2.Petr.2.v.21. 1.Tim.1.v.19. 1.Petr. 1.v.5. (o) *Actor.13.v.46. 1.Tim.1.v.16. Rom.8 v.29, 30, Eph.1.v.5. 2.Theſſ.2.v.13.* (p) *Epheſ.1.v.6.12.*

III. *Deus* igitur *ipſe eſt, qui nos elegit: idque ab æterno.* Fallunt igitur, qui dicunt, decretum quidem electionis æternum eſſe, ipſam vero electionem fieri in tempore. Vocatio ſane fit in tempore: ſed eam ab electione diſtinctam eſſe oſtendit Chriſtus dicens, multos eſſe vocatos, paucos vero electos, *Matth.20.v.16.* & D. Paulus *Rom.8.v.30.* Errant etiam periculoſiſſime, qui docent, homines eligere ſeipſos, ſua voluntate, operibus, aut meritis, quocunque colore pingant. Atque hinc (nempe ex eligente Deo) firmitas & certitudo electionis cognoſcitur, quam commendat Apoſtolus *Rom.8.v.38.39.* Et Chriſtus, *Ioh.10.v.29.* Nemo *inquit*, poteſt oves meas rapere ex manu patris mei.

IV. *Elegit autem nos Deus ex mera ſua gratia & miſericordia.* Quæ proinde vocatur cauſa electionis ſumma ſive princeps. De qua tria hæc nota: 1. *Gratia Dei non conſideratur extra Chriſtum, Eph.1.v.7. 2.Tim.1.v.9.10.* 2. *Gratia hæc Dei* (ex qua filius Dei eſt datus mundo: quæque per Evangelium annunciatur mundo: & ex qua ſalvantur credentes in Chriſtum) *eſt univerſalis, & ad omne hominum genus ſe extendit, ſed apprehenditur a ſolis credentibus.* 3. *Gratia Dei opponitur operibus, non autem fidei:* ſicut etiam liquet ex articulo juſtificationis. Sophiſtica ergo eſt collectio:

lectio : Electi sumus ex mera Dei gratia. Ergo non sumus electi per fidem in Christum. Quidni enim pariter concludis : justificamur ex mera Dei gratia : Ergo non justificamur per fidem ? Aperte jam calumniantur, qui clamant, nos docere, electos nos esse *propter* fidem. Non ita : sed electi sumus *per fidem, in fide, fide, 2. Thess. 2. v. 13. 1. Petr. 1. v. 1. 2.* Sicut & justificamur fide, sive per fidem, *non propter* fidem. Distingue inter causam instrumentalem, & meritoriam. Medium apprehendendæ gratiæ Dei nos eligentis est ipsa fides, non eius meritum.

V. *Electio est facta in Christo : qui est liber ille vitæ, Phil. 4. v. 3.* liber Dei, *Exod. 32. vers. 32.* Vide etiam *Psalm. 69. v. 29. Dan. 12. v. 1. Apoc. 13. v. 8. cap. 20. v. 12. 15. Luc. 10. v. 20.* Quam phrasin Apostolicam perperam exponunt, qui dicunt, nos esse electos in Christo, hoc est, ut simus in Christo, & in ipso, & per ipsum habeamus vitam æternam : quasi scriptum sit, εἰς χριστὸν, electos esse in Christum, vel ad Christum. Quæ esse notatio causæ finalis, vel termini ad quem. Corruptelæ illi oppono collationem phrasium : Electi sumus *in Christo, Eph. 1. v. 3. 4. per Christum*, διὰ *v. 5.* prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, *Christus ipse elegit nos, Iob. 13. vers. 18. cap. 15. vers. 16.* Vbi non tantum de electione ad Apostolatum loquitur Christus, sed includit etiam electionem ad vitam æternam. *Christus* igitur *est fundamentum & regula electionis, tanquam inter-*

cessor & mediator inter Deum & homines. Quemadmodum enim in Christo, & per ipsum, & propter ipsum justificamur, & ipse nos justificat & salvat: eodem etiam modo in ipso, & per ipsum, & propter ipsum sumus electi ab æterno. Ac proinde hic considerandum est totum Christi officium, nempe intercessio pro genere humano, & satisfactio pro peccatis: itemque admiranda contemperatio divinæ justitiæ & misericordiæ: de qua diximus supra articulo quarto. Et nihilominus prima & summa causa, atque origo & fons nostræ salutis manet sola divina gratia & misericordia: quemadmodum *Iob.3. v.16.* dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut daret filium suum, &c.* Vbi *mundus* notat totum genus humanum, peccatis contaminatum, quale in hunc mundum nascitur. Quem omnium hominum gregem Christus ibidem, vers.18. dividit in duas classes: unam credentium in Christum, alteram non credentium. Ex quo patet eorum error, qui per mundum intelligunt *solos* electos in mundo. Nam cui mundo annunciandum est Evangelium de Christo, eidem etiam mundo Christus datus est, & hunc mundum Deus dilexit. Atqui Evangelium de Christo annunciandum est toti mundo, hoc est, omnibus in mundo hominibus, non autem *solis* electis, *Matth.28.v.19. Marc.16.v.15 Actor.17. vers.30. Rom.10. v.18. Coloss.1. vers.6.* Neque ullus potest scripturæ locus proferri, in quo *mundus* notet *solos* electos: sæpe autem accipitur pro repro-

reprobis, ut *Iohann.17.v.9.* Non oro pro mundo: & passim alibi. Tenemus igitur theorema: *Quam late patet Evangelium, tam late etiam patet Christi meritum, tam late etiam patet dilectio illa Dei generalis, quæ commendatur, Ioh.3.v.16.* Alia autem est dilectio specialis, qua Deus amplectitur credentes in Christo, *Eph.1.v.6. Rom.8.v.ult.* pertinens ad voluntatem Dei consequentem, de qua postea dicendum erit.

VI. *Ordinatio ad æternam vitam facta est juxta propositum Dei, Eph.1.v.5. 9.11. Rom.8. vers.28. 2.Tim.1.v.9.* Observa hic phrasin Apostolicam, *Rom.9, v.11.* Vt secundum electionem, inquit D. Paulus, propositum Dei maneret. Dicit: *secundum electionem*, hoc est, in ipsa electione, vel quantum ad electionem, attinet. Porro *propositum illud Dei*, voluntas, consilium & beneplacitum, est decretum Dei ab æterno in Christo dispositum, & per Evangelium nobis revelatum, de hominibus per fidem in Christum salvandis. Sicut inquit Christus, *Ioh.6, v.40. Hæc est voluntas ejus qui misit me, ut omnis, qui vidit filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Comprehendit igitur illud totum ordinem mediorum nostræ salutis, nimirum omnia, quæ Deus ordinavit ad nos salvandum. Quare D. Paulus copulat & arcte connectit hoc Dei propositum, & gratiam in Christo Iesu ab æterno nobis datam, & per ipsum nobis in Evangelio manifestatam, *2.Tim.1, v.9. 10.* Vnde hoc Theorema Apostolicum summo studio nobis est observandum: *Quod*

Dei propositum, & quæ gratia nobis est per Christum manifestata in Evangelio, idem est propositum æternum, & eadem gratia nobis data in Christo Iesu ante tempora æterna. Ac proinde: Qua gratia justificamur: eadem sumus electi ad vitam æternam. Est igitur *exquisitissima confirmitas inter propositum Dei sive decretum æternum, & eiusdem executionem.* Itemque: *Dei propositum sive decretum de nostra salute ex Evangelio discendum & cognoscendum est.* Ruit igitur magno impetu totum dogma Calvinianorum de absoluto Dei proposito sive decreto, & arcana atque abscondita Dei voluntate, omnes alias causas antegrediente, de paucis quibusdam hominibus æternæ saluti, reliquis vero omnibus æternæ damnationi simpliciter & præcise destinandis: non quia illi in Christum sint credituri, hi vero in incredulitate permansuri, sed tantum ideo, quia sic Deo ab æterno visum fuerit. Quod horribile dogma pugnare cum ipso Christianæ religionis fundamento, & infinita absurda parere, tandemque vel ad carnalem securitatem, vel ad desperationem homines ducere, alibi perspicue docuimus. Vide, si libet, disputationem XIV. th. 81. & seqq. in tomo primo Gissensi, ex qua hæc excerpsimus. Fatemur & agnoscimus ipsi, iudicia Dei esse abyssum multam, *Psalm.* 36. *vers.* 7. *Rom.* 11. *vers.* 33. & occurrere in doctrina de prædestinatione multa ardua & difficilia: sed propterea non est dicenda voluntas Dei occulta de iis, quæ sunt nobis

nis in Evangelio revelata. Testantur Christus & Paulus, voluntatem Dei absconditam esse nempe rationi humanæ: eandem autem dicunt manifestatam, nempe per Christum in Evangelio, *1. Cor. 2. v. 8. Ioh. 1. v. 28. Matth. 11. v. 25. &c.*

VI. Docendi causa distinguunt pii veteres, ex ipsa scriptura, inter voluntatem Dei antecedentem, & consequentem. *Antecedens voluntas* dicitur, ut spectatur tantum in Deo, certum salutis ordinem constituente. Sic Deus vult, mitti in mundum filium, & pro peccatis satisfacere: item per Evangelium annunciari hominibus Christum, ut in ipsum credentes salventur. *Consequens voluntas* vocatur, ut spectatur & in hominibus, prout illi voluntatem Dei in Evangelio propositam vel amplectuntur, vel rejiciant, *Luc. 7. v. 30.* De hac dicitur: Qui credit in Christum salvatur: qui non credit, damnatur. Hinc facilis est conciliatio multorum dictorum, quæ prima fronte videntur pugnare. Deus vult omnes homines salvari: non vult ullum perire, &c. scilicet, voluntate *antecedente*. Deus vult solos credentes sive electos salvari, incredulos damnari, scilicet voluntate *consequente*. De voluntate igitur Dei *absoluta* nihil attinet disputare: sed in scripturis inquirere voluntatem *revelatam*: quæ est voluntas ordinata & determinata certa ratione & modo, seu limitata certa τάξει mediorum ad salutem perducentium.

VIII. Apud Scholasticos usitata, sed non satis recte explicata, est distinctio inter voluntatem

tem *signi*, & *beneplaciti*: quam miserrime depravant Calviniani, tanquam sint duæ, eæque contrariæ voluntates. Nos tenemus immotum fundamentum, quod divinum beneplacitum sit in Christo, *Matth.3.vers ult. cap 17. v.5. Ephes.5. vers.3.* & per Evangelium nobis reveletur. Quare non alia sive contraria voluntas est in signo, & in beneplacito: sed *voluntas signi* est Dei voluntas, quam in verbo suo & sacramentis Deus nobis revelavit. Consentit Becanus in Theologia Scholastica cap. 12. pag. 105. *Extra Christum* igitur *in scripturis nobis propositum, nullum beneplacitum divinum inveniri potest. Rom.16. vers.25.26. 1.Corinth.2. v.7.8. 2.Timoth.1.v.9.Ephes.1.v.9.10.* Et blasphemum est affirmare, Deum sententiam de nobis & salute nostra in animo suo alere contrariam ei, quam in Evangelio per Christum novis revelavit. Quod quid esset aliud, quam ex Deo hypocritam, ex Christo invidum, ex Evangelio vocem mendacem facere? Frustra excipit Piscator: promissionem Dei non esse speciem voluntatis Dei, sed adiunctum, nempe testimonium: In notis ad amicam collationem D. Vorstii, pag.12. Sit ita. Est igitur testimonium illud aut verum, aut falsum. Si verum, res tota salva est: & non erit contrarietas inter voluntatem Dei, & inter scripturam de ea voluntate testificantem. Sin falsum, testem oportet esse falsum, qui istud dixit: quod absit, ut ullus Christianus de Deo vel cogitet.

Qui

Qui verax, adeoque ipsa veritas est, non nisi vera dicere potest: mentiri Deus non potest. *Hebr. 6. v. 18.* Quare *qui non credit Deo in scripturis loquenti, mendacem facit eum,* hoc est, fidem illi derogat, ut mendaci, *1. Iohan. 5. v. 10.* Qui vero accipit ejus testimonium, obsignat quod Deus verus sit, *Ioh. 3. v. 33. Rom. 3. v. 4.*

VIIII. Electio facta est secundum prænotionem Dei Patris. 1. Petr. 1. v. 1. 2. Rom. 8. v. 29. Quæ prænotio sive præscientia, vel prægnitio hic refertur ad fidem in Christum, hoc sensu: Quos Deus ab æterno infallibili sua notitia prævidit sive præscivit, per Evangelii auditum Spiritus sancti gratia in Christum perseveranter credituros, hos prædestinavit, sive elegit ad vitam æternam. Diligenter notandum, *præscientiam* Dei a *prædestinatione*, distingui: quod Beza cum quibusdam aliis imperite negat. Nam D. Paulus enumerat distinctos salutis nostræ gradus, *Rom. 8. v. 29. 30.* quem tautologum dicere si unquam alibi, certe hoc loco absonum. *Quos præscivit*, inquit, *hos etiam prædestinavit.* Noli dicere: Quos prædestinavit, hos prædestinavit. Sic D. Petrus electos nos scribit juxta prægnitionem Dei Patris, *1. Petr. 1. v. 1. 2.* Noli dicere: Electi sumus juxta electionem. Item electio est filiorum Dei ad vitam æternam, Præscientia etiam versatur circa res malas. Omnia enim præscit Deus. Non autē omnia, imo ne quidē omnes homines elegit ad vitā æternam. Quare hanc ab illa distingui certum est. Neq; potest aliud quippiā nominari, quod præscientia hic

respiciat, quam fides in Christum. Vbi frustra excipiunt, fidem futuram non posse dici medium electionis, quæ æterna est. Nam e iam homines ab æterno dicuntur electi, qui demum certo tempore nascuntur. Considerantur igitur tum homines, tum ipsorum fides, non ut actu existunt, sed *ut sunt in Dei præscientia:* cui omnia sunt præsentissima. Summa: *Quæ gratia per Christum in Evangelio nobis credentibus donatur actu: Eadem in ipso nobis data est ab æterno*, ut D. Paulus expresse loquitur, 2. *Tim. 1. v. 9. 10.*

X. *Electio est facta ad vitam æternam, Act. 13. v. 48. 1. Tim. 1. v. 16. 2. Thessal. 2. vers. 13. Rom. 8. v. 29. 30. Eph. 1. v. 5.* Vnde consequitur, antea nos fuisse immersos miseriæ & morti æternæ propter peccatum. Vt enim per Evangelium vocamur ex statu peccati, ex potestate tenebrarum; ex consortio impiorum ad regnum gratiæ & lucis, & ad congregationem sanctorum: ita etiam electi dicimur & segregati ex turba damnandorum, ad cætum salvandorum. Sic loquitur Christus, *Iob. 16. v. 6.* Quos dedisti mihi de mundo, v. 10. de mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. Patet hinc, *decreto de Electione substerni miseriam humani generis, in quam per peccatum fuit prolapsum. Posterius igitur est ordine decretum electionis (pertinens ad articulum de Redemptione & sanctificatione) decreto de Creatione.*

XI. *Finis* igitur electionis respectu nostri est salus nostra & vita æterna: Respectu Dei, laus gloriosæ gratiæ Dei, *Ephes. 1. vers. 6. 12.* Gratiæ, in-

quam,

quam, Dei ejusdem, quæ etiam commendatur in justificatione nostri, *Rom. 3. vers. 24.* per redemptionem in Christo Iesu. Quæ observatio & Photinianos refutat, gratiæ Dei in justificatione meritum Christi sophistice opponentes: & Calvinianos, eidem gratiæ in electione opponentes quoque fidem. Qui si vociferari perrexerint, Pelagianismum sapere, si quis doceat, electos nos esse per fidem in Christum: respondeant nobis oportet, pari modo Pelagianum videri, si dicamur justificari per fidem in Christum. Verissima enim est regula: *Eadem sunt causa electionis & justificationis:* nempe eadem Dei gratia, *2. Tim. 1. vers. 9. 10.* idem Christus, *Eph. 1. v. 3. 5. Rom. 3. v. 24.* eadem fides, *2. Thessal. 2. v. 13. Rom. 3. vers. 28.* id quod evidenter demonstratur ex aurea salutis catena, *Rom. 8. vers. 29. 30. Quo enim ordine & modo Deus ab æterno decrevit nos salvare, eodem salvat in tempore & vicissim.* Voluntas enim Dei semper est eadem, quam conversio temporis non mutat. Quare fallunt, qui dicunt, alias esse causas electionis, alias executionis ejusdem. *Hæc est voluntas,* inquit Christus, *Ioh. 6. v. 40.* (æterna & immutabilis) *ejus, qui misit me, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: & resuscitabo ego eum in novissima die.*

XII. *Fructum* electorum & *officium* notat Apostolus *Ephes. 1. vers. 4.* quando electos nos esse dicit, *ut simus sancti & irreprehensibiles.* Nimirum, quia sumus a Deo creati in justitia & sanctitate, *Eph. 4. v. 24.* a qua discessimus per peccatum,

Genes. 3. reducti ad eandem per Christum, & in filios Dei adoptati, *Eph. 1. v. 5.* Vivere debemus, ut filios Dei decet, nempe in justitia & sanctitate. Vnde intelligitur, elumbe esse argumentum *Huberi:* Omnes homines debent esse sancti & irreprehensibiles: Ergo omnes homines sunt electi. Negatur consecutio: quia obligatio illa ad studium sanctitatis & justitiæ primo dependet a creatione. Sumus enim creati ad Dei imaginem & similitudinem, *Gen. 1. v. 26. 27.* Estque hæc collectio certissima: *Quicunque sunt ad Dei imaginem creati, illi debent esse sancti & irreprehensibiles.* Omnes homines in Adamo, tanquam stirpe humani generis, sunt ad Dei imaginem creati. Ergo omnes homines debent esse sancti & irreprehensibiles. Porro, quia in electione ad imaginem istam Dei reducimur, planum est, electis sancte pieque vivendum esse, ut filii sint conformes cœlesti patri. Vnde consequitur, non eos, qui *debent* esse sancti & irreprehensibiles, omnes electos esse, sed solos istos, qui *sunt* sancti & irreprehensibiles. Perinde ac si dicerem: Non omnes qui *debent* credere, sunt salvandi, sed soli isti, qui *credunt*, & in fide perseverant.

XIII. *Objectum electionis* sunt homines, sed non omnes, neque integri ante lapsum sive sancti, sed peccatores: neque hi quidem omnes, sed ex istis illi *soli & omnes*, (qui reprobis comparati, pauci sunt, *Matth. 20. v. 16. c. 22. v. 14.*) qui juxta Dei propositum & præscientiam per ministerium Evangelii constanter sunt in Christum, humani gene-

generis redemptorem, crediturí, *1. Tim. 1. v. 16. 2. Thess. 2. v. 13. 1. Petr. 1. v. 1. 2. Act. 15. v. 18.* Quod breviter demonstratur ex catena Apostolica, *Rom. 8. v. 29. 30.* itemque ex causis electionis. Nam quisquis ex gratia Dei propter meritum Christi per fidem justificatur, is est peccator, nempe *resipiscens & credens:* Justificatio enim est peccatorum remissio. Omnes autem electi justificantur. Ergo omnes electi sunt peccatores, nempe resipiscentes, & credentes. Vnde planum fit, non recte dici, in Christo angelos ad vitam æternam electos. Nam neque Christus angelicam naturam in se habet, neque pro angelis passus est, neque ministerium verbi & sacramentorum pro angelis (sed pro solis hominibus) instituit, nec opus habent sancti angeli remissione peccatorum. Denique perperam sentiunt, qui docent decretum *electionis* ordine esse prius decreto *creationis*. Nam ut creatio, in articulis symboli Apostolici, prior est redemptione: ita certum est, decretum de creatione ordine esse prius. Et redemptio, non dicitur nisi hominis lapsi & sub peccatum venditi. Quare *electi dicuntur ad vitam illi, qui fuere propter peccatum obnoxii morti.* Substernitur igitur electioni lapsus humani generis: Quod adeo est manifestum, ut ex Calvini (contra ipsum Calvinum) sectatoribus multi, adeoque ipsa etiam Synodus Dordrechthana, hodie fateantur: id quod diligenter observandum est, in tota hac disputatione.

XIII. *Includimus electioni fidem, qua apprehenditur*

ditur Christus, & in ipso gratia Dei nos eligentis. Sic enim Paulus, 2. *Thess* 2. *v.* 13. *Elegit nos Deus*, inquit, *ab initio ad salutem in sanctificatione spiritus, & fide veritatis.* Per sanctificationem spiritus intelligit ministerium Evangelii, per quod sanctificamur, 2. *Cor.* 3. *v.* 8. *Ioh.* 17. *v.* 17. 19. 20. *Act.* 15. *v.* 8. quemadmodum patet ex collatione loci Petrini, 1. *Petr.* 1. *v.* 1. 2. Est igitur theorema Apostolicum: *Electi sumus ad salutem per ministerium Evangelii, & fidem in Christum.* Quem clarissimum locum non evertent ullæ sophisticationes. Cumque constet, electos nos esse in Christo: ἀδύνατον est, non etiam includi fidem: qua una Christus apprehenditur. Suntque pares propositiones: justificamur in Christo, nempe per fidem apprehenso: & electi sumus in Christo, nempe per fidem apprehendendo. Quia ea ipsa gratia, *quæ in Evangelio nobis revelatur, ea ipsa, inquam, data est nobis in Christo ante tempora æterna*, 2. *Tim.* 1. *v.* 9. 10. ut verissime possimus dicere, ex 1. *Tim.* 1. *vers.* 16. gratiam Dei, nos in Christo eligentis, ab æterno datam in Christo omnibus in ipsum credituris ad vitam æternam.

XV. Hanc doctrinam Pelagianismi accusant, qui ordinem salutis nostræ in Evangelio propositum non intelligunt. Nam 1. Deus misertus generis humani in peccatum prolapsi, ex mera gratia donat ei filium suum, *Ioh.* 3. *v.* 16. *Rom.* 8. *v.* 32. 1. *Ioban.* 4. *v.* 9. 10. Nullum hic opus humanum, nullum meritum. 2. Christus pro nobis legi subjectus tollit maledictionem, & justitiam

am adducit, vitamque nobis æternam acquirit, *Gal. 4. v. 4. 5. Dan. 9. vers. 24. 1. Iohan. 5. vers. 11.* Nullum hic noſtrum opus, nullum meritum. 3. Hæc beneficia Chriſtus per Evangelium nobis proponit, offert, &. ut iis fruamur, invitat. Nullum hic noſtrum meritum. 4. Spiritus ſanctus per Evangelium auditum & meditatum efficaciter operatur, cordaque noſtra illuſtrat, & fidem in nobis accendit. Nullum hic meriti humani veſtigium apparet. 5. Fides a Spiritu ſancto per miniſterium verbi & Sacramentorum accenſa apprehendit in Evangelio Chriſtum: & in Chriſto gratiam Dei ad vitam æternam nos eligentis, peccata remittentis, in filios adoptantis, & æternum glorificantis. Quæſo te. quisquis hæc legis, ubi ulla latet Pelagianiſmi in hac doctrina ſuſpicio? Fidem Pelagius adſcribebat humanis viribus, & propter ejus dignitatem nos docebat electos eſſe, & juſtificari. Quem errorem ſolide refutavit Auguſtinus, & nos itidem damnamus & execramur toto corde & ore: diſerte negantes, per illam (Pelagianam) fidem nos electos eſſe, & juſtificari. Quid autem hoc ad veram fidem, electorum propriam, quæ eſt donum Dei, per Evangelium nobis collatum?

XVI. Sed & illud hic pie meditare, quomodo fides illa vera ſeſe habeat ad electionem. Nam ſæpe hoc argumentum a multis opponitur: Fides eſt electionis effectum: Non igitur poſſumus aut debemus dici electi per fidem. Omnis enim cauſa ſuo effecto ordine prior eſt. At, inquam ego, D. Apo-

Apostolus diserte scribit, nos esse electos in fide, 2. *Thess.* 2. v. 23. Phrasis igitur illa rejici non potest. Quare consequentia Calvinianis probanda fuerat. Nam iidem docent, etiam Christum esse effectum electionis. Pari igitur modo negandum ipsis erit, esse nos in Christo, sive per ipsum, electos. Hoc vero est Apostolo in os contradicere, *Ephes.* 1. v. 4. 5. 6. ubi nota, & confer: duas has propositiones: Deus ἐχαρίτωσι gratos nos reddidit (in electione) in dilecto, nempe Christo, v. 6. & v. 7. In Christo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus. Apparet hinc, *eandem esse Dei gratiam in Christo nos eligentis, & peccata nobis remittentis.* Vnde infero: Si electionis effectus est Christus: erit etiam effectus remissionis peccatorum: quia & hæc, & illa fluit ex eadem Dei gratia, ex qua filium suum nobis dedit. Atqui hoc posterius in Ecclesia inauditum est. Præterea, quia peccata non remittuntur, nisi per & propter Christum: electio hominum peccatorum fieri non potuit, nisi per & propter Christum: nisi velis cum Photinianis affirmare, Deum pro absoluto quodam jure peccata dimittere, sine interveniente satisfactione: quem errorem supra profligavimus in articulo quarto. Quare sancte affirmo, in qua argumentorum classe ponitur Christus in articulo justificationis, in eadem ponendum etiam esse in articulo electionis. Examina catenam Apostolicam salutis nostræ. *Rom.* 8. v. 28. 30. Vides ibi 1. præcognitionem, 2. electionem,

ctionem, 3. vocationem, 4. justificationem, 5. glorificationem. Si electionis effectus est Christus, erit in ordine Christus electione posterior: Ergo electio ante Christum: Ergo electio non potest dici in Christo facta: Ergo ipse Christus erit in numero electorum ad vitam æternam. Quæ omnia ut quam absurda sint, magis perspicias, cogita filium Deo patri coæternum, in quo facta est electio nostri. Elegit igitur nos, non ipse electus est; Ne erres, distingue inter prænognitionem, & destinationem Christi ad officium mediatoris, *1. Petr. 1. v. 19. 20.* & electionem nostri ad vitam æternam. Quæ ubi confunduntur, errari necesse est. Si nunc quæram, elegeritne nos cum Patre & Spiritu sancto filius Dei, in æterno SS. Trinitatis consilio destinatus mediator generis humani, ad salutem: quis piorum negabit? Est enim electio, actio totius Trinitatis uti constat: a qua proinde excludi filius Dei non potest. Atque hoc modo non potest dici filius Dei effectum electionis. Cujus incarnatio etsi in plenitudine temporis facta est, tamen decretum de ea præcedere in ordine decretum electionis nostri, dubitari non debet. Neque distrahendæ sunt Christi naturæ in officio, ut Deitati ipsius soli electio nostri adscribatur. Vt enim in Christo Deo & homine justificamur: sic eodem modo in ipso sumus electi: ut apertissime ostendit Apostolus *Ephes. 1.* Vbi ne διαστήματα temporum te implicent, cogita, Deo omnia esse præsentissima, *Act. 15. v. 18.* nihil præteritum, nihil futurum: nosq; verba deficere, quibus

tantum

tantum mysterium plane explicemus. Non delirabis, tunc demum cœpisse filium Dei agere inter Deum & nos mediatorem, cum in hunc mundum homo natus est. Nam pro lapsis Adamo & Eva intercessit, eisdem primam Evangelii promissionem promulgavit, & sic collegit sibi Ecclesiam, ab exordio mundi, quam postea propagavit, & adhuc conservat. Unus enim idemque est, (una numero persona) de quo Epistola ad Hebr. *c.* 13. *v.* 8. *Iesus Christus*, inquit, *heri & hodie, ipse & in secula.* Quo etiam illud pertinet in Apocalypsi, *c.* 13. *vers.* 8. *Agnus est mactatus ab origine mundi.* Quod de Christo Deo & homine intelligendum vel inde liquet, quia filius Dei in natura sua divina mactari non potest. Mactatus igitur dicitur agnus (Christus) in æterno Dei consilio, in divina promissione, in revelatione Evangelii, in sacrificiis, tanquam typis, in animis sanctorum Patriarcharum, qui per fidem hoc sacrificium adspexerunt, & per illud salvati sunt. Nam actus mactationis in ara crucis transiit quidem, & semel Christus est oblatus, *Hebr. 9. v.* 26. *c.* 10. *v.* 12. 14. Sed ejus virtus & efficacia se extendit ad omnia tempora propter personæ infinitatem. Vt enim peccatum meretur infinitas pœnas, quod contra ipsius Dei majestatem committitur: ita obedientia & meritum Christi sunt virtutis infinitæ, quia persona infinita est.

Hæc igitur taliaque qui pie considerant, non negabunt, in hoc Christo pro nobis mactato, & per ipsum, & propter ipsum nos ad vitam æternam

nam electos esse, ante jacta mundi fundamenta, ut Apostolus docet, Ephes. 1. Non igitur effectus, sed causa electionis nostri est Christus: quem apprehendens fides (in divina præscientia) in ipso apprehendit gratiam Dei ad vitam nos eligentis.

Cujus fidei veras & proximas causas, si inquiramus, planum est, principalem esse Spiritum sanctum, instrumentalem ministerium verbi & sacramentorum, ut docuimus articulo quinto. Quare qui dicunt fidem esse effectum electionis, loquuntur populariter, & respiciunt ad propositum illud Dei, secundum quod Deus nos elegit, in quo comprehenditur totus mediorum salutis ordo. Nimirum 1. *Gratia Dei*, quæ est fons salutis, 2. *Christus* nobis datus mediator, & salvator in toto suo officio. 3. *Evangelium* & sacramenta, in quibus Christus nobis offertur. 4. *Fides* per Spiritum sanctum ex auditu verbi, & sacramentorum usu accensa, in promissione Evangelii Christum, & in Christo gratiam Dei apprehendens. Hæc simplicia & plana sunt, neque possunt negari. Eaque verissime est sententia D. Luth. in præfat. ad Epist. D. Pauli ad Romanos: cujus verba quædam plane in alienam sententiam a nonnullis torquentur. Legatur ipsius commentarius in c. 26. Genes.

XVII. *Fides electorum est perseverans.* Nam qui perseveraverit ad finem, salvus erit, inquit Christus, *Matth.* 10. *v.* 22. *c.* 24. *v.* 13. *& Pet.* 1. *Epist. c.* 1. *v.* 9. salutem animarum appellat fidei finem. Quidam enim credunt ad tempus, & post-

ea desciscunt, *Luc. 8. v. 13.* Posse autem etiam veram fidem amitti per peccata regnantia, demonstrabitur articulo 12. Hinc patet, non simpliciter omnes credentes, sed omnes & solos in fide perseverantes ad finem, electos esse. Quod ex catena Apostolica liquet. *Rom. 8. v. 29. 30.* Omnes electi glorificantur. Credentes ad tempus, & postea desciscentes, non glorificantur. Ergo credentes ad tempus & postea desciscentes, non sunt electi. Vbi homonymias quærere in voce electorum opꝰ non est. Illi enim omnes & soli sunt electi, quibꝰ definitio electionis, supra a nobis ex scripturæ dictis proposita & confirmata, potest applicari.

XVII. Hinc dependet *electionis particularitas*: nimirum, quia plerique non credunt Evangelio: & invitati ad nuptias recusant venire. Hi vocantur reprobi. Reprobationis descriptionem hanc propono. *Reprobatio est, qua Deus homines peccatores propter impœnitentiam, quia in Christum totius humani generis redemptorem non credunt, justo judicio, juxta æternum suum decretum,* (Qui non credunt, damnabuntur,) *non eligit* (non scribit cum justis in libro vitæ) *sed in miseria* (in quam propria culpa sive peccato, contra Dei mandatum admisso, sese præcipitarunt) *relinquit, iis irascitur, & eos adjudicat æternæ damnationi.*

XVIII. *Causa* igitur *reprobationis* non est odium Dei absolutum, & simplex, *(dilexit enim Deus totum mundum, Ioh. 3. v. 16.)* aut insufficientia meriti Christi. (*Est* enim *agnus Dei portans*

pec-

peccata mundi, Ioh. 1. v. 29. & propitiatio pro peccatis totius mundi, 1. *Ioh. 2. v. 2.*) aut defectus Evangelii: quod Christus jussit annunciari toti mundo, *Matth. 28. Marc. 16. Col. 1.* Sed *propria hominum culpa, impœnitentia, & incredulitas:* ut liquet ex dicto Christi, *Ioh. 3. v. 16. 18. 36.* Qui non credit, jam judicatus est (in æterno illo Dei decreto: Non credentes, damnabuntur) quia non credidit in nomen unigeniti filii Dei.

Non effugiet excipiendo, sermonem ibi esse de executione, non de ipso decreto. Nam exquisitissima est conformitas inter decretum Dei, & executionem, ut supra notavimus. Et dilectio Dei, quam v. 16. commendat Christus, non demum cœpit, cum in mundum veniret Christus, sed æterna est: Et voluntas illa Dei de mittendo filio æterna est: Et decretum illud eodem modo æternum est, de salvandis credentibus, & incredulis damnandis. Quæ omnia tam clara sunt, ut contradictionem non patiantur. Et vere hic usurpamus illud *Ioh. 1. v. 18. Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui in sinu patris est, ipse exposuit,* id est, notitiam ejus dedit, ut Græcum verbum ἐξηγήσατο interpretatur Stephanus. Tria igitur hoc insigni loco divina decreta revelantur, 1. *Deus dilexit mundum, & misertus est generis humani.* Hæc gratia illa est passim in scripturis commendata. 2. *Deus decrevit mundo dare filium, ut per ipsum salvetur.* 3. *Deus decrevit, ut qui in filium, missum in mundum, & per Evangelium annunciatum credunt, solventur: qui non credunt, damnentur.*

Vnde concluditur, ut damnationis, ita etiam reprobationis causam consistere non in decreto primo vel secundo, sed tertio. Non igitur dicas: Iudas est reprobus vel damnatus, quia Deus eum non dilexit, vel quia ipsi filius Dei non est missus: verum ideo & propter hanc causam, quod non credidit in nomen unigeniti filii Dei. Debuit ergo in eum credere: ac proinde etiam ipsi missus est: & ipsum Deus dilexit, dato filio.

XX. Adjungam syllogismum, quo demonstratur plena perfectaque Christi pro peccatis totius mundi satisfactio: quo stante, Calvinianorum dogma de absoluto Dei decreto ruere necesse est. Ita habet: Qui 1. a Deo patre in hunc mundum missus est, ut assumpta natura humana salvaret humanum genus. 2. Et ipse ideo venit, ut per ipsum salvaretur, quod perierat, nempe totum hominum genus. 3. Ac proinde mortuus est pro toto mundo. 4. Non tantum pro Iudæis, sed etiam pro gentibus. 5. Non pro credentibus solum, sed pro tota etiam reliqua hominum multitudine. 6. Adeoque etiam pro impiis. 7. Et illis qui ipsum negant. 8. Et qui pereunt. 9. Vt ita beneficium ipsius minime sit arctius & contractius delicto Adami: sed potius superabundet. 10. Vnde etiam hoc ipsius beneficium per Evangelium annunciari & offerri debet omnibus hominibus, ut omnes, qui vera fide ipsum suscipiunt, salventur, reliqui autem damnentur, ideo, quia non crediderunt in ipsum: Certum est, eum satisfeciſſe & mortuum esse

esse pro peccatis omnium omnino, sine ulla exceptione, hominum.

Atqui 1. *filius Dei a patre in hunc mundum missus est, ut assumpta humana natura salvaret humanum genus. Ioh. 3. v. 17.* Misit Deus filium suum, ut mundus salvetur per ipsum, *1. Ioh. 4. v. 14.* Pater misit filium, salvatorem mundi, *Gal. 4. v. 2. 2. Cor. 5. v. 19. Esa. 53. vers. 5. &c.* 2. *Et ideo ipse venit, ut per ipsum salvaretur, quod perierat nempe totum hominum genus, Matth. 18. v. 11. Luc. 19. v. 10.* Venit filius hominis salvare, quod perierat, *Ioh. 2. v. 47.* ut salvificet mundum. *Luc. 2. v 10. 11.* Gaudium ex Christi nativitate futurum est omni populo, *Tit. 2. v, 11.* Illuxit gratia Dei salutifera omnibus hominibus. 3. *Ac proinde mortuus est pro toto mundo, Ioh. 1. v. 29.* Christus est agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi, *2. Cor. 5. v. 19.* Deus erat in Christo, reconcilians sibi mundum, *Rom. 5. v. 18. 19. 1. Cor. 15. vers. 22. 1. Tim. 2. vers. 6. 2. Cor. 5. vers. 14. 15. Col. 1. v. 20.* 4. Non tantum pro Iudæis, sed etiam gentibus, *1. Timoth. 2. v. 6.* Christus semetipsum dedit pro omnibus, *Hebr. 2. v. 9.* Mortem gustavit pro omnibus, *Gal. 3. v. 28. Rom. 3. vers. 9. & seqq.* 5. *Non pro credentibus solum, sed pro tota etiam reliqua hominum multitudine, 1. Timoth. 4. vers. 10.* Deus est salvator omnium hominum, maxime fidelium, *1. Iohan. 2. v. 2.* Christus est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, hoc est, credentium, sed etiam pro totius mundi, hoc est, totius generis humani. 6. *Adeoque*

etiam pro impiis, Roman. 5. v. 6. Christus pro impiis mortuus est. 7. *Et illis, qui ipsum negant, 2. Petr. 2. vers. 1.* Doctores mendaces negant, qui ipsos mercatus, dominum. 8. *Et qui pereunt, Rom. 14. v. 16.* Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est, *1. Cor. 8. v. 11.* Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est. Refer huc etiam *Hebr. 6. vers.* 4. 5. 6. Qui peccant in S. S. illi rursus crucifigunt sibimetipsis filium Dei, *cap. 10. vers. 10.* Et sanguinem testamenti pollûtum ducunt, in quo sanctificati sunt. 9. *Vt ita beneficium ipsius minime sit arctius & contractius delicto Adami, sed potius superabundet, Roman. 5. vers. 15. & seqq. 1. Cor. 15. vers. 21, 22.* 10. *Vide etiam ipsius hoc beneficium per Evangelium annunciari & offerri debet omnibus hominibus, ut omnes, qui vera fide ipsum suscipiunt, salventur: reliqui autem damnentur, ideo quia non crediderunt in ipsum.* Ergo certum est, Christum satisfeciſſe, & mortuum esse pro peccatis omnium omnino, sine ulla exceptione, hominum.

VII.

Errores Papistarum de Ecclesia.

Sed tempus est, ut stricte recitemus Pontificiorum de Ecclesia praecipuos errores: quos refutare ex iis, qua ducimus, erit facilimum, 1. *Crassus error est in ipso* nomine Ecclesiæ, *quod accipiunt de solo Pontifice Romano: cum dicitur Ecclesia interpretari scripturas, judicare de controversiis Theologicis &c.* 2. *Et tamen idem nomen accommodant*

ad

ad veteres Ecclesiæ Doctores, quos patres appellant: quorum consensum dicunt esse regulam divinæ veritatis. 3. *Rursum illud ipsum referunt ad Cardinales & Episcopos. Itemque Concilium, quod appellant Ecclesiam representativam.* 4. *Hinc igitur Ecclesia Catholica ipsis est, quæ agnoscit & sequitur Papam Romanum, pro vero legitimo & ordinario Petri successore & Christi in terris vicario, & pro capite visibili universalis Ecclesiæ.* 5. Invisibilem esse Ecclesiam (*respectu vere credentium & Electorum*) *prorsus negant: quia comparetur civitati in monte sitæ. Matth. 5. v. 14.* 6. *Promissiones Ecclesiæ factas restringunt ad solum Papam.* 7. *Prædicationem Evangelii & administrationem Sacramentorum negant esse veras & certas notas Ecclesiæ: quarum loco alii tres ponunt, ut Costerus, alii sex vel octo, ut Valentinianus, alii duodecim, ut Apostata Pistorius alii quindecim, ut Bellarminus: quæ omnes sunt ejusmodi, ut vel ad veras notas, a nobis propositas, possint referri, vel sint aliis etiam communes & accidentariæ, ac proinde neque propria, neque perpetua, vel ambigua, obscuræ, fallaces, & incertæ. Vide, si libet disput. 4. Anti-Pistorianæ thes. 68. & 74. cum seqq.* 8. *Ecclesiam extollunt supra scripturam, hoc est, Papam supra Deum.* 9. *Ac proinde Ecclesiam negant posse errare.* 10. *Et ab Ecclesia dicunt scripturam habere suam authoritatem.* 11. *Apostolorum tempore Ecclesiam scribunt fuisse rudem, informem, & in infantia: nunc longe splendidiorem esse.* 12. *Romanam Ecclesiam vocant matrem fidei,*

universalem magistram, & dominam omnium Ecclesiarum. 13. *Ecclesiam veram esse negant Lutheranam: quia Romanae sese non subjiciat.* 14. *Quae de perpetua successione Episcoporum afferre solent, a Stapletono hactenus recte explicantur, qui fatetur*, nullam esse veram successionem posse, absque vera doctrina.

Vnde nos inferimus: in quacunque Ecclesia sonat vera & pura Apostolica doctrina, in ea est Apostolica successo, ac proinde est ea Apostolica Ecclesia. In Ecclesia Augustanae Confessioni addicta sonat vera & pura Apostolica doctrina. Ergo in Ecclesia Augustanae Confessioni addicta est Apostolica successio, ac proinde ipsa est Apostolica Ecclesia. Contra in Ecclesia hodierna Romanensi non est pura Apostolica doctrina, sed multo fermento humanarum traditionum contaminata. Quare nec pura Apostolica successio: ac proinde Romanensis hodierna Ecclesia non est pura Apostolica Ecclesia. *Quomodo autem in eadem Ecclesia sit pretiosum discernendum a vili, monstrabimus in articulo sequente 8.*

De prædestinatione sive electione.

I. Scholasticorum de prædestinatione sententiæ variant. Occam & Biel, quos sequitur Albertus Pighius, & multi alii, quam proxime accedunt ad Pelagianos, qui docebant, propter prævisa bona opera homines ad vitam æternam esse electos. Hos gravissime refutavit D. Augusti-

nus,

nus, Lombardus, Thomas, & Bonaventura videri possunt modestiores: absolvi tamen a semipelagianismo non possunt. Imo, cum statuant scholastici in genere, homines ex congruo mereri justificationem, & ex condigno glorificationem: consequens est, eosdem statuere, electione factam esse ex præscientia meritorum. Vbi miserie se torquet Bellarminus, variisque seipsum contradictionibus implicat, ut a Pelagianismi accusatione liberare se valeat: idque dum facit, in casses incidit Calvinianorum: id quod Becanus recte observavit c. 14. Theol. schol. Nam prædestinationem dicit esse geminam: unam ad vitam, alteram ad interitum, lib. 2. de gratia & libero arbitrio cap. 9. & 16. Et decretum prædestinationis statuit simplex atque absolutum, quod non aliunde, nisi ab ipsa sola & præcisa Dei voluntate dependeat, c. 8. ubi inter cætera: Credimus, inquit de se & suis, Deum, absoluta voluntate velle salvare multos, tum parvulos, tum adultos, & absoluta voluntate alios non velle salvare, tum parvulos, tum adultos. Et cap. 16. cum dixisset, reprobos opponi electis contradictorie & contrarie, concludit, non dari causam ex parte hominum reprobationis negativæ, quam distinguit a positiva reprobatione. Et ad quæstionem, cur Deus Jacob dilexerit, Esau vero odio habuerit, ita respondet: Restat igitur, inquit, ut hujus discretionis causa sit voluntas Dei, quæ unum liberat, quia sic ei placet, alterum autem non liberat, quia non placet.

II. Cæ-

II. Cæterum ordinem prædestinationis his verbis describit cap. 9. Primum, inquit, prævidit Deus, si hominem conderet, eum lapsurum cum omni posteritate, & simul vidit, posse se variis modis liberare vel omnes, vel aliquos pro arbitratu suo. Deinde voluit hominem condere, ac ut laberetur, permittere, & quosdam ex numero lapsorum misericorditer liberare, aliis in massa perditionis juste relictis. Tertio excogitavit remedia, salvandis electis idonea, in quibus primum locum habuit incarnatio & passio salvatoris. Quarto, approbavit ea remedia, & tunc elegit Christum, & nos in ipso ante mundi constitutionem. Quinto disposuit, ordinavit, & quodammodo imperavit, ut ita fieret. Porro in responsionibus ad objectiones cap. 13. scribit, aliam esse rationem prædestinationis, aliam executionis. Et c. 14. electionem aliam dicit esse æternam, aliam fieri in tempore. Item: Duobus modis considerat electionem. Vno, ut est intentio dandi gloriam: alio, ut est dispositio executionis, & quasi executio in mente divina.

III. Cum Bellarmino facit Franciscus Suarez: sed ab his plerique alii Jesuitæ abeunt diversi, defendentes monachorum sententiam, quod electio dependeat ex bonorum operum præviſione. Hi igitur saltem Semipelagianis accensentur non immerito, Bellarminus vero Calvinianis. A quibus etsi in nonnullis dissentit, quod fateor ingenue, tamen est consensus in summa rei, nempe in absoluto decreto: quod paucis ita demonstro.

1. Ex

1. Ex disertis Bellarmini verbis ante allegans. 2. Ex ordine prædestinationis ab ipso descripto: In quo ipse Christus proponitur tanquam electus, & quidem quarto demum decreto. 3 Et decretum electionis ponitur ante remedia salutis. Vnde consequitur, factum esse extra Christum. 4. Cumque in decreto secundo Deus velit tantum aliquos salvare: consequitur illis solis remedia salutis destinata. 5. Vbi si causam quæras, cur velit Deus salvari aliquos, non omnes; respondet Bellarminus: Quia sic velit. 6. Imo etiam de reprobis eodem modo respondet, Deum non velle eos salvari, quia non velit. 7. Cumque electionem & reprobationem dicat contrarie opponi, consequens est, sicut electio non est facta propter prævisionem bonorum operum; ita etiam reprobationem non esse factam propter prævisionem peccatorum. 8. Quid? quod expresse Bellarminus aliam affirmat esse rationem prædestinationis, aliam executionis, lib. 2. de gratia & libero arbitrio, cap. 13. Quæ omnia, eaque similia, satis ostendunt, Bellarminum tueri hoc loco absolutum Calvinianorum decretum. Qui alibi Calvinianos oppugnans in eodem argumento, suam prodit inconstantiam. Quæ in eo etiam elucet, quod fortiter contra alios Papistas disputat de prævisione operum, cap. 8. & tamen ipse cap. 14. expressis verbis scribit, electionem præexigere prævisionem bonorum operum, nimirum, quatenus electio est dispositio executionis. Qua nova distinctione novos errores peperit. Vide Martinum Beca-

Becanus cap.14. Theologiæ Scholasticæ, ubi multa Bellarm. argumenta refutat.

IIII. Recte idem Becanus notat p. 134. prædestinationis nomen in divinis literis semper in bonam partem accipi: nempe pro æterna destinatione ad vitam duntaxat. Distinguit autem ex Thoma electionem & prædestinationem, p. 136. quæ in scripturis idem valent, confer *Rom. 8. v. 30. Eph. 1. v. 4. 5.* Electionem etiam geminam facit: unam ad gratiam, alteram ad gloriam, pag. 136. Quam distinctionem scriptura ignorat, neque sensu Papistico ferre eam potest: quia omnes & soli electi glorificantur, *Rom. 8. v. 29. 30.* Vnde controversia tollitur, quam ipse scribit agitari inter scholasticos, quorum alii electionem priorem esse prædestinatione asserunt, alii posteriorem, p. 137. Nam D. Paulo idem notat, ὃς προώρισε, quos prædestinavit, *Rom. 8. v. 30.* & ἐξελέξατο elegit, *Ephes. 1. v. 4.* ubi statim, *v. 5.* subjicit, προορίσας ἡμᾶς, qui prædestinavit nos.

V. Postea Becanus proponit quæstionem p. 1. 6. an prædestinatio ad gloriam facta sit ex prævisis meritis: quam dicit aliquos negare, quos ibi non nominat (sunt autem Bellarminus & Suaretz, ut fatetur ipse, pag. 192. qui distinguunt, inter voluntatem prædestinantem, & exequentem: quam distinctionem etiam habent quidam Calvini Sectatores,) alios vero affirmare, quos nominat multos, præter antiquos, Alensem, Albertum, Bonaventuram, Henricum Gandavensem, Thomam Argentinam, Ocham, Gabrielem, Joh. Majorem,

iorem, Albertum Pighium, Osorium, Ruardum Driedonem, Eckium, Turrianum, Stapletonum, Bartholomæum, Camerarium, Ludovicum Molinam, Gregorium de Valentia, Vasquetz, & alios apud Leonardum Lessium. Maiorem gregem ipse sequitur, concludens, pag. 147. Deum efficaciter elegisse aliquos ad gloriam ex prævisis meritis, hoc est, post prævisa merita, & propter prævisa merita. Quam opinionem demonstrare conatur (at irrito effectu) septem argumentis: & simul respondet quatuordecim obiectionibus contrariis. Inter cætera dicit pag. 157. non satis constare, quid sentiat Augustinus de electione ad gloriam ex prævisis meritis gratiæ: quem Suaretz & Bellarminus pro se allegant contra reliquos. Becanus item pro se & reliquis, contra Bellarminus & Suaresium.

VI. De modo & ordine prædestinationis docet. Angelos prædestinatos esse ad gloriam ex prævisis meritis, ante prævisum peccatum Adæ, atque adeo ante prævisa merita Christi, pag. 162. col. 2. Christum autem secundum humanitatem prædestinatum esse ad gratiam & gloriam sine prævisis meritis, & post prævisum peccatum Adæ: col. 1. Homines adultos secundum legem ordinariam prædestinatos esse ad gloriam ex prævisis meritis, post prævisum peccatum Adæ, & post prævisa merita Christi, p. 163. Illi interserit quæstionem, quid intelligat Augustinus, quando scribit, prædestinationem secutam esse prævisionem *peccati originalis*. Num, peccatum actuale Adami,

mi, quo se & totum genus humanum perdidit: An vero habituale peccatum, quod a posteris Adami, vi illius actualis, contrahitur. Occasionem quæstionis ingenue aperit. Recentiores, inquit, eam disputant propter Beatam Virginem, quam illi volunt in peccato originali conceptam esse, alii, ab eo divinitus præservatam. Denique pag. 164. infantes qui salvantur, prædestinatos esse affirmat ad gloriam sine prævisis meritis propriis, non tamen sine prævisis meritis Christi.

Quærere hic libet a Pontificiis, cur tam altum sit in toto hoc argumento silentium de fide in Christum? Nam inter merita referri fides non potest: quam constat in electione & justificatione opponi operibus. Cumque meriti ratio dependeat ex arbitrii libertate, ex hypothesi Papistarum, licet adjuncta gratia: saltem Semipelagianum esse oportet, quisquis docet, propter prævisa opera ad vitam nos electos esse. Vnum audi D. Pauli dictum, 2. Tim. 1. vers. 9. Qui nos liberavit & vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, *sed secundum propositum suum & gratiam, qua data est nobis in Christo Iesu, ante tempora æterna. Vnde exurgit hoc theorema: Deus nos elegit ex gratia, non ex operibus. Confer Rom. 11. v. 5. 6.*

VII. Nemini constare posse, an sit prædestinatus, nec ne, in hac vita, absq; speciali revelatione, ex Concilio Tridentino, affirmat Becanus pag. 165.

Contra D. Paulus 2. Cor. 13. vers. 5. vosmetipsos tentate, inquit, si estis in fide: ipsi vos probate.

An-

Annon cognoscitis vosmetipsos, quia Iesus Christus in vobis est? nisi forte reprobi estis. Spero autem, quod cognoscitis, quia nos non sumus reprobi, Rom. 8. v. 16. Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filii Dei &c.

VIII. Vocatio, inquit Becanus pag. 166. partim est in nostra potestate, partim non est. Iustificatio est in nostra potestate, quia pendet ex propria dispositione, qua quis libere se disponit ad infusionem gratiæ justificantis. Glorificatio similiter est in nostra potestate, quia pendet ex bonis nostris operibus, quæ libere in hac vita exercemus.

Contra D. Paulus non ex operibus, sed ex gratia nos docet electos, & vocari, & justificari, Ephes. 1. 2. Tim. 1. v. 9. 10. Rom. 3. v. 11. Sic Rom. 6. v. ult. Donum Dei est vita æterna in Christo Iesu Domino nostro. Et D. Petrus salutem animarum appellat finem in fidei, 1. Petr. 1. v. 9.

IX. Ordinem prædestinationis & reprobationis ita describit Becanus pag. 174. *Primo*, inquit, Deus statuit creare totum genus humanum ad æternam beatitudinem, & simplici affectu desideravit, omnes ad eam pervenire. *Secundo*, ex hac voluntate decrevit illis dare gratiam in statu innocentiæ, permittens illis liberum usum arbitrii, in quo continetur etiam permissio peccati. *Tertio*, vidit primum hominem cum tota sua posteritate labi, id est, vidit actuale peccatum Adami, in quo omnes peccaverunt. Nihil adhuc dico de originali in singulis contracto. *Quarto*, vo-

volens remedium homini lapso præparare, prædestinavit Christum & merita eius. *Quinto*, statuit merita Christi diverso modo applicare hominibus. Nam Beatam Virginem voluit præservare a peccato originali per merita Christi: reliquos omnes permisit concipi in originali. Hi iterum divisi sunt. Nam quosdam parvulos reprobavit propter originale: aliis ex sola misericordia baptismum, vel aliud remedium concessit, & ad vitam prædestinavit: Adultis vero omnibus providit de sufficienti gratia, quamquam aliis majorem largiri decrevit. *Sexto*, absolute vidit, hos bene usuros gratia, illos male. *Septimo*, absolute voluit his dare præmium æternum, illis supplicium & damnationem æternam.

De matre Domini honorifice loquendum est, sed non negandum, eam fide in Christum salvatam, hoc est, remissis propter Christum peccatis in gratiam receptam. Non enim est excludenda ex populo, cuius salvator Christus est, salvans populum suum a peccatis suis, Matth. 1. v. 21. vide supra art. 2. pag. 55.

De fide in Christum omissa, paulo ante monuimus.

Modos applicandi merita Christi diversos scriptura ignorat, solam commendans fidem, tanquam spiritualem manum, beneficia Christi apprehendentem & tenentem. Et ut est unus justificandi modus per fidem in Christum, Rom. 3. & 4. capp. ita una est applicandi beneficia Christi ratio: itemque unus electionis modus, nempe in Christo, Ephes. 1. Vbi vero tan-

ro tandem ponentur opera sive merita humana, quæ electioni a Papistis commiscentur? Nam D. Paulus de iis nihil habet in aurea salutis catena, Rom. 8. v. 29. 30. imo ea semper opponit divinæ gratiæ, ut in articulo justificationis, sic etiam electionis, 2. Tim. 1. v. 9. 10. Rom. 11. v. 5. 6. Vnde concludendum est, enormiter errare, quisquis affirmat, electionem esse factam propter præviſa bona opera.

VIII.

Zvvinglianorum de Ecclesia opiniones.

Ecclesia est cœtus hominum credentium.

I. *Multi ex Calvinianis in ipso corpore Ecclesiastico constituendo graviter errant: cuius duas faciunt partes generales, quas dicunt essentiales, nempe Angelicum & humanum genus.* Franciscus Iunius *lib. de Ecclesia, c. 3.* Guilhelmus Bucanus *instit. Theol. p. 96. edit. Bernens. Anno* 1602.

Contra Filius Dei non assumpsit Angelos, sed semen Abrahæ, *Hebr. 2. v. 16.* & non pro Angelis, sed hominibus satisfecit: *Luc. 2. v. 11.* non Angelis, sed hominibus instituit ministerium verbi & Sacramentorum, *Matth. 28. Marc. 16. Eph. 4.* in quo peccatorum remissio non Angelis, sed hominibus annunciatur, & applicatur, *Matth. 8. Ioh. 20.* Vnde Ecclesia appellatur populus Dei, multitudo credentium, corpus Christi, &c. *1. Petr. 2. v. 9. Eph. 2. v. 19. Act. 4. v. 4. 32. c. 5. v. 11. c. 17. v. 1. c. 14. v. 6. 9. &c.*

Extra Ecclesiam non est salus.

II. Zvvinglius *ad Ecclesiam refert etiam Ethnicos, Herculem, Numam, Catones, Scipiones, & alios,*

qui visibilis Ecclesiæ membra nunquam fuerunt, in inst. Christ. Relig. ad regem Christianum: quem defendunt Bullinger, Gualtherus, Embdenses, Sohnius, Pareus, &c.

Contra: Qui non credit, condemnabitur, *Marc. 16. v. 16. Ioh. 3. v. 18.* Quomodo autem credent, de quo non audiverunt? *Rom. 10. v. 14.* Nullum enim est nomen, in quo possimus salvari, præter Iesum, *Actor. 4. v. 12.*

Multi vocati: pauci electi. In domo Dei vasa sunt aurea & fictilia.

III. *Ad Ecclesiam pertinere solos Electos (quos ex absoluto & simplici Dei decreto definiunt) affirmant: & his solis proprie loquendo institutum esse Evangelii ministerium: quia pro illis solis Christus satisfecerit, solos etiam illos percipere Sacramenta: & semel fide donatos nunquam amittere eam posse. Reliquos vocatos, etiam ad tempus credentes, negant esse vere membra Ecclesiæ: quod in Ecclesia quidem esse fatentur, sed non de Ecclesia.*

Qui quidem gravissimi errores impingunt in diversos articulos: & non rite distinguunt inter electionem æternam, & quæ in tempore fit, vocationem ad Ecclesiam. Diserte enim Christus: Multi, inquit, vocati, pauci vero electi, *Matth. 20. vers. 16. cap. 22. vers. 14.* Vnde consequitur: Omnes quidem Electos esse vocatos: non autem omnes vocatos esse electos. Quia nimirum multi vocati non veniunt, vel etiam deserunt vocationem, ut patet ex parabolis Christi, *Matth. 13.* & *Luc. 8. cap.*

Prædicate Evangelium

IV. *Novus hinc error exurgit, dum negant, vocationem Dei esse universalem: Et dicunt solos Electos*

dos vocari efficaciter & interne, & cum animo communicandi eis gratiam: multos alios externe quidem vocari, sed tamen nolle Deum, ut veniant, & assentiantur vocationi, sed potius ei resistendo indurentur, & sic juste damnentur. Quæ communis est opinio Calvini, Bezæ, Spindleri, Rennecheri, Piscatoris, *& aliorum.* Quasi nimirum angustioribus terminis gratia & meritum Christi atque Evangelium circumscribuntur, quam divina lex & peccatum, *Rom. 5. v. 20.* Neque Deus hypocrita est, ut verbis blande invitet ad nuptias Filii, necessario vero & simplici decreto detrudat ad pœnas infernales. Et quicunque nolunt audire Deum in Evangelio loquentem, dicuntur resistere Spiritui sancto, *Actor. 7. v. 51.* & consilium Dei adversus semetipsos aspernari, *Luc. 7. v. 30.* dum nimirum Christus vult illos congregare, ut gallina pullos suos, ipsi vero nolunt, *Matth. 23. v. 37.* omni creaturæ.

V. *Vim divinæ vocationis per Evangelium, Calviniani, quantum in ipsis est, de fundamento tollunt: dum docent, fidelium parentum liberos nasci sanctos, & in fœdere Dei.* Fides ex auditu.

Quid igitur in illis efficit baptismus? &, ubi adoleverunt, Evangelium? Qui enim jam sunt Christo insiti, quo fine illi vocantur ad Christum: Nam qui nuptiis jam interfunt, & epulis nuptialibus actu fruuntur, inepte quis dicet, eos demum ad nuptias longo post tempore vocari debere; *Plura vide artic. 9.*

VI. *Cæremoniarum sive rituum liberum usum impugnant: ut ostendit praxis diversis locis in* Dissonantia

jeiunii nō rumpit unitatem fidei.

demolitione imaginum, altarium, &c. Quanquam ea in re ipsi variant, nullo certo nixi fundamento, ut apparet ex eorum libris de hoc argumento scriptis. Vide Colloq. Mompelg. de imaginibus & organis musicis & templis: Et librum Herbornæ excusum: Bericht von Ceremonien/&c. *& Parei, & Calvinianorum Marpurgensium scripta,* vom Brodt und Brodbrechen/&c.

De prædestinatione.

I. Prædestinationem Calviniani faciunt absolutam, eamque geminam, electionem ad vitam, die Gnadenwahl/ & reprobationem, die Zornwahl/Calvinus *lib. 3. instit. c. 21. & 23. dist. 4.* ubi vide interpretationem Germanicam Heidelbergæ adornatam. Docent igitur, Deum ex absoluto & simplici decreto alios homines ad vitam, alios ad mortem ab æterno prædestinasse. Illis solis ordinasse Christum redemptorem, qui reprobos nihil attineat: illis solis efficaciter Evangelium & Sacramenta proponi & dispensari, (& a Deo vim irresistibilem afferri, ut convertantur, Piscator in Notis pag. 214. sect. 124.) & dari fidem, quam nunquam amittant. Neque enim Dei voluntatem esse, ut omnes homines salventur: neque Christum pro omnibus efficaciter mortuum: neque Evangelium omnibus annunciari eo fine, ut credant, sed multis, ut inducentur. Aliam igitur dicunt esse voluntatem signi, hoc est, in Evangelio revelatam, aliam beneplaciti, h. e. in mente Dei absconditam. Quando ergo Deus vocat, quos tamen venire

nire non vult, hunc dicunt esse bonum dolum, & sanctam simulationem.

II. Reprobationem (cujus actus dicunt esse duos, præteritionem, & prædamnationem) definiunt, qua Deus æterno & immutabili consilio semel constituit, quos vellet exitio devovere. Calvinus *lib. 3. instit. c. 22. dist. 7.* Vbi nota Calvinum, Bezam, & nonnullos alios substernere decreto prædestinationis genus humanum (non ut peccato vitiatum, sed) ut nondum conditum. Vnde oriuntur hæ phrases: Alios homines creari ad vitam, alios ad mortem. Sed ab illa Calvini opinione hodie multi Calviniani recesserunt, docentes, prædestinationem spectare genus humanum, ut peccato contaminatum. Quæ ut est sententia verissima, ita stare cum hypothesibus Calvinianis non potest. Dum enim absolutum decretum defenditur, & vasa iræ dicuntur a Deo coagmentata, hoc est, creata ad interitum, & negatur, Deum serio velle, ut omnibus hominibus Evangelium de Christo annuncietur ad ipsorum salutem, negatur item, Christum pro omnium hominum peccatis efficaciter mortuum esse; & quod caput rei est, cum negatur, propter peccata & incredulitatem homines reprobatos esse, & contra affirmatur, incredulitatem esse effectum reprobationis, ejusque authorem esse Deum: facile intelligunt cordati, manifestam implicari contradictionem.

III. De qua tota re ut plenius iudicari possit,

in compendium redigam Calviniſtarum ſententiam de reprobatione : quæ talis eſt. Decrevit Deus ab æterno occulta voluntate, perdere nonnullos : *Piſcator in diſputatione de prædeſtinatione theſ. 80.* idque decretum eſt ſimplex & abſolutum, *ibid.* Hos creavit, ut laberentur, *theſ. 17.* condidit ad lapſum *append. theſ. 6. 7.* creavit ad interitum, *append. theſ. 7.* fecit, ut eſſent vaſa ad dedecus, *theſ. 123.* & eos coagmentavit ad interitum, *theſ. 24.* & vult ipſorum improbitatem aliquo modo, & propter aliud, nempe ut per illius punitionem demonſtret ſuam juſtitiam, & odium peccati, *theſ. 57.* His filium ſuum non miſit, *theſ. 123.* nec pro illis ullo modo mortuus eſt Chriſtus, *theſ. 110.* nec vult eis dare ſalutem, aut hanc mentem, ut ſalutem petant, *theſ. 76.* non vult illis dare gratiam, ut credant, *theſ. 75.* & ut maxime Evangelium illis prædicetur, & in eo, & per illud gratia Dei offeratur, tamen hoc facit Deus non animo gratiam communicandi, *theſ. 16.* ſed potius, ut magis eos reddat excuſabiles, *th. 65.* Horum impuritate pure & ſancte utitur Deus ad exequendum iudicia ſua, *theſ. 121. membro 10.* Qui ſive bene ſive male agant, ſemper ad voluntatem Dei abſconditam faciunt, *theſ. 122.* Vocat eos, ſed non vult eos venire, *theſ. 76.* Sancta nimirum ſimulatione, *theſ. 84.* neque vult eos ſalvari, *theſ. 76.* Sed excæcat & indurat eos, ut non credant, ideo quia ſunt reprobati. Nam Princeps incredulitatis cauſa eſt reprobatio. *theſ. 92.* Quia

quod

quod est causa causæ inferioris, id etiam est causa effecti communis, hoc est, quod ex utraque causa tum superiore, tum inferiore nascitur, *th.* 103. Jam causæ superiores sunt: destinatio ad exitium, reprobatio, privatio vocationis, aut saltem privatio efficaciæ Spiritus sancti inter vocandum. Hæ enim omnes causæ in scriptura traduntur, *th.* 94.

IIII. Monendus hic lector Christianus, ut discrimen observet inter iteratas editiones disputationum Piscatoris. Nam in ea, quæ Anno 1607. Herbornæ prodiit, magna apparet diversitas a prioribus. Et optandum sane esset, Piscatorem errores suos veteres in senectute deponere. Sed res ipsa ostendit, mutatam illius in quibusdam linguam, mentem autem antiquam retineri. Fatetur hodie electionem referri ad genus humanum lapsum: sed absolutum suum decretum & meriti Christi particularitatem, pertinacissime defendit. Quæ duo simul stare non possunt, nisi hæc duo simul vera sint: Peccatorem esse reprobatum propter peccatum: & hominem esse a Deo creatum, ut peccaret. Ne sit autem opus prolixiore sermone, & ne quis putet, sententiam suam priorem mutasse Piscatorem (dum mutavit quasdam phrases) recitabo ipsius verba ex responsione Apologetica, Anno 1613. Herbornæ excusa, quibus totam suam sententiam de hoc capite summatim complecti voluit. pag. 7. Ordinem mediorum, inquit, (quem Deus observat in hominibus vel ad salutem, vel ad interitum adducendis)

scripturæ hunc tradunt. 1. Deus creavit homines ad imaginem sui, id est, integros & peccati expertes. 2. Permisit eos labi in peccatum. 3. Ex lapsis alios elegit, alios reprobavit. 4. Electos sibi reconciliavit per mediatorem Christum, reprobos non item. 5. Electos efficaciter vocat, id est, per Evangelii prædicationem fide justificante donat: reprobos vero aut prorsus non vocat, aut externe tantum vocat. 6. Electos justificat & sanctificat: reprobos non item. 7. Electos glorificat, vitaque æterna eos beat: reprobos vero damnat æterno exitio. Atque hinc jam proxime sequitur ultimus finis, videlicet patefactio gloriæ Dei: nimirum tum misericordiæ in salute electorum, tum justitiæ in exitio reproborum. Hactenus Piscatore cujus sequentem illic tractationem qui perlegere voluerit, inveniet fatalem necessitatem, p. 23. Judam Christum necessario prodentem respectu decreti Dei, pag. 24. voluntatem Dei nunquam conditionalem, p. 28. Deum non volentem, ut singuli ea faciant, quæ omnibus præcipit, p. 29. interdum statuendum nobis esse, falsum esse verum, p. 33. Judæos Christum crucifigentes nihil commisisse contra voluntatem Dei decernentem, p. 35. peccata fieri Deo procurante, & fieri eodem volente, imo omnino sic volente, p. 36. Omnia fieri ex decreto Dei, etiam ipsi peccata: & quidem ex decreto absoluto & speciali, ibid. Deum destinasse omnes homines ad peccata, ibid. incredulitatem pendere a prædestinatione Dei, p. 36. 75. Deum homines quosdam ad exitium creare, pag. 203. &c.

V. Non

V. Non possum, quin hic producam Irenicum Parei, ut lubricitatem hominis agnoscant, qui amant veritatem. Inter articulos, quos Ecclesiis Calvinianis falso, vel non bona fide impositos conqueritur, cap. 28. numerat primo loco pag. 243. istum: *Quod Christus non pro omnium hominum redemptione sit passus & mortuus.* Vbi in responsione sua confundit meritum Christi, & ejus applicationem; sibique ipsi contrarius est. Nam p. 142. c. 24. aperte distinxit ipse inter sufficientiam αὐτρς, & ejusdem applicationem: allato innocentii dicto, in quo sufficientia & efficientia distinguuntur. Neque inter nos quæstio est, de applicatione, quæ fit in solis credentibus: sed an ex voluntate & intentione Dei Christus sit passus pro omnibus omnino hominibus, quod nos ex scripturis affirmamus, an vero pro solis electis, quod volunt Calvinus, Beza, Piscator, &c. Candide hic & constanter suam exponat sententiam Pareus, & desinat sophisticari.

VI. Secundus articulus pag. 246. *Quod Deus voluerit Adamum labi:* affirmatur a Pareo, & exponitur de permissione: addita distinctione, Deum noluisse, ut lapsum, ut peccatum, ut interitum hominis: sed voluisse, ut explorationem hominis, & manifestationem liberi arbitrii. Noluisse approbatione: voluisse permissione. At, inquam ego, hæc Calvini, Bezæ, Piscatoris, & aliorum mens non est, nec eam patiuntur ipsorum verba. Nam hominem creare ad interitum, condere ut labatur, prædestinare ad Peccatum, (quæ sunt voces

ces Calvinianæ) non permissionem significant, sed actionem efficacem: quam si Deo assignare Pareus refugiat, fateatur a Calvini errore se abhorrere, eumque serio improbare.

VII. Tertius articulus pag. 248. *Quod Deus peccata impiorum velit, omniumque peccatorum nostrorum sit author, nec tantum ea permittat, sed etiam efficiat:* palliatur a Pareo scripturæ dictis, & distinctione inter nudam permissionem, & actionem. Sed testimonia allata sunt aliena: in quibus justum Dei judicium describitur, peccata antegressa punientis: in quo non est nuda permissio, sed lucet summi Domini & justissimi judicis severitas, gravissimis pœnis peccata vindicantis. Illud est, quod nos accusamus, Calvini discipulos Deum facere authorem primum, ut absolutæ reprobationis, ita etiam omnium peccatorum, quæ dicunt necessario fieri ex æterno Dei decreto, ut latius videbimus infra articulo Augustanæ Confessionis vigesimo. Hic mutus est Pareus magis quam piscis.

VIII. Articulum sextum (quartus enim & quintus huc non spectant) *quod Deus majorem partem generis humani ad interitum creaverit, &c.* p. 254. ita temperat Pareus, ut idem de eodem affirmet simul & neget. Ait p. 255. Deum absoluto jure, quod in omnes creaturas habeat, potuisse majorem generis humani partem ad interitum creare, & ordinare, absque peccati respectu, saltem propter gloriam suam. Rursum ait p. 257. Deum usum esse jure ordinato & revelato in lege, qui

qui dicit: *Anima quæ peccaverit, ea morietur.* Item: *Hoc est jus Dei, ut qui talia faciunt, digni sint morte.* Et paulo post: Deus, inquit, non irascitur creaturæ, nisi ob peccatum, &c. Utrumque hoc jus habere Deum in homines, affirmat, p. 258. absolutum & legale,

Concilia: Deus absoluto jure homines creat ad interitum absque peccati respectu. Et Deus non irascitur creaturæ, nisi ob peccatum. Et ne quid desit impudentiæ, non erubescit Pareus absoluti illius juris (quod vocat) defensores nominare una cum Calvino Lutherum & Melanchthonem. Eane via itur ad concordiam, Paree? Quid oneras Lutherum eo dogmate, quod in infernum usque damnavit ipse? Vide comment. in Genesin c. 26. ubi prædixit, fore, ut talia de se mendacia spargantur. Ad Melanchthonem quod attinet, durissime locutus est in primis locis, & commentariis ad Romanos: sed publice errores illos abjecit, & refutavit singulari studio: & absolutum illud Calvini decretum appellavit, fatum Stoicum, & tabulas Parcarum. Vide Locos ipsius Theologicos de prædestinatione. Istud etiam annotandum, Photinianorum maximos errores solide refelli non posse ab iis, qui absolutum illud decretum defendunt: cujus rei specimen exhibet ipse Pareus in suo commentario ad Romanos. Summa: totum Evangelium tollit, quisquis tale absolutum decretum statuit. Vide tomum primum disp. Giessensium disp. 14. th. 82. & seqq.

VIIII. Articulus septimus: Quod Deus nolit omnes

omnes homines salvos fieri, *etiamsi omnes velint*, *p. 258.* caudam habet insidiosam, quæ resecanda est. Hoc quæritur: An Deus serio velit omnes homines salvos fieri: quod nos cum D. Paulo affirmamus, (nimirum juxta ordinem mediorum salutis,) & negant Calviniani: an vero absoluto decreto plurimos destinarit æterno exitio, quos nunquam voluerit, nunquam velit, nunquam voliturus sit salvari, quod cum Calvino affirmat Beza, & omnes absoluti decreti assertores, nos vero pernegamus. Pareus ut lectori fucum faceret, scripsit, c. 24. p. 142. promissiones gratiæ esse universales, quoad prædicationem, & sic ad omnes pertinere: quoad applicationem autem, efficaciam, & fructum ad solos credentes. Quæ verba sana sunt, si ex mente sana promanent, & sano sensu accipiantur. Sed in schola Calvini prædicatio externa est voluntas signi, non autem beneplaciti: & Deos multos vocat, quos tamen venire non vult, ut supra ostendimus. Quare nova sophistica utitur Pareus, p. 259. Vult Deus omnes servari, inquit, si credant. Approbo. Non vult, si non credant. Itidem approbo. Illud enim est voluntatis antecedentis, hoc consequentis. Sed subjicit, manere quæstionem: cur non omnes credant? Fidem enim esse donum Dei, quam det, cui velit. Hic igitur, inquit, cogitur obtumescere humana ratio. At, inquam ego, cur plerique non credant, rationes luculentas exponit Spiritus S. in scripturis, *Matth. 13. Luc. 8.* in parabolis. Nam multi non audiunt Evangelium. Ex quorundam

rundam cordibus semen rapit diabolus: quidam suffocant illud pravis desideriis: nonnulli resistunt Spiritui sancto, *Actor. 7. v. 51.* spernentes consilium Dei adversus semetipsos, *Luc. 7. vers. 30.* & repellentes sermonem Dei, *Actor. 13. vers. 48. &c.* Frivolum igitur est hic recurrere ad absolutum decretum, & absconditam voluntatem Dei, revelatæ contrariam. Et falsum est, quod Piscator scribit in notis ad Collationem Vorstii s. 124. p. 216. (& Pareus approbat) operationi ac gratiæ Dei internæ resistere hominem non posse, adeoque non posse velle resistere. NB.

X. Articulus octavus, pag. 262. *de amissione fidei*, excutitur in articulo duodecimo Augustanæ Confessionis, ubi vide. Pareus elabi conatur distinctione. Credentes, inquit, possunt amittere fidem, gratiam, salutem, sibi relicti, seu quoad vires suas, & causas proximas: non possunt tamen vere credentes fidem amittere, & gratia excidere *penitus*, quoad electionem & vocationem Dei ἀμεταμέλητον. Confundit primo electos, & credentes. Multi enim a fide deficiunt, credentes ad tempus, qui proinde electi non sunt. Deinde quæstionem non recte formatur, quæ talis esse debet: *An vere credentes, cum indulgent peccatis, amittant fidem, & excidant gratia Dei*: quod nos ex scripturis affirmamus, Calviniani negant, & non possunt non negare, quandiu retinent dogma de absoluto decreto. Frustra allegantur a Pareo dicta de Dei gratia & auxilio. Nam non est dubium, dum renati meditantur verbum Dei, orant,

orant, & ambulant in viis vocationis suæ, quod non amittant fidem; quando autem frænum laxant desideriis carnis, & peccatis indulgent, ut David polluens se adulterio & homicidio, tunc quæstio est, an retineant fidem & Spiritum S. an excidant gratia? Hic Pareus tacet: sed scriptura perspicue respondet, qui opera carnis perficiunt, non esse (*nisi resipiscant*) hæredes regni cœlorum, *Rom. 8. v. 8. 13. Gal. 5. v. 19. 21. &c.*

XI. Articulus nonus pag. 263. num Calviniani *promissiones Evangelii faciant particulares*. Negat Pareus, pertinere eas ad infideles, nempe ratione applicationis. At ea quæstio non est. Nos enim idem dicimus: solos credentes percipere fructum promissionum. Sed quæritur: An ex Dei intentione & voluntate promissiones Evangelicæ debeant omnibus hominibus proponi, & inservire ad salutem? Quod nos affirmamus: Calviniani autem dicunt, Deum multos vocare, quos tamen *nolit* venire. Nec possunt aliter sentire salvis suis hypothesibus. Nam si Christus datus est solis absolute electis, proque illis solis est mortuus; planum est ad eosdem solos pertinere beneficiorum Christi promissionem. Cur enim reprobis promitteretur per Evangelii prædicationem remissio peccatorum in Christo, si Christus pro ipsorum peccatis non satisfecit? Hæc Pareus videre noluit, satisfeciſſe se putans suo officio, si confusione distinctarum quæstionum lectoris animum occuparet, nobisque affingeret absurdas opiniones,

piniones, a quibus sumus per Dei gratiam alienissimi.

Calviniana electio & reprobatio.

XII. Ponamus ob oculos brevem dogmatis Calviniani descriptionem, ex qua totum hoc argumentum facile agnosci potest 1, Deus in absoluto suo & immutabili decreto ab æterno totum hominum genus divisit in duas classes: unam electorum, quos æterno amore fovet, alteram reproborum, quos simplici & absoluto odio prosequitur. 2. Solis electis, (quos absolute decrevit salvare) decrevit Deus dare filium suum, ut eos salvos faciat. 3. Electos creat ad salutem: reprobos creat ad exitium. 4. Christus in mundum veniens, suscipit in se peccata electorum, & pro illis satisfacit: præteritis reprobis, & in miseria sua, ad quam juxta æternum decretum creati sunt ex absoluto Dei odio, relictis, pro quibus neque pati, neque mori debuit aut voluit: quippe non ipsis, sed solis electis destinatus, promissus, & datus. 5, Evangelium solis electis est Evangelium, annuncians eis, esse eos a Deo electos, & per Christum liberatos, ut sint hæredes vitæ æternæ: & illi soli vere baptizantur, & mensa Domini utuntur, ut habeant sigilla suæ electionis: quæque illis datur fides per Evangelium, (cui non possunt velle resistere) hanc amittere nunquam possunt, sed in ea ad finem usque perseverant, & tandem glorificantur. Reprobos autem Evangelium & Sacramenta nihil attinent. Si tamen aliquibus annuncietur, fit illud hoc fine, ut magis magisque indurentur, eorumque damna-

damnatio sit justior & gravior. Sique ad Baptismum veniant, nuda aqua adsperguntur, & in cœna Domini solum panem & vinum accipiunt: quoniam pro ipsis sacramenta non fuerunt instituta, neque institui debuerunt. Non enim amplior esse potest gratia in Evangelio & Sacramentis, quam est in ipso Christo. Quia igitur Christus non est datus reprobis, & pro illis non satisfecit, & nihil quicquam ipsis acquisivit sua obedientia, quam non pro ipsis, sed pro solis electis Deo præstitit: planum est ipsis neque Christum, neque remissionem peccatorum propter Christum, neque justitiam & vitam æternam in Christo, per Evangelium & Sacramenta annunciari aut offerri posse, sed totum ministerium Evangelii, ex divino decreto & ordinatione immutabili, ipsis credere in exitum & damnationem: idque ex hac prima & summa causa, qua Deus absoluto odio ab omni æternitate, absque ullo respectu peccatorum, eos prosequitur.

XIII. Cogitent piæ mentes, quos fructus hæc doctrina pariat in animis hominum, qui sunt ea infecti: Deumque intueri discant, non in privatis speculationibus, sed in Christo, qui est substantialis imago patris, quique voluntatem de nobis & nostra salute in Evangelio nobis revelavit: quem denique unum ipse Deus pater audiendum nobis voce cœlitus delata commendavit.

IX.

Photinianorum doctrina de Ecclesia.

I. Quæ-

I. Quæstionem de Ecclesia, ubi, & apud quos ea sit, parum esse utilem, contendit Ostorodus, c. 42. instit. German. p. 402. neque necessariam ad salutem. Nusquam enim mandatum est, inquit, Christianam doctrinam esse quærendam in Ecclesia, p. 403.

II. In quæstione vero, an hodierno tempore vera Christi Ecclesia sit, vel ad minimum esse possit, pag. 403. fatetur antecessores suos imprudenter quædam Papistis concessisse, non concedenda, & ad dicta quædam scripturæ minus recte respondisse. Qua de re peculiarem tractatum editum iri pollicetur, p. 406.

III. Moscorovius in catechesi, pag. 315. peculiare habet caput de Ecclesia Christi invisibili, quam dicit, esse eos, qui Christo confidunt, & illi obtemperant, propterea que ipsius corpus existunt. Cujus cætus, inquit, nemo membrum existit, nisi qui Spiritum Christi habet. *Rom. 8. v. 8.* & veram in Christi fidem. *Rom. 11. v. 19. 20. Galat. 4. v. 6. Rom. 10. vers. 10.* Quia vero homines animo mali induere solent speciem hominum proborum: probi autem nunquam improborum speciem præ se ferre laborant: infert inde, e factis exterioribus facile quidem agnosci, qui non sint membra Ecclesiæ Christi, quia nimirum manifesta sunt opera carnis, *Gal. 5. v. 19.* difficulter autem cognosci, ubi sit Christi Spiritus, & vera fides.

IIII. Quæ omnia copiosius persequitur Ostorodus, qui concedit etiam Ecclesiam visibilem, quam

definit publicam congregationem eorum, qui profitentur, se credere in Christum eo modo, quo credere in eum decet, p. 407. Refutat quoque fanaticam eorum opinionem, qui negant hodie extare Ecclesiam, propter varias Christianorum sectas, p. 408. 409. Posse enim esse Ecclesiam ait paucorum in Christi nomine congregatorum, *Matth. 18. v. 20.* tametsi alius non constet, ubi sint illi congregati, p. 412. Atque igitur utrumque scribit esse temerarium, asseverare, Ecclesiam hodie non extare, & asseverare, Ecclesiam semper fuisse & manere, ibid. Postea disputat contra Pontificiorum dogma, quod Ecclesia non possit errare, p. 414. item, quod Petrus sit vicarius Christi: cui Petro tamen proximum a Christo locum concedit, p. 416. & duodecim Apostolos vocat duodecim fundamenta Ecclesiæ: & Christum dicit esse a fundamento distinctum, quoniam sit in fundamento ipse lapis angularis. *Eph. 2. v. 20.* Quo loco Prophetarum nomine accipit Prophetas Novi Testamenti ex *1. Cor. 12. v. 28.* Denique varios tum Pontificiorum errores recitat, tum Anabaptistarum, & Schvvenckfeldianorum somnia redarguit. Quæ vero de vocatione & officio ministrorum annectuntur in fine, de iis videbimus infra ad articulum Augustanæ Confessionis decimum quartum.

V. Faustus Socinus in peculiari tractatu de Ecclesia, edito Racoviæ Anno 1611. eodem plane modo sentit & docet, quæstionem de Ecclesia, quænam, sive apud quos sit, vel inutilem propemodum esse,

esse, vel certe non esse necessariam, pag. 10. Postea subjicit brevem, quam ipse vocat, demonstrationem de vocatione Evangelicorum verbi Dei ministrorum, quam suo loco examinabimus.

VI. Est igitur hic Photinianorum error principalis, quod negant articulum illum Symboli Apostolici: Credo Ecclesiam. Nimirum, quia non possunt ullam in toto mundo ab Apostolorum tempore Ecclesiam invenire, quæ eandem cum ipsis doctrinam tenuisset.

VII. Cui crassissimo errori opponimus sequentem syllogismum: Ubicunque Deus per Evangelii prædicationem homines vocat ad agnitionem Christi, & per Baptismum sibi generat liberos, & per usum sacræ cœnæ eos in fide firmat, ibi est Ecclesia. Atqui ab emissione Apostolorum in universum mundum usque ad præsens tempus Deus per Evangelii prædicationem homines vocavit, & adhuc vocat, & ad finem usque seculi vocaturus est, ad agnitionem Christi: & per Baptismum sibi generavit, adhuc generat, & ad finem mundi generaturus est liberos: & per usum sacræ cœnæ eos in fide firmavit: firmat, & firmaturus est, usque dum venerit ad judicium. Ergo ab emissione Apostolorum in universum mundum usque ad præsens tempus fuit, & est Ecclesia, & futura est ad finem usque mundum.

VIII. Propositio radiat sua luce, & innititur definitioni Ecclesiæ, ejusq; veritatem agnoscit Osiorodus, scribens p. 411. Ecclesiam esse congregationem etiam paucorum in nomine Christi collectorum.

Assumptio itidem clara & perspicua est ex Matth. 28. Marc. 16. ex Actis, itemque ex Epistolis Apostolicis, totaque scriptura veteris & novi Testamenti, quæ doctrina juxta Christi mandatum per totum terrarum orbem in variis regnis, (tametsi non semper pari sinceritate) sonuit, & ad nostra usque tempora summo Dei beneficio conservata est. Quod ut negari non potest contra apertissimam Ecclesiasticæ historiæ fidem, ita solide demonstratur ex Christi intentione & mandato de prædicando Evangelio, & administrando baptismo, & sacra cœna, ad finem usque seculi, Matth. 28. 1. Corinth. 11. vers. 26. Ephes. 4. vers. 11. & seqq. Quare de conclusionis veritate dubitari non debet. Possunt multa argumenta cumulari ex relatione inter Christum sponsum & Ecclesiam sponsam, caput & membra, pastorem & oves, Dominum & servos, regem & subditos, &c. item ex officio Christi, quod exercet in Ecclesia, ex promissionibus Ecclesiæ datis, aliaque similia magno numero: quæ hic recitare opus non est. Neque putandum est, pejorem esse Ecclesiæ novi quam veteris testamenti rationem: quæ inter utramque collatio totum hoc argumentum illustrare potest.

VIIII. Quod de duodecim Ecclesiæ fundamentis protulit Osiorodus, repugnat dicto D. Pauli, 1. Cor. 3. v. 11. ubi Christum nominat fundamentum unicum: imo ipsi Osiorodo in explicatione dicti, Ephes. 2. v. 20. ubi Ecclesia dicitur ædificata super fundamento (non fundamentis) *Apostolorum & Prophetarum. Quia enim duodecim fuere Apostoli,*

stoli, & propterea ex mente Osiandri duodecim fundamenta; sequitur, aut plura quam duodecim fundamenta constituenda, aut Prophetas in eo numero non censeri. Germana ejus loci sententia est, Ecclesiam ædificatam esse super fundamento Apostolorum & Prophetarum, hoc est, super Christo a Prophetis & Apostolis prædicto & prædicato, Act. 10. vers. 43. Vocatur autem Christus lapis angularis: lapis, quia est Petra sive rupes, in qua Ecclesia consistit: angularis, quia connectit judæos & gentes, & continet totum ædificium.

Photinianorum de prædestinatione sententia.

I. Ex iis, quæ articulo quarto de justificatione annotavimus, facile cognoscitur, Photinianos transire in partes Pelagianorum, etiam in articulo prædestinationis. Vt enim supra connectunt fidem & opera. fidem autem non recte definiunt: ita in loco de libero arbitrio planissime faciunt cum Pelagianis, ut videbimus infra articulo decimo octavo, & prædestinationem a fide illa sua (quam perperam definiunt) & bonis operibus, quæ appellant, suspendunt. Sed placet audire Moscorovium in Catechesi Racovienſi ita loquentem.

II. *Prædestinatio Dei*, inquit, p. 159. *in scripturis aliud nihil notat, quam Dei ante conditum mundum de hominibus decretum ejusmodi: quod ita, qui in ipsum crederent eiq; obedirent, daturus esset vitam æternam, eos vero, qui in eum credere, & ei parere recusarent, æterna damnatione puni-*

turus esset. Quod hinc apparet, quod Christus divinæ voluntatis perfectus interpres ita hoc Dei consilium atque decretum nobis exposuerit, eum, qui in ipsum crederet, vitam æternam certo habiturum esse, qui vero non crederet, eum certo condemnatum iri.

III. Definit prædestinationem ipsum Dei decretum, contra scripturæ usum, quæ diserte testatur, prædestinatos nos esse *juxta propositum* sive decretum Dei, & præscientiam, *Rom. 8. v. 28. 29. c. 9. v. 11. Ephes. 1. vers. 5. 9. 11. 2. Tim. 1. v. 9. 1. Petr. 1. vers. 1. 2.* Quare propositum illud Dei in Christo est regula sive norma prædestinationis, non ipsa prædestinatio. 2. Perperam connectit fidem & opera? quæ & in electione, & justificatione semper opponuntur, ut ostendimus supra artic. 4. 3. Fidem definit admodum vitiose: quod itidem supra ostendimus. Dictum Christi, *Ioh. 3.* propositum Dei nobis revelat: verum nihil in eo extat de operibo, sed tantum vera fides in Christum commendatur, qua justificati salvamur, & incredulitas arguitur, propter quã homines damnantur.

IIII. Electionem dicit duplicem habere significationem. p. 260. 1. *Electos vocari, qui assentiuntur prædicato Evangelio.* 2. *Qui non solum Evangelio assentiuntur, verum etiam ex ipsius præscripto vitam instituunt. Idque probari dicit, 1. Cor. 1. v. 26. 27. Matth. 22. v. 14. 2. Petr. 1. v. 10. 11.*

V. 1. Confundit nomina simul & res ipsas. *Electio* facta est ab æterno, *Eph. 1. v. 4. 2. Tim. 1. v. 9.* Qui vero assentiuntur Evangelio, dicuntur *credentes.*

dentes. Et studium novæ obedientiæ non facit electos, sed est quidam electionis finis, & electorum officium. 2. Falsum est, electos dici eos, qui assentiuntur Evangelio, neque tamen die vivunt. Non enim potest impietas consistere cum vera fide, quæ discernenda est a vana persuasione, & fidei jactantia. 3. Et recte quidem dicuntur electi credere, & sancte vivere: inde tamen inferri non potest, studium pietatis esse causam electionis, cujus est finis quidam sive fructus, *Ephes. 1. v. 4.* 4. *Vocatio* fit in tempore, ac proinde ab electione distinguitur: ut planum est, *Rom. 8. v. 30.* Quos *prædestinavit*, hos etiam *vocavit*. Non igitur confunduntur, sed distincta manent. *1. Cor. 1. v. 26. 27. & 2. Pet. 1. v. 10. 11.* Omnino enim (quæ est locorum istorum sententia) magnifacere debemus nostram vocationem, per quam ducimur ad cœlestem beatitatem, ad quam non sunt electi, qui, inflati opinione propriæ sapientiæ & sanctitatis, Evangelium & Christum contemnunt: eamque tum vocationem per Evangelium, tum electionem, ab æterno in Christo factam, debemus reddere firmam, nempe in nobis, non otiose stertendo, sed fidem exercendo meditatione Evangelii, oratione, & studio veræ pietatis.

VI. Plane igitur frivolum est, quod in Catechismo Photiniano repetitur, p. 261. *Vocationem & electionem eadem significata in scripturis habere.* Sunt enim vocati multi: sed pauci electi *Matth. 20. v. 16. c. 22. v. 10.* Et quanquam D. Paulus pro iisdem habet electos, *& vocatos secundum*

propositum, Rom. 8. v. 28. 29. tamen recitat, tanquam distinctos gradus, prædestinationem, & vocationem: Quos prædestinavit, inquit, hos etiam vocavit, v. 29. 30.

VII. *Osiorodus* in Germanica institutione singulari studio hunc ordinem tenuit, ut c. 33. & 34. *de libero arbitrio & ejus viribus*, stylo sensuque Pelagiano disputaret, statimque cap. 35. subjiceret tractationem de *prædestinatione*: de qua suam sententiam non exposuit, quam dicit prolixum requirere tractatum (*vere id quidem. Multis enim opus est verbis tam crasso errori incrustando, ut veri speciem induisse videri possit.*) Sed potissimum invehitur in dogma Calvinianum de absoluto Dei decreto; quo ipsum fundamentum religionis concuti asseverat, & quam plurima inde absurda consequi, nimirum argui Deum injustitiæ, hypocryseos, ignorantiæ, & malitiæ. Quibus gravissimis accusationibus quomodo respondere possint Calviniani, ipsi viderint.

ARTICVLVS VIII.

DE HYPOCRITIS ET MALIS IN ECCLESIA ADMIXTIS FIDELIBVS.

VT calumniandi occasio præcideretur adversariis, qui in Ecclesiam invisibilem vocare consueverunt ideam Platonicam, Ecclesiam Mathematicam, allegoricam, fictam & pictam, &c. additur in hoc articulo luculenta

lenta exegesis, qua demonstratur, domum Dei in hac vita & a bonis & a malis occupari, eamq; mixturam malorum & bonorũ non ad gregem tantum, sed etiam ad pastores sive ministros referri. Verba articuli ita habent:

Quanquam Ecclesia proprie sit congregatio sanctorum & vere credentium, tamen cum in hac vita multi hypocritæ & mali admixti sint, licet uti Sacramentis, quæ per malos administrantur, juxta vocem Christi: sedent Scribæ & Pharisæi in Cathedra Mosis, &c. Et Sacramenta & verbum propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur. Damnant Donatistas & similes, qui negabant, licere uti ministerio malorum in Ecclesia, & sentiebant ministerium malorum inutile & inefficax esse.

I.

Desumptus est hic articulus, ut & antecedens, ex c. 11. inter 17. D. Lutheri, cujus verba articulo 7. integra recitavimus.

II.

Iudicium Papistarum.

Ad octavum hunc articulum respondet Cæsar & Principes, quod ille acce-

ptetur cum ſancta Romana Eccleſia. Et laudat principes proteſtantes, quod damnent Donatiſtas & veteres Origeniſtas.

Andreas Fabricius *calumniatur, & accuſat proteſtantes, quod facta & mores Donatiſtarum imitentur.*

Johannes a Daventria *teſtatur nihil habere incommodi hunc articulum.*

Johannes Cochlæus: *In confeſſione, inquit, brevis ſatis & plana videtur eorum (confeſſorum) ſententia. In Apologia vero multa præter neceſſitatem verboſitas diſſenſiones involvit. Poſtea declamitat de Romana Eccleſiæ authoritate & præſtantia, & affirmat ex Alberto Pighio, ſupremam Romani Pontificis in Eccleſia eſſe poteſtatem. Adducit etiam teſtimonium Lutheri, ſcribentis, ſub Papa veram eſſe Chriſtianitatem.*

Verum diſtinguit D. Lutherus diligenter ipſum Papatum a Chriſtianiſmo: Et fatetur, ſub vel in medio Papatu eſſe Eccleſiam Chriſtianam (ſicut fuit in medio Babylone Eccleſia captivorum Judæorum) negat autem, ipſum Papam, vel Papatum, eſſe Chriſti Eccleſiam. In Papatu enim & aliquid eſt, quod eſt Dei, nempe ſacra Biblia, & Baptiſmus, & Cœna Domini, & aliquid, quod eſt Papæ proprium, qua Papa, hoc eſt, Anti-Chriſtus eſt, nempe prava ſcripturæ interpretatio, traditiones humanæ, ſuperſtitiones, idololatria, &c. Diſcernit igitur D. Lutherus pretioſum a vili, Chriſtianum ab Antichriſtiano, verum a falſo, bonum

bonum a malo, rectum ab obliquo, genuinum ab adulterino.

Iohannes Hoffmeisterus *ita scribit: Et hunc articulum serio haud dubio probaverunt nostri, sicut & merito debuerunt. Deinde dicit ex Augustino: esse in Ecclesia, dici bifariam: uno modo, esse in ea tanquam membrum in compage justitiæ, particeps videlicet spiritualis vitæ, hoc est, cohærens cæteris membris in Spiritu charitatis. Alio modo, inquit, esse in Ecclesia, est adhærere membris Ecclesiæ, sicut palea tritico. Et approbat sententiam Philippi in Locis, Ecclesiam interdum in genere significare congregationem omnium, qui profitentur Evangelium: proprie autem & principaliter significare congregationem justorum, qui vere credunt Christo, & sanctificantur Spiritu Christi. Et hæc fatetur dici juxta fidem Ecclesiæ Catholicæ:* quod nobis bene notandum est, contra calumnias aliorum Papistarum de Ecclesia invisibili. *Denique disputat de administratione, vi & virtute Sacramentorum. Sed ea nos rejicimus ad articulos nonum & decimum, & decimum tertium, ubi de baptismo, & cœna Domini, & usu Sacramentorum, ex professo disserendum erit.*

III.

Analysis articuli 8.

I. Proponitur hic 1. thesis, nempe summa veræ sententiæ. 2. ἀντίθεσις, hoc est, falsa & erronea doctrina.

II. Thesis est hæc: *Licet uti Sacramentis, quæ per malos ministros dispensantur.* Quæ illustratur argu-

argumento diversorum. Quanquam Ecclesia proprie sit congregatio sanctorum & vere credentium (sicut artic. 7, dictum fuerat: unde inferri posse videtur, non nisi sanctos ministros & vere credentes esse in Ecclesia) tamen licet uti Sacramentis, quæ per malos administrantur. Additur ratio: quia in hac vita multi hypocritæ & mali admixti sunt, subintellige, sanctis in Ecclesia. Confirmatur testimonio Christi, *Matth. 23. v. 2. 3.* Sedent Scribæ & Pharisæi in Cathedra Mosis: Omnia igitur quæcunque dixerint vobis, ut servetis, servate & facite. Deinde argumento a causa efficiente principe ministerii: Quia Sacramentum & verbum propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia: etiamsi per malos exhibeantur: *Hoc est, ministerii & Sacramentorum virtus & efficacia dependet non a causa ministrante sive instrumentali, sed a causa principe, hoc est, ipso Deo, qui ministerium Evangelii & Sacramentorum instituit.*

III. Antithesis expresse damnat *Donatistas* (de quibus, & contra quos fuse & erudite disputavit Augustinus parte priore tomi septimi) & similes, qui negabant, licere uti ministerio malorum in Ecclesia, & sentiebant, ministerium malorum inutile & efficax esse. Qui omnes peccant confusione causæ instrumentalis, & principalis: referentes ad causam organicam virtutem & efficaciam ministerii, quæ tota dependet a causa principali: sicut supra in articulo 5. ostensum fuit.

IV. Extruimus ex hoc articulo talem Ecclesiæ de-

definitionem, quæ inprimis ad novum Testamentum accommodata est: *Ecclesia est cœtus hominum, a Christo per prædicationem Evangelii, & administrationem Sacramentorum, ex universo mundo evocatorum & congregatorum ad regnum Dei: in quo cœtu sunt Electi juxta prænotionem Dei Patris, hoc est, vere ad finem usque in Christum credentes: quibus mixti sunt non sancti, sed tamen in professione fidei consentientes.* Ecclesia.

V. *Causa principalis*, adeoque Dominus & caput Ecclesiæ est *Iesus Christus*: cui a Patre data est tanquam hæreditas, *Psalm. 2. v. 8.* & qui eam suo sanguine redemit & acquisivit. *Actor. 20. v. 28.* & ipsius Sponsus est. *Ioh. 3. v. 29. Eph. 5. v. 25. 1. Cor. 11. v. 2.* & caput, *Ephes. 4. v. 15, 16.* & fundamentum unicum, *1. Cor. 3. v. 11. Eph. 2. v. 20, 21.* Vnde etiam vocatur *Christiana*, ex *Actor. 11. v. 26.* Eleganter Ambrosius lib. 4. hexaëmeri c. 8. Ecclesia speciosa est, inquit, ut luna: quæ de fratris sui luce perpetua lumen sibi immortalitatis & gratiæ mutuatur. Fulget enim non suo, sed Christi lumine, & splendorem sibi accendit de sole justitiæ, ut dicat: Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. Ecclesiæ Dominus.

VI. Porro quando de ordinaria collectione Ecclesiæ disserimus, utitur in ea Christus ministerio pastorum & doctorum, qui sunt ipsius legati, & quasi os ejus, sicut eleganter Hieronymus in præfatione Pentateuchi: *Per Apostolorum os*, inquit, *mihi Christi sonat:* Et ipse Christus de suis discipulis, *Luc. 10. v. 16.* Qui audit vos, inquit, me audit, Vnde D. Apostolus, *Ephes. 5, v. 11.* Ipse (Christus)

ſtus) inquit, dedit quosdam Apoſtolos, quosdam Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios Paſtores & Doctores, ad præparationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti. Et quia Prophetæ & Apoſtoli locuti ſunt, & ſcripſerunt ex immediata inſpiratione Spiritus ſancti, *2. Petr. 1. v. ult.* ipſorum doctrina ſimplici fide, tanquam vere divina, acceptanda eſt: nec ſubjacet illa judicio ſive examini ullius hominis. Vnde *Epheſ. 2. v. 20.* Chriſtiani dicuntur ædificati ſuper *fundamento Prophetarum & Apoſtolorum:* nimirum quod fundamentum ipſi demonſtrant, nempe Ieſum Chriſtum, ut ex ſequentibus ibi verbis planum eſt. Omnium autem ordinariorum Eccleſiæ miniſtrorum doctrina conformari debet exquiſite doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ, ad ejusque normam exigi & examinari.

Miniſtri. VII. Cæterum quatenus miniſtri Eccleſiæ publici conſiderantur, ut *legati* Chriſti, & *Paſtores* gregis, recte vocantur προϊσταμενοι, & præſunt Eccleſiæ, ſolique Chriſto tanquam Domino ſubſunt: Cujus unius vocem, in ſcripturis Canonicis ſonantem, audire ipſi, & aliis proponere debent, ab eaque neque ad dextram, neque ad ſiniſtram in ullius hominis ſive gratiam ſive odium deflectere. *Nefas enim eſt, hominem ullum privato arbitrio præſcribere velle miniſtris Eccleſiæ regulam ſive ordinem docendi, verbo Chriſti contrarium, exempli gratia, probibere publicam refutationem errorum, reprehenſionem vitiorum & ſcelerum, et cetera.*

VIII. Idem

VIII. Iidem autem Ecclesiæ ministri, quatenus & ipsi considerantur, ut oves Christi, recte censentur pro Ecclesiæ membris, & Ecclesiæ subsunt, & est inter ipsos & reliquos Christianos communio bonorum spiritualium. Quam necessariam distinctionem si observarent Pontificii, in doctrina de suo Papa non adeo fæde errarent.

IX. *Modus & ratio sive forma colligendi Ecclesiam* consistit in divina vocatione, quæ fit prædicatione Evangelii, & administratione Sacramentorum: quæ sunt media divinitus ordinata, ad homines illustrandum, & accendendum in illis fidem, qua salvi fiant, *Matth.28.v.19.20. Marc.16. v.15.16. Iohann.3.v.5.cap.17. v.20. 1.Petr.1. vers.23. Rom.10.v.17. 1.Cor.1.v.21.c.3 v.5.* Ecclesia colligitur divina vocatione.

X Nota hic, eundem esse modum Ecclesiæ colligendæ, & conservandæ, ac propagandæ: nempe per prædicationem Evangelii, & Sacramentorum dispensationem. Et propagatur & conservatur.

XI. Observa etiam hic discrimen antea notatum, inter vocantes ministros sive pastores, & vocatas oves. Dicitur enim *Ecclesia docere*, non communiter sive promiscue, sed per ministros suos, ut discrimen maneat inter Pastores & gregem. Neque tamen Christianos auditores habebimus pro brutis ovibus, quæ nihil intelligant, ut Papistæ somniant. Nam, ipso teste Christo, cognoscunt ipsum oves ejus, & audiunt vocem ejus, *Iohann.10.v.14.16.* Et D. Apostolus jubet Corinthios suos tanquam prudentes judicare, quod ipse scribit, *1.Cor.10.v.15.* Sicut Beroenses commendan- In qua sunt Pastores & oves.

dantur, scrutantes scripturas, *Actor.17. v.11.* juxta Christi mandatum, *Ioh.5. v.29.* Scrutamini scripturas. Et regulam D.Pauli *1.Thess.5.v.21.* Omnia probate, quod bonum est tenete, & D. Johannis *1.Epist.5.v.1.* probate Spiritus, si ex Deo sint.

Ecclesia subest scripturis.

XII. Neque tamen unquam concedemus, Ecclesiam extolli supra Prophetas & Apostolos, ut eorum scripta taxare præsumat, sicut Stapletonus, & quidam alii Papistæ disputant, Ecclesiam esse supra scripturam: quod vere est filiam extollere supra parrem, & discipulum supra præceptorem. Vt enim Christus est & caput, & Sponsus Ecclesiæ, & unicus præceptor: ita S. Prophetæ & Apostoli pro legatis Christi immediate missis agnoscendi & honorandi sunt, qui sua prædicatione Ecclesiam ædificarint: ut nihil possit absurdius cogitari, quam commentum illud Papistarum, de divina scriptura taxationi, & examini, & judicio Ecclesiæ, (hoc est, Papæ) subjicienda.

Vocatio ad Ecclesiam universalis.

XIII. Tenendum etiam illud, prædicationem Evangelii, qua fit divina vocatio ad Ecclesiam, esse universalem, hoc est, omnibus omnino hominibus debere Evangelium prædicari, *Matt.28. Marc.* 16. Et vult Deo serio, omnes vocatos venire ad Ecclesiam, & audire Christum, & pervenire ad agnitionem veritatis, & ita salvari, *Matth.3. 17. 23.28. Act 17.v.30. 1.Tim.2.v.4.c.4.v.10. 2.Pet.3.v.9.*

Absoluti decreti vanitas.

XIV. Ex quo fundamento refutandum est horrendum illud Calvinianorum dogma, de simplici & absoluta maximæ hominum partis reprobatione & abjectione: item discrimen illorum inter vo-

voluntate signi sive significationis (quæ in verbo est patefacta) & beneplaciti: quam dicunt voluntatem arcanam atque absconditam. Cum certum sit, Deum Opt. Max. voluntatem suam de nostra salute in Evangelio per Filium suum nobis revelasse & proposuisse, *Iohann.1. v.18. Rom.16.v.25.26. 2.Tim.1.v.9.10.* & alibi passim.

XV. Pari ratione hinc judicanda est distinctio vocationis efficacis, quam vocant, & inefficacis; quam illi simpliciter æstimant ex absoluta Dei voluntate, causas omnes antegrediente, alios eligentis, alios reprobantis & indurantis: cum certo constet, meram esse & propriam hominum, qui pereunt, culpam, vocationem divinam contemnentium, & a sese repellentium, *Actor.13. v.46. Matth.23.v.37. Luc.7.v.30. Act.7.v.51. &c.* Dei vocatio efficax.

XVI. Denique observandum est, vocationem interdum dici tantum respectu termini *a quo*, nempe a Deo vocante: quomodo multi dicuntur vocati, pauci vero Electi: interdum etiam a termino *ad quem*, nempe, ut vocationi includatur tum Deus vocans, tum homines vocati, vocationi obtemperantes. Sic Paulus passim appellat vocatos sanctos, & ad *Rom.8. v.30.* quos vocavit, hos etiam justificavit. Hi dicuntur *vocati secundum Dei propositum*, nimirum vocatione divina cum obedientia hominum conjuncta, hoc est, relatum & correlatum simul. Sic *1.Cor.1.vers.26.* Videte vocationem vestram: intelligitur vocatio Dei cum effectu salutari apud homines, hoc est, est descriptio obedientiæ fidei. Quam obedientiam Vocatio secundum Dei propositum.

cave cum Pelagianis tribuas viribus humanis: tametsi externa pædagogia ab hominibus præstetur, ut exposuimus articulo 5.

Terminus a quo.

XVII. *Terminus a quo* divinæ vocationis notatur, nempe pravitas & impietas, adeoque ipse grex impiorum hominum, Deum aversantium, vel etiam Spiritu sancto resistentium: qui per universum orbem dispersus est. Sic loquitur Christus, *Iohann. 17. v. 6.* Quos dedisti mihi *ex mundo.*

Ad quem.

Fit igitur illa evocatio a corruptione & peccato ad justitiam, ab odio Dei propter peccata, ad Dei gratiam & dilectionem propter Christum, ex tenebris ad lucem, ex morte ad vitam, ex regno Diaboli ad regnum Christi: itemque ex via peccatorum, ex cathedra irrisorum, ex grege malignantium, ex consortio pravorum, ex multitudine impœnitentium, ad viam Iustitiæ, ad donum Dei, ad familiam Christi, ad cœtum sanctorum, ad multitudinem credentium, *Marc. 16. v. 16. Act. 2, v. 3. 1. Tim. 6. v. 12. 1. Pet. 1. v. 5. c. 2. v. 9.*

XVIII. *Qui terminus ad quem* simul notatur in definitione his verbis: Congregatorum *ad regnum Dei.* Vbi ponitur congregatio tanquam correlatum, & simul effectum evocationis. Nisi enim sint, qui vocationem Dei audiant & sequantur, Ecclesia dici non potest: Sicut apud Barbaros quosdam Ecclesia esse non dicitur, qui sanctos Dei viros, Evangelium prædicantes, occiderunt, neque admittere ullos alios præcones voluerunt. Quando igitur Deus nos vocat per suos ministros ver-

verbo Evangelii, nostrum est audire illud verbum: per quem auditum Spiritus sanctus efficax & operatur fidem. *Atque sic principium nostræ obedientiæ est, vocationi divinæ respondens, externus auditus verbi Dei: quem sequitur ex operatione Spiritus sancti interna obedientia cordis, nempe fides.* Nam præpostere illi docent, qui sentiunt primo interna Dei vocatione, ante prædicatum verbum, animum excitari & moveri, ut verbo prædicato deinceps assentiatur: sed hic ordo divinitus institutus est, ut per externum Evangelii auditum Spiritus sanctus animos nostros efficiat, moveat, excitet, & illuminet: ut in articulo quinto docuimus.

Nota!

XIX. Neque concedenda est separata actio Dei in homine intus illuminando, absque prædicatione & auditu verbi, & dispensatione Sacramentorum: *Sed potius ex divina ordinatione connectuntur & copulantur causa princeps & instrumentalia, ut non nisi per ministerium Evangelii Deus operetur (de ordinaria Dei actione loquimur) & ministerium illud non nisi per divinam virtutem dicatur esse efficax & salutare.* Neque enim verbum est hominis sive humanum, quod proponit in Ecclesia minister Christi ex divinis scripturis, sed ipsius Dei, qui ipse loquitur per suum ministerium, uti scribit Apostolus, 1. *Thess.* 2. v. 13. Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum humanum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.

In Ecclesia sunt electi.

XX. In cœtu illo visibili hominum per Evangelium congregatorum sunt *prædestinati* sive *Electi*, juxta prænotionem Dei Patris, *1.Petr.1.v.2.* Sicut inquit Apostolus, *Rom.8.v.29.30.* Quos præscivit, eos etiam prædestinavit, &c. & vocavit, & justificavit & glorificavit. Vbi *vocandi* verbum accipitur, sicut paulo ante annotavimus, in sensu conjuncto & cum effectu, nempe de illis, qui sunt secundum Dei propositum vocati, & illam vocationem amplexi, *v.28. 2.Tim.1.v.9.10. 2.Thess.2.v.13. 1.Petr.1.v.12. 1.Tim.1.v.16.* Et hæc est invisibilis illa Ecclesia, quam supra diximus ita vocari, quia Electio & fides non cadat sub adspectum humanum.

XXI. Porro in Ecclesia admixtos esse hypocritas & malos sanctis & vere credentibus, probant variæ parabolæ a Christo propositæ, *Matth.* 13. de agro ferente triticum & Zizania v.24. de verriculo continente pisces bonos & malos, v.47. *Matth. 3.v.12.* de area, in qua & triticum depositum est, & paleæ, *Matth.22. v.10.12.* de nuptiis, ad quas vocantur & veniunt boni & mali, *Matth.25.v.1.* de virginibus prudentibus & fatuis, *Ioh.* 10. *v.12.* de ovibus, in quo sunt oves & hirci, *Ioh. 15. v.1.* de vite, in qua sunt multi palmites steriles, *Luc.13.v.7.* de arbore non habente fructus. Sic D. Paulus *2.Timoth.2.vers.20.* In magna domo, inquit, (quæ est Ecclesia Dei vivi, *1. Timoth.3. vers.* 15.) quædam vasa sunt aurea & argentea, quædam lignea & fictilia, quædam in honorem, quædam ad ignominiam.

XXII. Ex iis quæ dicta sunt, non difficilis est responsio ad accusationem Papistarum, vociferantium nos deserta vera Ecclesia novam instituisse, ac proinde veræ illius & antiquæ Ecclesiæ membra non esse. Nam diserte negamus, nos veram Ecclesiam deseruisse, vel ab ea defecisse, vel ex ea egressos esse. Sed potius in ipsa Christiana Ecclesia diligenter & accurate distinguimus id, quod ad ipsam, ut ita loquar, substantiam Ecclesiæ pertinet, & illud quod aliunde eam invasit, hoc est, ut quam clarissime loquar, inter Christum, ipsius verbum, & Sacramenta: & inter Papam, & humanas glossas & traditiones. Vanissimi enim sunt illi clamores multorum: Ecclesiam semper esse puram, & puram in ea fidem, pura Sacramenta, puros itidem Doctores, & puros auditores. Contrarium namque ipsa experientia plus satis edocuit omnibus temporibus. Quicquid ergo divinum sive Christianum est, totum retinemus, hoc est, universam Canonicam scripturam, Baptismum, & sacram Domini cœnam, juxta ipsius Christi institutionem: quo modo verissime affirmamus, quicquid vere Catholicum est & Apostolicum, id omne in Ecclesia nostra inveniri, ac proinde quicquid de Romana veteri Ecclesia honorificum & laudabile prædicatur, verissime etiam de nostra Ecclesia prædicari: cum & hæc, & illa, eandem doctrinam, nempe Apostolicam, eademque Sacramenta, nempe baptismum & cœnam Dominicam, habeat & dispenset. Quo modo

fieri non potest, quin nostræ Ecclesiæ conveniant encomia, quibus Romana Vetus insignitur propter Apostolicæ doctrinæ observationem: nisi forte negare velint Pontificii, eandem scripturam Canonicam, Prophetarum & Apostolorum nos habere, quam & Romana Ecclesia semper habuit. Ad quam extremam insaniam quia nondum processerunt, sed expresse fatentur, penes nos eadem esse Biblia, Hebræa veteris, & Græca Novi Testamenti, quibus & ipsi utuntur: convicti sunt in conscientiis suis de conformitate doctrinæ in Ecclesia nostra & Romana Veteri.

XXIII. Neque est, ut objiciant diversas interpretationes, nosque remittant ad sensum scripturæ, quem hodierna Ecclesia Romana tenet. Non enim potest esse certior & veracior scripturæ divinæ interpres, quam is, cujus immediata inspiratione consignata est, nempe Spiritus sanctus, qui in ipsa & per ipsam loquitur perspicue, constanter, & manifeste, ut nulla sit admittenda interpretatio, quæ extrinsecus & aliunde afferatur, sed omnis vera expositio haurienda & sumenda sit ex ipsa. Injurioſi enim sunt in ipsum scripturarum authorem, qui eas clamant esse ita ambiguas vel obscuras, & tenebrosas, ut certus ex illis sensus frustra expectetur. De quo toto argumento, quia alibi fusius disputatum fuit, plura hic non addo. Vide, si libet, disputat. Anti-Pistorianam 3. & 4. th. 92. & 96. & seqq.

XXIV. Vnde & altera illa accusatio evanescit, voci-

vociferantium, Ecclesiam nostram esse plane novam, nondum centum annorum, cœpisse tempore Lutheri, ante quem nemini hominum in toto terrarum orbe innotuerit, & quæ sunt alia similia. Distinguendum enim est inter homines ipsos, qui sunt in Ecclesia, & inter doctrinam Ecclesiæ: illi singulis generationibus mutantur, & novi succedunt: hæc semper eadem constans, & perpetua est. Neque enim alio nos textu Biblico utimur, quam eo ipso, quem Prophetæ & Apostoli consignarunt. In quo fundamento veræ successionis ratio consistit, & a nobis per omnes intermedias Ecclesias deducitur ad ipsos usque Apostolos, Eph. 2. Neque fando auditum est, Lutherum ex Ecclesia exterminato vero Biblico textu alium ex suo cerebro substituisse. Quam enim in interpretatione Germanica fidem, industriam, judicium, dexteritatem & perspicuitatem adhibuit, qui grato animo non agnoscit & prædicat, omnium hominum ingratissimum esse necesse est. Quomodo igitur Ecclesiæ nostræ authorem primum quisquam evincet fuisse Lutherum? Cujus ille minister fuit, & in eo fidelissimi Doctoris munere diligentissime perfunctus est, ut, cum sacram scripturam videret multis modis ab Anti-Christi satellitibus contaminatam, ipsaque etiam Sacramenta variis additamentis, & superstitionibus, & corruptelis depravata, separaret pretiosum a vili, & abstergeret pulverem & lutum humanarum depravationum & superstitionum, nativamque Propheticæ

& Apostolicæ doctrinæ facem in media veritatis luce poneret omnibus, Christum vere amantibus, conspiciendam & osculandam. Cum igitur neque novam scripturam in Ecclesiam invexerit Lutherus, neque nova Sacramenta instituerit, sed doctrinam Propheticam & Apostolicam ab inquinamentis Anti-Christianis repurgarit, & Baptismum & sacram cœnam, a Christo institutа, juxta illam ipsam divinam institutionem dispensanda docuerit (ex quo divino semine Ecclesiam gigni supra articulo 5. demonstratum fuit) nihil restat, quam ut concludamus, sicut primitivæ Ecclesiæ Antiochena, Corinthiaca, Ephesiana, Romana, Galatica, &c. ex prædicatione Apostolorum natæ sunt: eodem modo ex eodem verbo per Lutherum, & alios fideles symmystas prædicato, eodemque Baptismo a Christo Apostolis commendato, Matth. 28. Marc. 16. per Lutherum, & alios legitime dispensato, genitas fuisse Ecclesias nostræ Germaniæ, in iisdemque subinde filios & filias Deo per eadem instrumenta, efficaciter operante Spiritu sancto, generari. Quod adeo verum esse ipsi Pontificii agnoscunt, ut negare non ausint, vere & secundum Christi institutionem baptizatos esse, quicunque in Ecclesiis nostris baptizati sunt: quos proinde rebaptizare non solent, si qui deserta, propter spem honorum & divitiarum temporalium, Christianæ religionis puritate, ad ipsos deficiant. Etsi enim in Belgicis persecutionibus sub immani duce Albano pauca quædam exempla baptizatorum a Pontificiis infan-

infantum in historiis prodita extant, non tamen memini, vel ab ipso Romano Papa, vel a doctis & cordatis Papistis, factum illud approbari.

XXV. Concludam hunc locum, si unum addidero, quod palmarium videtur multis: nimirum de monachis, qui a Romano præsule ad exteras regiones missi leguntur, & adhuc mitti solent, ad homines ad Christi fidem convertendos. Inde enim inferre non dubitant, Papam Ecclesiæ caput esse; & supremum rectorem, cujus unius authoritate Ecclesiæ exteræ plantari debeant & possint. Cui quæstioni paucis verbis satisfaciam: & ita quidem, ut pro fundamento sumam sententiam Apostolicam, *2. Thess. 2. vers. 4.* de Anti-Christo sedente in templo Dei, hoc est, Ecclesia Christi. Vt enim summus Sacerdos veteris Testamenti, etsi variis erroribus & vitiis imbutus, ea tamen constituebat, quæ ad ministerium publicum requirebantur: ita negari non debeat, Papam etiam Romanum de facto ablegare suos homines posse ad prædicandum Christum in variis mundi partibus. Sed istud discrimen est accuratissime observandum: Conversionem hominum ad Christum, adscribi ministerio illorum legatorum, non quatenus a Papa illi dependent, & Papales traditiones propagare student, sed quatenus Christi verbum ex scriptura Canonica proponunt, tametsi sordibus traditionum & glossarum humanarum inquinatum. Effectus enim divinus, hoc est, hominum in fide Christi ædificatio, non nisi divinæ causæ, hoc est, verbo Evangelii, quod Chri-

ſtus prædicari juſſit, (non autem ſomniis ſive commentis humanis) aſſignari poteſt. Similem fere in modum de nonnullis ſui temporis Doctoribus D. Paulus *Philippenſ. 1. verſ. 18. Dum omni modo*, inquit, *ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuncietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.* Quæ verba tali ratione ad præſens inſtitutum accommodo, ut affirmem, Spiritum ſanctum per Evangelium prædicatum efficaciter operari, etiam tunc, quando non omnino purum, ſed aſſumentis humanis fædatum, proponitur. Dum igitur docent monachi jam quidem *pretioſum*, videlicet Evangelium ex ipſo contextu Biblico, mox etiam *vile*, hoc eſt, legendas, & ſive hiſtorias ſive fabulas ſanctorum, quas ipſi vocant: planum eſt, ſi ex iis concionibus Chriſtus agnoſcatur, illud non fabulis defunctorum, ſed ipſi Evangelio adſcribi oportere. Si enim tenendum eſt, in regno Pontificio mixturam eſſe rerum duarum diverſiſſimarum: quarum una Deum authorem habet, nempe purum & ſincerum miniſterium prædicandi Evangelium & diſpenſandi Sacramenta juxta Chriſti inſtitutionem; altera Anti-Chriſti propria eſt: nempe pulvis, fermentum, lutum, ſcoria, feces, & ſordes humanarum quarumque traditionum & ſuperſtitionum, quibus prior illa res pretioſiſſima ſic inquinatur, contaminatur, fædatur, & involvitur, ut interdum agnoſci vix ſatis poſſit: neque tamen eſſe deſinat, & ſæpiſſime virtutem ſuam magna cum admiratione exerat. Et de his quidem hactenus.

ctenus. Plura enim dicenda restant in articulo 14. de ordine Ecclesiastico.

IV.

Num articulum hunc sincere credunt Zvvingliani & Calviniſtæ?

Multu & hic erroribus laborant. Recurrunt enim omnes illi, de quibus diximus in articulo septimo: & praterea alii, de vocatione ministrorum, quam statuunt triplicem, immediatam, mediatam, & mixtam, de quibus videbimus ad articulum 14. Periculose itidem errant in ostendendo discrimine inter Testamentum vetus & novum: de quo in articulo decimo attingemus, itemque in ipso ordine docendi, quando Evangelii doctrinam præmittunt concioni legis: de qua re dicendum erit ad articulum 12. de pœnitentia: denique Sacramentorum virtutem suspendunt a fide hominum, quam nonnulli disputant esse Sacramentorum formam: ut apparebit ex articulo 9. & 10. & 13.

ARTICVLVS VIIII.

DE BAPTISMO.

EXposita hactenus fuit doctrina de Ecclesia, qua est domus illa Dei vivi, columna & firmamentum veritatis, 1. Tim. 3. v. 15. *Sequitur nunc de Baptismo, & sacra Domini Cœna, & de vero usu & fructu Sacramentorum, qua sunt præstantissima bona sive*

sive thesauri apud Ecclesiam depositi, & ipsius fidei commendati. Verba articuli noni de Baptismo ita habent:

De Baptismo docent (*Ecclesiæ nostræ*) quod sit necessarius ad salutem, quodque per baptismum offeratur gratia Dei. Et quod pueri sint baptizandi, qui per baptismum oblati Deo recipiantur in gratiam Dei.

Damnant Anabaptistas, qui improbant baptismum puerorum, & affirmant pueros sine baptismo salvos fieri.

I.

Articulus hic excerptus est ex articulo nono inter septendecim illos D. Lutheri, de quibus sepe nunc diximus: cujus sunt hæc verba tom. V. German. Ienens. fol. 15. b. Daß die Tauffe das erste Zeichen oder Sacrament stehet in zweyen Stücken/ nemblich im Wasser und Wort GOttes/ oder/daß man mit dem Wasser tauffe/ und Gottes Wort spreche/ und seye nicht allein schlecht Wasser oder begiessen (wie die Taufflästerer jetzund lehren) Sondern weil Gottes Wort darbey ist/ und sie auff Gottes Wort gegründet. So ist es ein heilig/ lebendig/ kräfftig Ding/ und wie S. Paulus sagt Tit. 3. und Epheſ. 5. ein Bad der Widergebart und Ernewerung des Heil. Geistes/ und daß solche Tauffe

Tauffe auch den Kindern zu reichen und mitzutheilen seye. Gottes Wort aber/ darauff sie stehet/ sind diese: Gehet hin und tauffet sie im Namen deß Vaters/ und deß Sohns/ und deß H. Geistes/ Matth. 28. und Marc. 16. Wer glaubt und getaufft wird/ ꝛc.

II.

Caroli Cæsaris & Catholicorum (Romanensi religioni addictorum) principum ad nonum articulum responsio.

Nonus articulus de Baptismo, quod necessarius sit ad salutem, & quod pueri sint baptizandi, probatur & acceptatur. Recteque damnant Anabaptistas, hominum genus seditiosissimum, procul a finibus sacri Romani Imperii eliminandum, ne inclyta Germania exitialem & sanguinarium denuo patiatur tumultum, qualem annis ab hinc quinque tot millium hominum clade experta est.

Aliorum Papistarum Iudicium.

Andreas Fabricius *reprehendit mutatam a Philippo Confessionem: & Lutherum accusat, quod posuerit fundamentum hæresis Anabaptisticæ. Eandem de Luthero querelam repetit Cochlæus & plerique Pontificii.*

Johan-

Iohannes a Daventria *dicit, hunc articulum mutuo acceptum ab Ecclesia Catholica, & nullum fecisse negotium.*

Iohannes Cochlæus: *Articulus iste, inquit, neque in Confessione, neque in Apologia habet quicquam incommodi: nisi quod Apologia falso gloriatur, nullos in eorum Ecclesiis fuisse Anabaptistas. Postea negat, infantes baptizatos credere, sed tamen eos cum Cypriano & Augustino connumerat inter fideles.*

Iohannes Hoffmeisterus: *Hæc omnia*, inquit, *mutuati sunt ab Ecclesia, ideo nihil est hic, quod rejiciatur. Monet autem de adhibendo Chrismate, oleo, sale, sputo, & id genus aliis ceremoniis. Et tandem addit, quod ad substantiam, vim & efficaciam baptismi attinet, nos (Evangelicos,) habere adversarios Zwinglianos, & quidem capitales: quod vero ad ceremonias, Ecclesiam Catholicam (Romanam intelligit) habere adversariam.*

De Philippica mutatione Confessionis semel respondimus, privato consilio esse factam non publico, etsi postea fuit recepta e multis ita tamen, ut accipiatur juxta prototypum.

De accusatione Anabaptisticæ hæreseos res ipsa evidenter respondet, esse eam validis argumentis a Luthero & aliis, itemque publica hac confessione rejectam & damnatam, atque etiam armis repressam propter excitatam seditionem. Enormis igitur illa Papistarum calumnia est, & luculentum mendacium. Cætera difficultatem nullam habent.

III.

III.

Summa articuli & divisio.

Argumentum est de Baptismo: de quo proponitur thesis & antithesis, hoc est, veræ sententiæ assertio, & falsæ detestatio.

Thesis habet quinque axiomata. 1. De numero: *Baptismus est unus.* Ideo enim adhibetur numerus singularis. 2. De necessitate: *Baptismus est necessarius ad salutem.* 3. De effectu baptismi respectu Dei: *Per baptismum offertur gratia Dei.* 4. De subjecto: *Pueri* (nempe Christianorum infantes, cujuscunque sexus) *sunt baptizandi.* 5. De effectu in homine baptizato: *Per baptismum oblati Deo infantes recipiuntur in gratiam Dei.*

Antithesis damnat Anabaptistarum errorem duplicem. 1. quod improbant baptismum puerorum. 2. quod affirmant, pueros sine baptismo salvos fieri.

IV.

I. Generalis doctrina de Sacramentis alibi proponitur, unde repetenda est. Sufficiat hic proponere definitionem, quæ qualis est: *Sacramentum* (in significatione exquisita Ecclesiæ propria) *est sacra & solennis actio, qua Deus per suum ministrum nobis dispensat rem certam, peculiari verbo institutam, ad offerendam nobis & applicandam atque obsignandam promissionem Evangelii propriam.* Vide, si libet, Tom. 2. disp. Giss. disp. 5. & 14. Sacramentum.

II. *Baptismus est prius Novi Testamenti Sacramentum, nempe hominis vivi in aquam immersio* Baptismus.

(sive

(sive adspersio) *in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti: ut regeneretur & renovetur.*

III. Est enim generalis significatio verbi βαπτίζειν, quod significat lavare, abluere, sive fiat immergendo in aquam, sive aquam adspergendo, *Marc. 7. vers. 3. 4. Actor. 1. v. 5. c. 2. v. 14. 16. 17. Iob. 2. v. 8. Eph. 5. v. 26. Tit. 3. v. 5. Act. 22. v. 16. 1. Petr. 1. v. 2.*

Author Baptismi

IIII. Causa efficiens sive primus *author baptismi*, (ut omnium etiam aliorum Sacramentorum) *Deus est:* qui solus potest dare & confirmare divinam gratiam. Nam & Johannes Baptista non nisi divino mandato & authoritate baptizavit, *Iob. 1. v. 23. 26. 33. Matth. 21. v. 25. Luc. 7. v. 30. Iob. 3. v. 22.* & quidem in remissionem peccatorum, *Marc. 1. v. 4. Luc. 3. v. 3.* Remittere autem peccata (propria authoritate) solius Dei est.

Minister.

V. Administratio baptismi pertinet ad *ordinarium Ecclesiæ ministerium*: Vnde colligitur, ordinarie administrandum esse baptismum in Ecclesia, a publicis ejus ministris. In summo tamen casu necessitatis ab homine privato, in Christiana religione recte instituto, posse baptismum administrari, affirmare non dubitamus: neque in hac re discrimen facimus inter viros & fœminas, *Gal. 3. v. 28. 1. Petr. 3. vers. 7. cap. 2. v. 9. Apocal. 1. v. 6. cap. 5. v. 10. Confer etiam Luc. 2. v. 36. 2. Timoth. 1. v. 5. cap. 3. v. 15. Actor. 18. v. 29. Roman. 16. v. 3. Actor. 2. v. 17. cap. 21. v. 9.* Et quod ad qualitatem ministrorum attinet, tenemus hanc generalem regulam: *Ministerii Ecclesiastici vis atque virtus*

tus non pendet a qualitate ministri sive dispensatoris, sed ex Dei illud instituentis, veritate & potentia. Verus igitur baptismus est, qui secundum Christi institutionem administratur, quicquid credat, qui dispensat, vel accipit. Hominum enim incredulitas fidem Dei irritam non facit, *Rom. 3. v. 3.* Nec refert, utrum per canalem lapideum, aut argenteum aqua transeat ad areolas irrigandas, ut loquitur Augustinus, *Vitia enim personalia ministri non corrumpunt aut destruunt ministerium, in quo divina institutio observatur.* Quemadmodum Pharisæorum circumcisio fuit vera, tametsi essent ipsi corruptissimi.

VI. Elementum externum baptismi est *aqua*, nempe vera, naturalis sive elementaris (non stillatitia, factitia, medicata, &c.) fluminum, fontium, sive maris: Verbo Dei ad hunc finem Sacramentalem, ordinata, *Iob. 1. v. 33. c. 3. v. 5. Eph. 5. v. 26. &c.* Et tenemus regulam: *Qualitatem aquæ* (sive calida sit sive frigida, &c.) *nihil detrahere veritati substantiæ.* Elementum externum baptismi aqua.

VII. Res cœlestis baptismi est *sacrosancta Trinitas*, Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: in cujus nomine baptismus administratur. Vbi nomine Filii intelligitur *Filius Dei incarnatus*, θεάνθρωπος, ne quis sanguinem Christi putet a baptismo excludi, a quo suam habet virtutem, cum sit fundatus in morte & resurrectione Christi, *Rom. 6. v. 3. 1 Petr. 3. v. 21.* Et sic vere dicitur sanguis Filii Dei emundare nos (etiam in baptismo) ab omni peccato, *1. Iob. 1. v. 7.* Vere enim Res cœlestis SS. Trinitas.

Christus baptismo adest & præest, & in ipso & per ipsum efficaciter operatur.

Aquæ officium Sacramentale.

VIII. Quare hoc est *aquæ* in Baptismo *officium Sacramentale* (non ut abluat sordes corporis: quod de quavis communi & vulgari aqua affirmari potest, sed) ut sit medium, symbolum, instrumentum divinum, verbo Dei sanctificatum, & segregatum in hunc peculiarem usum, ut cum eo & per illud SS. Trinitas in hominibus, qui baptizantur, efficaciter operetur regenerationem & renovationem, *Iob. 3. v. 5. Eph. 5. v. 26. Tit. 3. v. 5. 1. Pet. 3. v. 21.*

Forma baptismi.

VIIII. Forma baptismi diserte exprimitur verbis Christi in institutione, *Matth. 28. v. 19.* a quo discedendum non est. Et comprehendit verbum: *Baptizo:* totam actionem Sacramentalem, nempe Dei & ministri, idque in præsenti. Baptizat enim minister non suo, sed Dei nomine, adeoque ipse Deus per ministrum baptizat.

Baptizo.

Neque sumus hic scrupulosi, fiatne tinctio trina, ad designandum mysterium Trinitatis, an una tantum, ad notandam Deitatis unitatem. Et commendamus regulam: *Ordo, recte in Ecclesia constitutus, studio novitatis turbari non debet.*

Particula: *Te*: ostendit applicationem, quæ fit singulis, qui baptizantur. Et simul inde colligitur, neminem debere aut posse sibi ipsi conferre baptismum.

In nomine: non in nominibus.

Verba illa: *In nomine*: multa complectuntur. Dicitur: *Vnum nomen*: quia una eademque est Deitas trium personarum, Patris, & Filii, & Spiritus

ritus sancti, contra Arianos. Et notatur 1. mandatum Dei. 2. agnitio & invocatio veri Dei, 3. quod Deus ipse sit, qui baptizat per ministrum. 4. Quod Deus Pater eum, qui baptizatur & credit, in baptismo & per baptismum recipiat in gratiam, propter Filii sui meritum, & Sp. sancto suo ad justitiam & salutem æternam obsignet. *Vere igitur statuendum est, baptismum non esse opus humanum, sed institutum vere divinum.* Vide de præsentia Patris, *1. Pet. 3. v. 21. Tit. 3. v. 5.* Filii, *Eph. 5. v. 25. 26. Rom. 6. v. 3. 1. Petr. 3. v. 21. Gal. 3. v. 29.* Sp. sancti, *Ioh. 3. v. 5. Tit. 3. v. 5.*

Finis baptismi.

X. *Finis* baptismi est regeneratio & renovatio hominis baptizati. Cui includuntur adoptio, insitio in Christum, remissio peccatorum, sanctificatio, & tandem æterna salus, *Ioh. 3. v. 5. Tit. 3. v. 5. Act. 2. v. 38. c. 22. v. 16. Eph. 5. v. 26. Rom. 6. v. 3. Gal. 3. v. 26. 27. 1. Cor. 12. v. 13. Col. 2. v. 11. 1. Petr. 3. v. 21.*

Subjectum.

XI. Subjectum baptismi capax est solus homo: isque vivus, *Matt. 28. Marc. 16.* qui regenerari & renovari potest, *Ioban. 3. Tit. 3. &c.* Monstra igitur exquisite sic dicta, in quibus vera humanitas non est, baptizari non debent, neque illi homines, de quibus certum non est, quod vivant, & quod tori in hunc mundum sint nati. Et quia in baptismo applicatio fit ad singulos baptizatos, non dicitur fœtus in utero materno conclusus baptizari, quando ipsa mater gravida baptizatur. Quilibet enim pro se sive sua persona, dicitur suscipere Sacramentum, non unus

pro altero. Sunt autem *baptizandi omnes totius mundi homines* ex mandato Christi: sed eo ordine & modo, quem ipse instituit, & Apostoli usurparunt: nimirum 1. *Omnes & soli isti adulti homines baptizari debent, qui de Christo prius ex Evangelio instituti, & Christianam fidem professi sunt, Actor. 2. v. 38. c. 8. v. 12. 37. 38. c. 10. v. 44. 47. c. 19. v. 4. 5.* 2. *Omnes & soli infantes Christianorum sunt baptizandi.* Voco autem infantes Christianorum, tum qui sunt ex ipsis nati, tum qui in ipsorum tutelam & patriam potestatem penitus translati & adoptati sunt. Neque refert an uterque parens, an tantum alteruter Christianus sit. *1. Cor. 7. v. 14.* Christianus nempe ex professione Christiana, sive vere credat, sive sit hypocrita. Denique quando parens vel parentes gentiles convertuntur ad Christum, etiam infantes eorum, licet in gentilismo nati, dicuntur infantes Christianorum, ac proinde sunt baptizandi, ut ex braxi Apostolica liquet.

Pœdobaptismus. XII. Pro infantum baptismo ex multis pauca hæc argumenta notari debent:

I. *Mandatum Christi universale*, Matth. 28. cum quo conjungenda est praxis Apostolorum: qui baptizarunt sæpissime totas familias: neque tamen uspiam ullum potest vestigium monstrari de infantibus exceptis.

II. *Promissiones divinæ universales*: Ex quibus D. Petrus sic concludit, *Act. 2. v. 39.* Quibuscunque facta est divina promissio, illi debent baptizari. Vobis, auditoribus meis, & filiis vestris facta est pro-

promissio divina: Ero Deus tuus, & seminis tui post te. Quare, vos auditores mei, & liberi vestri, debetis baptizari. Vbi nullum audis discrimen inter liberos adultos, & infantes. Conjunge & hic praxin Apostolicam de totis familiis baptizatis.

III. *Blanda invitatio & vocatio Christi. Matth. 19. v. 13. Marc. 10. v. 14. Luc. 18. v. 15. 16. Matth. 21. v. 16. Psal. 8. v. 3.*

IIII. *Amplitudo Sacramentorum*, quæ sunt bona totius Ecclesiæ (non exclusis infantibus a Sacramento initiationis) servato tamen ordine divinitus instituto,

V. *Qualitas ipsorum infantium*: qui concepti in peccatis, & nati, opus habent regeneratione.

VI. *Finis & effectus baptismi* infantibus applicandus est, nisi perire debeant: cum aliud medium non sit, per quod Christo inserantur.

VII. Eodem etiam tendunt *typi Baptismi*, itemque collatio inter circumcisionem & baptismum, cum hic in illius locum successerit.

VIII. *Praxis Apostolorum* idem ostendit: ut & VIIII. Praxis primitivæ Ecclesiæ. Quæ omnia alibi fusius pertractata sunt: ut opus non videatur hoc loco speciatim respondere ad sophismata Anabaptistarum, quibus contrarium demonstrare frustra conantur.

XIII. Ex dictis hæc sententia recte inferrur: *Infantes in peccatis concepti & nati, caro de carne, & natura filii iræ, quando secundum Christi præscriptum baptizantur, per efficacem operatio-*

nem Sp. ſancti vere regenerantur, & vera fide donantur, qua Chriſtum apprehendunt, & in ipſo habent remiſſionem peccatorum, juſtitiam & vitam æternam. Quæ ſententia multis dictis ſcripturæ, argumentis, & exemplis oſtendi poteſt, quæ nunc brevitatis ſtudio omittimus.

XIIII. *De infantibus, ſine baptiſmo decedentibus*, diſtincte reſpondendum eſt 1. Extraneos judicio Dei permittimus. *1. Cor. 5. v. 12.* 2. Parentes Chriſtiani, quorum ſocordia & culpa recens nati liberi ante ſuſceptum baptiſmum, & ſine eo moriuntur, graviſſimam Deo reddituri ſunt rationem. Vide *Gen. 17. v. 14. Luc. 7. v. 30.* 3. Infantes Chriſtianorum ſummo aliquo neceſſitatis caſu a baptiſmo excluſi, vel etiam in utero materno extincti, quorum parentes non poſſunt dici Sacramentum contempſiſſe, optima ſpe ſalutis nituntur propter preces & parentum ſuorum, & totius Eccleſiæ, quibus prægnantes & ipſarum fœtus Deo commendari ſolent, & debent.

XV. *De ceremoniis*, apud baptiſmum adhibendis, hanc proponimus regulam: „Ceremoniæ „per ſe impiæ & ſuperſtitioſæ ſunt rejiciendæ: in„differentes autem ſive mediæ, hoc eſt, quæ ſine „impietate & ſuperſtitione uſurpari poſſunt, de„bent dirigi ad ædificationem Eccleſiæ.

XVI. *Baptiſmum non eſſe iterandum*, ſequentia probant: 1. mandatum Dei 2. exemplum baptizatorum. 3. Circumciſio, cui ſucceſſit. 4. Fœdus Dei, quod ex parte Dei eſt, ſine pœnitentia, firmum & conſtans. 5. Collatio cum generatione corporali, quæ

quæ non iteratur. 6. D. Apostolus vocat unum baptisma. 7. Baptizamur in Christi mortem: quæ semel tantum facta est. 8. Baptismi virtus durat per totam vitam: id quod probatur ex *1. Pet. 3. v. 21. Rom. 11. v. 9. c. 3. v. 3. 2. Tim. 2. v. 23. Ier. 3. v. 12. Tit. 3. v. 7.* & exemplis Galatarum, *Galat. 1. 2. capp.* Item *c. 3. v. 27.* & Corinthiorum, *1. Cor. 1. v. 2. & seqq. c. 6. v. 11. c. 12. v. 13.* Confer de circumcisione, *1. Sam. 14. v. 6. c. 17. v. 36. & c. 9.* Eadem est orthodoxæ antiquitatis sententia.

V.

Errores Papistarum circa hunc articulum.

I. De Sacramentis in genere varie errant Romanenses, de ipso nomine, definitione, numero (septem enim Sacramenta proponunt) de opere operato, de charactere, intentione, confectione, ceremoniis, quas sine peccato omitti non posse nugatur Bellarminus. Videamus, qui de baptismo præcipui eorum sint errores.

II. In ipso nomine *baptismi peccat Bellarminus l. 2. de baptismo cap. 1. scribens, proprie notare mersionem: & fuisse illum ritum mergendi mutatum ab Ecclesia.*

III. De institutione *baptismi non omnes consentiunt: & negant baptismum Iohannis fuisse eundem cum Baptismo Christi, ut patet ex Bellarmino lib. 1. de baptismo c. 5. 20. 22. qui etiam affirmat,* ipsum Christum *administrasse baptismum,* contra luculentum dictum, *Iohan. 4. vers. 2.* Jesus

non baptizabat, sed discipuli ejus. *Et quanquam Pontificii disputant, Episcopos & presbyteros suo jure baptizare, diaconos autem sine Episcopi aut sacerdotis concessu Sacramentum hoc administrare non posse: quomodo uni ex ministris Ecclesia plus virtutis & potestatis in Sacramenti administratione tribuitur, quam alteri: tamen Toletus & Bellarminus non dubitant approbare* paganorum baptismum, *hoc est, a Pagano dispensatum lib. 1. de Baptismo, cap. 7. modo habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Hanc enim intentionem ita putant necessariam, ut sine ea perfectum esse Sacramentum negent: id quod Donatistarum errori valde apparet affine.*

IIII. De materia Baptismi *scribit Toletus l. 2. c. 18. de casibus conscientiæ: posse baptismum esse in lixivio, brodio carnium vel piscium, quando non est notabilis mixtio, ut aqua non sit. Quam opinionem etiam tuetur Gregorius de Valentia Tom. 4. disp. 4. q. 1. Communiter autem Romanenses docent, aquam prius esse exorcisandam, benedicendam & consecrandam: adeo ut mortaliter peccare dicat Toletus, qui in non benedicta aqua baptizat, eamq; consecrationem non nisi in vigiliis Pasch. & Pentecostes fieri debere affirmat Catechis. Romanus.*

V. *Simplici baptismi* forma *a Christo præscripta, & ab Apostolis usurpata non contenti, varias effinxere ceremonias & solennitates, quas ita distribuit Bellarminus, ut duodecim dicat baptismum præcedere, quinque comitari, & totidem sequi, l. 1. de Baptismo, c. 25. 26. 27.*

VI. *Ha-*

VI. *Habent etiam* Baptismum dubium: *quem hac forma dispensant, notante Toleto: Si es baptizatus non te rebaptizo: sed si non es baptizatus, ego te baptizo. Catechismus Romanus, cap. 2. q. 42.*

VII. Chrismate *consummari baptismum ex decreto Gratiani docet Turrianus lib. 2. de Ecclesia c. 7. imo confirmationis Sacramentum esse dignius Sacramento baptismi docent: ut aliter perfectum fieri posse Christianum neget Canisius in Enchiridio. Æquant etiam baptismo martyrium, & pœnitentiam, ingressum religionis, & induitionem cuculle.*

VIII. In baptismo scribunt imprimi characterem: *& ex* opere operato, *hoc est, vi Sacramenti (cui adscribunt virtutem divinam elemento aqua peracta a sacerdote εὐλογίᾳ subjective & habitualiter inhærentem, Catechismus Romanus,) peccata remitti, hoc est, ut Canisius & alii interpretantur, plene & totaliter tolli: sed, ut Bellarminus disputat, peccata tantum præterita, non etiam præsentia aut futura, quod etiam habet Suaretz in Apocal. serm. 15. Vnde lapsis post baptismum opus esse dicunt altera tabula, nempe pœnitentia. Vide Lombardum lib. 4. dist. 14.*

VIIII. Campanas *baptizant, quibus etiam, ut in baptismo fieri solet, per propatres, certa nomina imponunt: nimirum ut sint immunes a potestate Satanæ, & ut terreant sua compulsatione dæmones, & coerceant tempestates. Postillator Discipulus de sanctis serm. 17.*

X. *Infantes negant in baptismo propria fide donari: quos proinde dicunt baptizari in* fide paren-

tum & patrinorum sive susceptorum, si fideles fuerint: si minus, in fide Ecclesiæ, vel universa societatis sanctorum, Catechismus Romanus, Compend. Theol. verit. lib. 6. c. 9. A qua sententia quadantenus abit Bellarminus lib. 1. de baptismo. c. 11. ubi scribit, infantibus in baptismo infundi habitum fidei, spei & charitatis: & subiicit, eos actu credere partim reipsa, dum baptizantur, partim fide aliena, nempe parentum vel Ecclesiæ. Neque tamen concedit, parvulos vivere fide aliena, sed sua habituali. Fidem enim, inquit, justificantem habent parvuli infusam ex opere operato Sacramenti, non ex opere operantis ministri aut Ecclesiæ.

XI. De infantibus, sine baptismo decedentibus, quos nonnulli ne quidem cœmeterio dignantur, & ad damnatorum ordinem simpliciter relegant, diversas Scholasticorum & aliorum opiniones recitat & examinat Bellarminus lib. 6. de amissione gratiæ & statu peccati, integris septem capitibus, tandem concludens, probabile esse, parvulos, non baptizatos, passuros interiorem animi dolorem, quamvis mitissimum.

XII. Baptismum posse homini adulto, dormienti, vel amenti, si nimirum antea baptizari voluit, & amens a nativitate fuerit, conferri, docet Emanuel Sa in Aphorismis aphor. 6. Bellarminus lib. 1. de Baptismo c. 26. approbat & laudat consuetudinem (addita tamen exceptione de casu necessitatis) de instituendo baptismo tempore Paschæ & Pentecostes. Quasi nimirum Sacramentorum dispen-

dispensatio certis sit temporibus adstringenda, *Gal.4.v.10. Coloss.2.v.16.*

VI.

Calviniſtarum de baptiſmo ſententia.

Quid hic Calviniani? *Negant diserte, baptiſmum esse necessarium ad salutem. Zwinglius in sua Confess. ad Carolum V. Anno* 30. *art.*7. tanquam absurda proponit, si quis dicat: Sacramentis alligatam esse gratiæ præsentiam & efficaciam: mediante Socramento hominem præparari ad gratiæ acceptionem, &c. Eodemque modo Calvinus negat, Sacramento tales gratias illigatas inclusasque esse, quo ejus virtutes nobis conferantur, *Instit. l.4.c.15.dist.*14. *Et dist.*20. Quantum damni invexerit dogma illud male expositum, inquit, baptiſma esse de necessitate salutis, pauci animadvertunt. *Antonius Sadeel in responsione ad fidei profess. Burdegalens. ad artic.*11. scribit, ingenue se fateri, *non esse eam suam, & sociorum sententiam, si quis dicat, baptiſmum esse ad salutem necessarium, pag.*87. 88. *edit. Genev. Anno* 91. *Et pag.*92. Nihil est, cur Gratia Dei signo exteriori allegari debeat. *Beza & socii in Colloq. Mompelgart. pag.*434. *ad thes. 3. Würtenberg. & Vrsinus in Compend. Theol. pag.* 528. & plerique alii Zvvingliani, negant, salutem pendere a Baptiſmo, & fundamentum salutis a baptiſmo inchoari: imo affirmant, ante baptiſmum, adeoque etiam *ante nativitatem*, infantes Christianorum esse in Dei fœdere:

Niſi quis fuerit regenitus, non salvabitur, Ioh.3.

sci-

scilicet juxta illud Christi, Ioh.3.v.6. Quicquid ex carne natum est, caro est. Et Pauli ad Eph.2.v.3. Eramus natura filii iræ, &c.

Sinite parvulos ad me venire.

II. Per baptismum offerri gratiam Dei; & per eum oblatos Deo recipi in gratiam, ἀποτόμως negat Zvvinglius, & qui ipsum sequuntur. *Ita Zwinglius in Confessione sua ad Carolum V. Anno 30. art.7.* Credo, inquit, imo certo scio, omnia Sacramenta, tam abesse ut gratiam conferant, ut, *ne adferant quidem & dispensent.* Item: Dux & vehiculum Spiritui non est necessarium: Ipse enim est virtus & latio, qua cuncta feruntur, non qui ferri opus habeat. Iterum: Non huc mersione, non hoc haustu, non illa deunctione adfertur Spiritus gratiæ. Rursum: Non datur fides Baptismo. Denique Baptismo Ecclesia publice accipit eum, qui *prius* receptus est per gratiam. *Non ergo gratiam adfert Baptismus*, sed gratiam factam esse ei, cui datur, Ecclesia testatur. *Calvin. Instit. lib.4.cap.15. dist.2.* negat: ablutionem & salutem nostram aqua (baptismo) perfici aut aquam illam purgandi, regenerandi, renovandi virtutem in se continere: & salutis causam in hoc Sacramento percipi. Et subjicit tanquam magnum absurdum: *Qui ergo nos aqua ista mundari dicat?* Denique: Baptismi significatio, inquit, tam ab elemento illo visibili, quod oculis nostris objicitur, abstrahit, quam ab aliis omnibus mediis, ut cum Christo mentes nostras devinciat. *Sectio 17.* Fatemur baptismum pro eo tempore non profeciſſe nobis hilum, quando in eo nobis oblata promissio, sine qua baptismus

Baptismus est lavacrum regenerationis. Tit. 3.

simus nihil est, neglecta jacebat, *Sect.* 20. Infantes nostros *antequam nascantur*, sed adoptare in suos, pronunciat Deus. *Sect. ult.* Effectus fœderis Dei *neque a Baptismo*, neque ab ullis accessionibus *pendet:* Vnde sequitur non ideo baptizari fidelium liberos, ut filii Dei tunc primum fiant, qui ante alieni fuerant ab Ecclesia, sed solenni potius signo ideo recipi in Ecclesiam, qui a promissionis beneficio jam ante ad corpus Christi pertinebant. *Beza cum sociis in Colloq. Mompelg. pag. 433. ad dogma.* 1. & 2. *de baptismo:* Aliquam latentem virtutem aliam aquæ (licet Sacramentali) attribuere, quam Sacramentalis significationis, existimamus, *manifestam esse idololatriam*, qua remittendorum peccatorum & renovandi cordis hominum vis ad aquam, quantumvis Sacramentalem transfertur. *Item in 2. part. Resp. ad Acta Colloq. Momp. pag.* 115. vocat palpabilem errorem, quo causativa, ut loquuntur Scholastici, vis conferendæ gratiæ, *principalis* quidem Deo, *instrumentalis* autem Sacramentis tribuitur. *Et pag.* 116. In regeneratione hominis valide fallitur, & in Deum ipsum injurius est, quisquis aut hominibus, per quorum os Deus loquitur, vel *ipsi externo Dei verbo*, vel *sacramentalibus signis*, Deum existimat, vel tantillum divinæ illius suæ virtutis hominibus renovandis, & æterna vita in Christo servandis attribuere. *Pag.* 118. scribit: Totam illam ordinationem, & instrumentalem causam nihil aliud esse, qvam sacramentalem promissionis, Sacramentis adjunctæ, *significationem*, ex ordinatione divina per signorum

Baptisma nos salvat. 1. Petr. 3.

rum & rerum signatarum analogiam, mentibus ad Sacramenta accedentium repræsentatam, *Idem præfat. part. prioris, pag.* 24. Nunquam simpliciter dixi ego, inquit Beza, Baptismum esse regenerationis in pueris obsignationem, sed adoptionis, ex fœderis formula: Ero Deus tibi & semini tuo. *Neque dixi, pueros vel omnes, vel aliquos, reipsa in illo Baptismi momento regenerari,* sed regenerationis beneficium *suo demum tempore* divinitus ordinato, illum Baptismi actum in infantibus, *ex verbi auditu subsequi. Piscator Respons. ad dicta ta Hoffmanni, p.* 88. *Ne de electis quidem, inquit, verum est, quod Deus pactum suum illis applicaverit in ipsa circumcisione.*

III. Hinc fit, ut Scripturæ dicta de Baptismi virtute & effectu, & *figurata* esse dicant, & *de sua significatione* interpretentur (M. Goclenius vocat propositiones seu prædicationes improprias, sive irregulares Logicas, in dissertatione secunda publica) vel plane negent, esse de Baptismo intelligenda *Zachar. Vrsinus in Comp. pag.* 532. Impropriæ, inquit, seu figuratæ loquendi formæ sunt. 1. *Baptismus est ablutio peccatorum.* 2. *Baptismus abluit peccata.* Propria loquendi forma est, quod sit *signum ablutionis* peccatorum. *Idem habet Beza in 2. p. Respons. ad Colloq. Mompelg. pag.* 115. 120. 121. *Calv. lib. 4. Institut. cap.* 15. *dist.* 14. 15. *M. Goclen. in Problem.* Aliter *in 2. dissertatione publica: & disputatione de Analogia Sacramentali. Anatomiæ Marp. edita Anno* 1606. *c.* 35. *p.* 130.

Ecclesia mundata lavacro aquæ in verbo. Eph. 5.

Dictum

Dictum Christi, *Iohann.3.v.5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, &c. de Baptismo accipi praecise negat Calvinus lib.4.Inst.cap.16.sect.25. quem Iohannes Piscator in suis Bibliis German.& Analys.* super illum locum quadantenus sequitur. Idem hic dictum Apostoli *Eph.5.vers.26. Mundat Ecclesiam lavacro aquae* in verbo, ita interpretatur: hoc est, sanguine suo in cruce effuso, de quo testatur Baptismus & Evangelium. sit dictum *Tit.3.v.5. Deus nos salvat per* lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti: sic exponit: hoc est, *per regenerationem & renovationem* Spiritus sancti, tanquam per lavacrum quoddam, quo scilicet abluimur a sordibus peccati, cujus lavacri sigillum est Baptismus. Nisi quis denuo genitus fuerit.

IV. *Geminum* confingunt *Baptismum externum*, constantem externo elemento & verbo: & *internum*, qui etiam re significata, hoc est sanguine Christi constat: *Beza in Colloq. Mompelg.437. Idem in altera Respons. ad acta Colloq. Mompelg. pag.115.122. duos* vocat *baptizatores, & pag.114. externae* asperfionis (quam proprie dicit Baptismum vocari) ministrum dicit esse hominem: *internam* autem asperfionem sanguinis Christi fieri per Spiritum sanctum: & hanc dici ait metaphorice ραντισμὸν, *1.Petr.1.v.2.* βάπτισμα. *1.Petr.3.v.21.* Sic Calvinus *Inst.l.4. c.15.sect.8.* Apostoli, inquit, sunt *exterioris* duntaxat signi ministri: Christus *interioris* gratiae auctor. *Vide etiam Grynaei disp. de Eucharistia Heidelb. Anno 84. habitam thes.17.* Vnum baptisma.

&

& plerosque omnes Calvini discipulos de Baptismo. *Scilicet juxta illud Apostoli, Eph. 4. v. 5. Vnum Baptisma. Et in symbolo Constantinopolitano: confitemur unum Baptisma, in remissionem peccatorum.*

Non depositio sordium carnis 1. Petr. 3.

V. Vnde amplius ipsis enata est *analogia Sacramentalis*, quam definiunt significationem seu repræsentationem. Vt corpus aqua a sordibus, ita anima sanguine Christi a peccatis abluitur. *Calv. l. 4. instit. cap. 15 sect. 14. Beza in Coll. Momp. p. 486. 455. Et altera Resp. ad Acta Coll. Momp. p. 117. & seqq. M. Goel. disp. de Analogia Sacramentali*, & cæteri ipsorum discipuli universi. *Contra clarissimum dictum Petr. 1. Epist. 3. v. 21.* & ipsam experientiam. Quis enim vidit infantem in baptismo ablui a sordibus corporis? quod a sordibus purgandi officium non pertinet ad Ecclesiæ ministrum, sed ad personas alias.

Sed bonæ conscientiæ interrogatio in Deum.

VI. Docent, non omnibus infantibus baptizatis prodesse Baptismum, sed solis electis, hoc est, absoluto Dei decreto ad vitam æternam prædestinatis, ut ipsi definire solent, *Vrsinus in Comp. pag.* 545. Neque omnes, inquit, qui baptizantur aqua, sive adulti, sive infantes, gratiæ Christi sunt participes. Libera enim est æterna Dei electio *Beza cum sociis in Coll. Momp. p. 435. ad dogma 8. & 10. de baptismo:* infantes Christianorum merito baptizantur, inquit, & adoptionis fructu donari *probabiliter* censentur, relictis Deo arcanis suis judiciis. *Et pag.* 469. Quos Dominus hoc modo non elegit, *etiamsi millies baptizarentur* externo aquæ bapti-

baptismo: illis tamen nunquam fides aut Spiritus sanctus donatur, sed justo Dei judicio relicti, sua culpa pereunt. *Pag.* 472. Dicimus Spiritum S. per baptismum aquæ externum, non in omnibus vim interioris baptismi exercere: sed in electis tantum. De cæteris ita scribit *Beza* 2. *p. Resp. ad Acta Colloq. Mompelg. p.* 119. Increduli signa tantum percipiunt: quæ tamen ipsis ne signa quidem sunt gratiæ, sed exitii illorum sigilla. *Grynæus in disput. de duobus Samaritanis N. Testamenti problem.* 1. *in consectario:* Fidei Sacramenta, inquit, fidelibus Sacramenta sunt. Ea, si quis opinetur & infidelibus Sacramenta esse, sequetur absurdum, videlicet illa & perfidiæ & incredulitatis esse Sacramenta. *Keker. in Syst. Theol.* 446. Qui sine fide utuntur sacris signis, non percipiunt ipsum formale Sacramentorum, sed nudum tantum materiale. Piscator scribit, non esse absurdum, si dicatur, *circumcisionem multis circumcisis non fuisse Sacramentum Resp. ad dicta Hoffmanni, cap.* 7. *pag.* 80. *& pag.* 146. Cum in sumente non est fides: *non sumit ille Sacramentum*, sed Elementum tantum: quia Sacramentum, quatenus *Sacramentum, non nisi fide percipitur.*

VII. *Negant fieri regenerationem hominis in Baptismo, & per ipsum. Beza & Socii in Colloq. Momp. p.* 434. 435. Infantes putamus absurdum esse dicere renovari, &c. *Et in præfat. Respons. prioris ad Acta Colloq. Mompelg. pag.* 24. *& part.* 2. *pag.* 97. 126. 135. *Calvin. Instit. lib.* 4. *cap.* 15. *dist.* 2. 22. Regenerari per aquam & Spiritum, Ioh. 3.

Piscator Resp. ad dictata Hoffm. pag. 83. 88. 90. 91. Zuinglius in confess. ad Carol. V art. 7.

Fides infantum.

VIII. *Negant fide donari infantes, cum baptizantur.* Vbi tamen sententiarum divortia apud eos occurrunt. Nam *Calvin. l. 4. Inst. cap. 16. d. 20.* concedit, baptizari Infantes *in futuram pœnitentiam & fidem*, *& d. 19.* in suspenso relinquere se malle dicit, quid de fide infantum in hac vita sit sentiendum, *Beza vero & socii in Colloq. Momp. p. 432* expresse scribunt, *infantes carere propria fide, præsertim actuali, & in 2. part. Resp. ad Acta Colloq. Momp. p. 99. & seqq.* prolixe disputat Beza, fidem parentum tribui infantibus: quam sic esse fidem alienam dicit, quia in ipsis infantibus non inest, ut tamen pro sua in illis ex Dei pacto censeatur. *Proinde Piscator Resp. ad dict. Hoffm. pag. 84. asserit, infantibus justitiam non eadem ratione, qua adultis, a Deo imputari.*

In peccatis conceptis, natura filii iræ, Caro de carne.

IX. Ante Baptismum fidelium liberos esse sanctos, & hæreditario jure jam *a matris utero* in fœdere contineri, *affirmat Calvin. lib. 4. inst. cap. 15. sect. ult. c. 16. sect. 24. Et Beza, & multi alii, ut supra art. 2. ostensum est.*

X. *De Baptismo collato reprobis*, hoc est, secundum Calviniſtarum hypothesin, absoluto Deo decreto æternæ damnationi destinatis, *Vide Bezam in Colloq. Momp. pag. 469. & in altera parte Resp. ad Acta Coll. Momp. prolixo tractatu de prædestinatione, & passim alibi.*

XI. *Regenerationem* hominis fieri *in anima, non etiam in corpore*, docent quidam Calvini sectatores.

res. *Vnde Anatom. Marp. cap.13.pag.53.th.59.* hæc duo ponit tanquam ἰσοδυναμοῦντα, *fideli animæ* percipere corpus Domini (hoc est, sola fide, ut passim alibi loquitur) & secundum *regeneratum hominem* percipere corpus Domini.

XII. *Anabaptistarum dogma* contra Pœdobaptismum solide refellere Calviniani non possunt, inprimis propter illas, quas communiter cum ipsis tenent, hypotheses. 1. Infantes nasci sanctos a fidelibus parentibus. 2. Non cadere in infantes fidem. *Vide coll. Franckent. art. 12. actione 31. & seqq. 361. & seqq.* Examina syllogismum Anabaptisticum: *Omne Sacramentum sine fide utentis est inanis ceremonia. Pœdobaptismus est Sacramentum sine fide utentis. Ergo Pœdobaptismus est inanis ceremonia.* Vtramque præmissam concedit Calvinianus. Neque in forma sive dispositione vitium potest ostendere. Quomodo igitur resisteret conclusioni?

VII.

Photinianorum de Baptismo sententia.

I. Moscorovius in Cateches. pag. 195. aquæ baptismum definit ritum exteriorem, quo homines vel a Iudaismo, vel e gentilismo ad religionem Christianam accedentes, manifeste profitebantur, se Christum pro suo Domino agnoscere. Proinde ad infantes nullo modo eum pertinere ait, pag. 196. eosque vehementer falli contendit, qui se hoc ritu regenerari putant, pag. 197. quia nimirum dicta Apostolica *Tit. 3. vers. 5. Ephes. 5. vers. 26.* non

loquantur de baptismate aquæ, sed de renovatione Spiritus sancti, *pag.* 198. 199. Verba autem Ananiæ, Paulum compellantis: Surge, baptizare, & ablue peccata tua. *Act. 22. v. 16.* exponit per analogiam Sacramentariam, quod nimirum actu illo duntaxat adumbratio ejus rei, quæ ad salutem prorsus pertinet, fiat. Addit tamen alteram quoque interpretationem, nimirum Ananiam non id egisse, ut Paulus per baptismum aquæ peccata ablueret, verum ut baptizaretur, & peccata abluere invocando nomen Domini: cum tempus jam illud venisset, quo omnis invocans Dominum servandus esset, p. 200. Denique asserit *Iob. 3. v. 5.* in colloquio Christi cum Nicodemo, nullo modo agere de baptismo aquæ, sed de generatione superna: & per vocabulum aquæ intelligi ipsum Spiritum, vel aquam spiritualem: quia particula. *Et* idem significare possit, quod, *id est:* & Christus in progressu colloquii nullam amplius aquæ, sed tantum Spiritus mentionem faciat, p. 200. 201.

Ostorodus in Germanica institutione cap. 39. p. 346. præmissa gravi querela de certamina circa baptismum negat Christum eum instituisse, p. 347. vel mandasse, p. 348. Nam *Matth.* 28. *v.* 19. non fieri mentionem aquæ scribit: unde infert, verbum, *Baptizate:* de quadam re alia intelligi posse: nempe de baptismo doctrinæ, sicut *Actor. 18. v. 25.* Idque etiam hinc probat, quia ipsi Apostoli non sint baptizati in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sed in nomine Christi, pag. 352. Item, quod Paulus *1. Cor. 1. v. 17.* scribat, se non esse mis-

missum ad baptizandum, sed ad prædicandum Evangelium: Quæ oppositio locum habere non posset, si Apostolis utrumque officium & docendi, & baptizandi simul commissum foret. Paulum igitur nullum de baptizando mandatum a Christo accepisse, concludit, p. 353. Quod vero Apostoli baptizarint, profectum esse ex singulari instinctu & bona intentione: sicut etiam Paulus circumcidit Timotheum, & Apostoli mandarunt abstinere a sanguine suffocato & idolothytis, *pag.* 354. Exemplum igitur Apostolorum nihil probare infert, quia potuerint sine Christi mandato baptizare, p. 355. Ac proinde verbum Christi, *Matth. 28. baptizate:* interpretatur de doctrina, hoc sensu: Facite discipulos, μαθητεύσατε, baptizantes eos, hoc est, informantes eos in doctrina de patre, & filio, & Spiritu sancto, p. 355. 356. Locum *Marc. 16. v. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit:* exponit de baptismo pœnitentiæ: hoc sensu: Qui sic Evangelio crediderit, ut vitam suam juxta doctrinam Christi emendet, salvus erit, pag. 357. eodemque modo exponit dicta, *Eph. 5. v. 26. Tit. 3. v. 5.* de vera pœnitentia, quam dicit esse regenerationem: addito hoc argumento, quod baptismus aquæ tantam virtutem non habet, ut per eum homo justificetur & salvetur, id quod ex Evangelicis nonnulli (*Zvvinghanos intelligit*) fateantur, pag. 358. Christi baptizati exemplum nos non obligare ad imitationem scribit, pag. 359. neque Iohannis Baptistæ: cujus baptismus desierit cum ipso: siquidem successorem

non habuerit, & non fuerit idem cum baptismo, de quo jam disputetur, p. 359. Adhæc, Iohannes baptismum fuisse ait baptismum pœnitentiæ, qua justi opus non habeant, p. 360. Tandem affirmat, si maxime concedatur, Christum baptismum instituisse, tamen non consequi necessario, eos baptizandos, qui in Ecclesia nati sunt: siquidem Apostoli non nisi Iudæos aut gentes baptizarint, pag. 361. Postea concludit, quemlibet, qui cupiat, esse baptizandum, hoc est, immergendum in aquam: quem ritum a Iohanne, & Apostolis usurpatum ultra trecentos annos in Ecclesia durasse annotat: Ab aliis vel alibi baptizatum non esse cogendum, ut apud ipsos (Photinianos) baptizetur: contra Turcas, Iudæos vel gentiles, si convertantur, omnino baptizari oportere in nomen Iesu Christi, & sic ipso consecrari, pag. 362. Imo etiam fratrum (Photinianorum) liberos, ubi adoleverint, baptizandos ait, si in infantia baptizari non fuerint: quia communis sit Christianorum opinio, neminem sine baptismo pro membro Ecclesiæ agnoscendum esse: cui opinioni tam diu locus sit concedendus, donec veritas perfectius in Ecclesia reveletur. Decet enim, inquit, firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, *Rom. 15. v. 1. p. 363.*

Nota I. Ostorodum concedere baptismum puerorum sive infantum, quem rejicit simpliciter Moscorovius.

II. Eundem fateri, ab Apostolis, & in primitiva Ecclesia ultra trecentos annos usurpatum fuisse baptismum; itemque communem esse omnium Chri-

Christianorum sententiam, pro membris Ecclesiæ non haberi, qui non sint baptizati: Quæ si vera sunt, ut sunt, qua fronte negat, baptismum fuisse a Christo mandatum?

III. Iohannes Baptista baptizavit jussu Dei, *Ioh. 1. v. 23. 26. 33.* unde ipsius baptismus dicitur fuisse de cœlo, *Matt. 21. v. 25.* & consilium Dei dicuntur spreviſſe Pharisæi, nolentes baptizari a Iohanne, *Luc. 7. v. 30.* Baptizavit etiam Iesus, *Ioh. 3. v. 22.* nempe per discipulos suos, *Ioh. 4. v. 2.* eodem tempore, quo Iohannes baptizavit, *Ioh. 3. v. 23.* & reliquit post se Iohannes discipulos, qui ad Christum sese contulerunt, & baptizare, ut & cæteri Apostoli, perrexerunt. Vnde patet, non fuisse diversa baptismata Iohannis & Christi, sed unum & idem. Idque firmissime probatur ex doctrinæ identitate, in qua summa est Iohannis & Christi conformitas. Omne enim Sacramentum convenit cum doctrina, quam obsignat: Ex quo discrimen nascitur inter Sacramenta Vet. & Nov. Testamenti. In illis enim Christus promissus & exhibendus præfigurabatur typis, in his jam exhibitus offertur. Deinde non potest alio sensu dici Christus baptizasse per suos discipulos, quam quod isti ipsius mandato baptizarint; sicut etiam ab ipso emissi sunt ad prædicandum Evangelium, tum in Iudæa, *Matt 10.* tum in toto mundo, *Matth. 28. Marc. 16.* Vbi formamus talem syllogismum: In mandato Christi, *Matt. 28. v. 19. & Marc. 16. v. 16.* verbum: *Baptizate*, item *baptizatus*: ita intelligi oportet,

quemadmodum Apostoli, mandatum hoc secuti, in ipsa praxi expresserunt: ut patet. Atqui Apostoli in praxi tum docuerunt, tum baptizarunt aqua in nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti; ut ostendunt exempla in Actis & Epistolis Apostolicis, adeoque etiam in tota primitiva Ecclesia, quod fatetur Ostorodus. Quare certum est, verbum: *Baptizate*, & *baptizatus*: eo in loco notare baptismi administrationem. Vbi diligenter notandum est fundamentum D. Petri. *Actor. 2. v. 38. 39. Resipiscite*, inquit ad auditores suos, *& baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi* (prout ipse Christus instituit & mandavit) *in remissionem peccatorum: & accipietis gratiam Spiritus sancti.* Cujus exhortationis hanc subjicit rationem versu sequente 39. *Vobis enim* (facta) *est promissio*, inquit, *& liberis vestris, & omnibus, qui longe sunt, quoscunque advocaverit Dominus Deus noster* Observa 1. Pœnitentia & baptismus conjunguntur, sed ita, ut etiam distinguantur. Quare non potest per baptismum notari ipsa pœnitentia. 2. Intelligitur hic baptismus aquæ: ut planum est ex v. 41. in quo dicuntur ter mille baptizati. 3. Pari modo de Judæis & gentibus concludit Petrus: Quoscunque Deus advocaverit per Evangelium ad promissionem divinam, illi debent resipiscere & baptizari. Quare hic unicus locus satis esse potest ad refutandas ineptias Photinianas. Addi deinde debent ea, quæ ad ipsam baptismi substantiam, & finem, & effecta pertinent: & quod fun-

fundetur in morte & resurrectione Christi *Rom. 6. v. 3. 1. Pet. 3. v. 21.* quodque in baptismo Christum induamus. *Gal. 3. v. 27.* Quæ omnia sunt eiusmodi, ut de ceremonia, humanitus instituta, dici non possint. Et falso baptizat in Christi nomine, qui baptizandi ab ipso mandatum nullum habet.

IIII. Invertunt Photiniani ordinem, qui crediderit, & baptizatus (hoc est, ut ipsi interpretantur, doctus) fuerit, salvabitur. Nam Fides est posterior doctrina: quia est illa ex auditu, *Rom. 10. vers. 17.*

V. D. Paulus negans se missum esse ad baptizandum, loquitur comparate: quia principaliter debuit Evangelium prædicare: Sicut *Act. 6. v. 2.* Apostoli dicunt, non videri æquum, ut ipsi, omissa verbi prædicatione, ministrent mensis. Baptizavit enim aliquos *1. Cor. 1. v. 14. 16.* Et non negabunt Photiniani (nisi velint suis hypothesibus contradicere) quando Paulus Judæos sive gentiles convertit ad Christum, fuisse eos baptizandos, sive per ipsum Paulum, sive per alium ministrum, perinde est. Petrus etiam & Apostoli multos baptizarunt, uti constat, idque in nomine, hoc est, mandato Christi, ut supra exposuimus.

VI. *Dicta Ioh. 3. v. 5. Eph. 5. v. 26. Tit. 3. v. 5. Act. 22. v. 16.* de Sacramento baptismi loqui, tam est clarum, ut negari sine extrema impudentia non possit. Nam D. Paulus *Eph. 4. v. 5.* asserit, unum esse baptisma, ut unus est Deus, & una fides. Et hujus baptismi aqua testatur de Christo. *1. Ioh.*

5. v. 8. Hic baptismus successit in locum circumcisionis, Col. 2. v. 11. 12. De hoc igitur baptismate intelligi oportet, quæ in dictis illis habentur, ut & verba ipsa, & scopus, & circumstantiæ ostendunt. Non patimur, nos a proprietate verborum depelli ad somnia troporum.

VII. D. Paulus in descriptione Episcopi non facit mentionem baptismi, (ut neque cœnæ dominicæ, neque clavium, &c.) Vnde concludunt Photiniani, baptismum non pertinere ad ministerium Evangelicum. Sed fallax est conclusio. Nam D. Apostolus ibi voluit describere qualitatem personæ, aptæ ad officium Episcopale: non voluit enumerare omnes illius officii partes.

VIII. *De virtute baptismi & efficacia* in conspectu sint divina testimonia, *Iohan. 3. vers. 5.* regignimur ex aqua & Spiritu, *1. Pet. 3. v. 21.* Baptisma nos salvat, *Tit. 3. v. 5.* Deus nos salvat per lavacrum regenerationis, & renovationis, *Eph. 5. v. 26.* Christus mundat Ecclesiam lavacro aquæ in verbo, *Actor. 22. vers. 16.* Paulus jubetur baptizari, & abluere peccata sua. *Act. 2. v. 38.* Baptismus datur in remissionem peccatorum, *Rom. 6. vers. 3.* & per baptismum inserimur Christo, & reddimur participes ipsius beneficiorum, *Gal. 3. v. 26. 27.* per baptismum induimus Christum: Aliaque similia: quæ Photiniani, Calvinianos secuti, depravant quidem magno studio, sed solem veritatis obscurare non possunt.

ARTI-

ARTICVLVS X.

DE SACRA DOMINI COENA.

VIdimus hactenus prius N. Testamenti Sacramentum, nempe Baptismum, qui est prima janua & ingressus in Ecclesiam Christianam: sequitur nunc Sacramentum posterius, nempe sacrosancta Domini nostri Iesu Christi cœna. De qua sic loquitur Augustana Confessio:

De Cœna Domini docent (*Ecclesiæ nostræ* magno *consensu: quod ex articulo primo necessario repetendum est, tanquam* ἀπὸ κοινοῦ,) quod corpus & sanguis Christi vere adsint, & distribuantur vescentibus in cœna Domini. Et improbant secus docentes.

I.

Desumptus est hic articulus ex capite 10. inter septendecim D. Lutheri. Tom. V. Ienensi German. fol. 15. b. cujus verba ita habent: Die *Eucharistia* oder deß Altars Sacrament stehet auch in zwey Stücken/ nemblich daß da sey warhafftig gegenwertig im Brot und im Wein/ der wahre Leib und das Blut Christi/ laut der Wort/ Das ist mein Leib/ das ist mein Blut: und seye nicht allein Brot und Wein/ wie jetzundt das Widertheil fürgibt. Diese Wort fordern und

und bringen auch den Glauben/ üben auch denselbigen bey allen denen/ so solches Sacrament begehren/ und nicht darwider handeln. Gleich wie die Tauff auch den Glauben bringt und giebt/ so man ihr begehret.

II.

Cæsaris & Principum de hoc articulo judicium.

Decimus articulus, inquiunt, in verbis nihil offendit, quando fatentur, in Eucharistia post consecrationem legitime factam, corpus & sanguinem Christi substantialiter & vere adesse: si modo credat, sub qualibet specie integrum Christum adesse, &c.

Vbi nota, non absolute poni consensum in toto dogmate, sed tantum in hac parte, de vera, reali, & substantiali præsentia corporis & sanguinis Christi. *Idque etiam notat Apologia Aæ Cu, cujus sunt hæc verba:* Decimus articulus approbatus est: in quo confitemur, nos sentire, quod in cœna Domini vere & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi, & vere exhibeantur cum illis rebus, quæ videntur, pane & vino, his qui Sacramentum accipiunt. Hanc sententiam constanter defendimus, re diligenter inquisita & agitata. Cum enim Paulus dicat, panem esse participationem corporis Domini, &c. sequeretur, panem non esse participationem corporis, sed tantum Spiritus Christi, si non adesset vere corpus Domini,

mini, &c. *Tandem concluditur his verbis:* Vt clarius perspiciant, quicunque ista legent, nos defendere receptam in tota Ecclesia sententiam, quod in cœna Domini vere & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi, & vere exhibeantur cum his rebus, quæ videntur, pane & vino. Et loquimur de præsentia vivi Christi. Scimus enim, quod mors ei ultra non dominabitur. *Hactenus Apologia.*

Porro, quod attinet judicium cæterorum Papistarum, in eo magna apparet discrepantia & contrarietas. Nam Andreas Fabricius Leodius *judicat* (*nobis non refragantibus,*) *Philippum Melanchthonem retrahendum esse ad Confessionem Germanicam, quam ipse sic Latine reddit: De cœna Domini sic docetur, quod verum corpus & sanguis Christi veraciter sub specie panis & vini in cœna præsens sit, & ibi distribuatur ac sumatur. Idcirco & rejicitur doctrina contraria. Et verba illa:* sub specie: *sic interpretatur: Corpus & sanguinem Christi non sub ea forma hic exhiberi, qua in cruce, ubi lineamenta veri hominis Dei Filius visenda proponebat, sed sub specie panis & vini, ne, ut scriptores Ecclesiastici tradunt, cruenta hostia horrorem, sumere volentibus, incuteret. Postea valde exagitat Philippum, quod eraserit ex hoc articulo ultimam clausulam, de improbatione Zvvinglianorum seu Sacramentariorum, quos ipse dicit in variis Comitiis a principibus condemnatos esse.* NB.

Iohannes a Daventria *suum judicium his verbis com-*

complexus est; In hoc articulo, inquit, nihil est, quod offendere possit. Nam quadrat Evangelio & doctrinæ Catholicæ. Condemnat etiamnum Oecolampadianos, Zvvinglianos, & totam Anabaptistarum impudicam colluviem.

Iohannes Cochlæus *suam sententiam ita proponit: Etsi brevis est, inquit, iste articulus, multa tamen in eo desideramus. Comperimus enim fœdam ibi exemplarium varietatem, aut fraudulentam data opera (ut suspicari licet) verborum mutationem in Confessione. Postea in eo etiam accusat Philippum, quod dicat in Apologia, panem mutari, & tamen negat transsubstantiationem. Et de ipso etiam Luthero testatur, quod negarit transsubstantiationem & concomitantiam.* Quod illi NB. observare debeant, qui scribere non erubescunt, Lutherum faviſſe transſubſtantiationi, & ob eam cauſam articulum hunc indiguiſſe mutatione: Quæ putida figmenta indigna ſunt ingenuis hominibus, nedum Chriſtianis, & inprimis Theologis.

Iohannes Hoffmeiſterus *tale proponit judicium: In hoc articulo, inquit, confitentur adversarii (confessores) nobiscum, quod in cœna vere & substantialiter adsint corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi: & vere exhibeantur cum illis rebus, qua videntur, pane & vino: Et ejus fidei adducunt testes Ecclesiam Gracam, patres item tam orientis, quam occidentis. Hac porro in re, nisi forte nobis verborum similitudine imponere velint, non Ecclesiam Catholicam, sed Sacramentarios*

&

& Anabaptistas habent hostes, &c. Et subdit: Quod vero dico: ipsos, non habere Ecclesiam adversantem, non respicio ad priora illorum scripta (nota bene) *id quod non semel testati sumus, sed ad hunc Confessionis libellum, ubi dicunt, corpus & sanguinem Domini vere exhiberi cum illis rebus, quæ videntur, pane & vino. Quæ quidem verba ex Apologia eo trahi posse putat, ut favere debeant videri transsubstantiationi: quam ait confirmari a Cyrillo, Chrysostomo, Theophylacto, Ambrosio, & Damasceno. Et mentionem facit libri Philippi, in quo collegit sententias patrum super Eucharistiam contra Oecolampadium: ad quas sententias pium lectorem remittit.*

Hactenus de diversis Papistarum judiciis, quæ extant in Harmonia Augustanæ Confessionis, Coloniæ excusa Anno 1587. cum privilegio Cæsareæ Majestatis. Quorum summa huc redit, ut fateantur, Zvvinglianam de sacra cœna opinionem consistere cum Augustana Confessione non posse, sed ab ea diserte rejici. Quam sententiam etiam vide in consultatione Georgii Cassandri Coloniæ edita Anno 1594. pag. 67. 68.

III.

EXPLICATIO.

I. Nunc addenda quædã nobis videntur, quæ plurimum faciunt, ad verum, germanum & nativum sensum articuli hujo decimi solide intelligendũ & confirmandum. Ac primo quidem Concordia Wittenb. A. 1536. instituta, his verbis doctrinã hanc repetit & explicat. *Fatemur in cœna res esse duas, alteram terrenam, alteram cœlestem. Et sentimo, ũ*

pane

pane & vino vere & substantialiter adesse, dari, & accipi corpus & sanguinem Christi. Item: *Dicimus unione Sacramentali panem esse corpus Christi,* Rursum: *Dicimus etiam institutionem hujus Sacramenti, per Christum factam, valere & efficacem esse in Ecclesia, sive dans seu accipiens dignus sit, sive indignus:* Præterea: *affirmamus ergo verum Christi corpus & sanguinem indignis vere exhiberi, & ab indignis accipi: ubi retinetur verbum, institutio & mandatum Christi.* Item: *Indigni tamen accipiunt ad judicium, quia violant Sacramentum, dum sine vera pœnitentia, & sine fide accipiunt.*

II. Deinde Smalcaldici articuli An. 1537. a D. Luthero scripti, & a præstantissimis Theologis subscripti, ita habent articulo 6: *De Sacramento altaris sentimus, panem & vinum in cœna esse verum corpus & sanguinem Christi, & non tantum dari & sumi a piis sive bonis, sed etiam ab impiis sive malis Christianis.* Vbi postea disertis verbis rejicitur Transsubstantiatio: sicut etiam in Concordia Wittenbergensi factum fuerat. Eadem per omnia sententia continetur in Catechesi D. Lutheri. Vnde jam abunde constare potest, quænam sit vera & genuina decimi hujus articuli de sacra cœna sententia, ut opus non sit argumentis longe petitis fusius eam demonstrare.

De appellationibus sacræ Cœnæ.

Cœna Domini. I. D. Apostolus vocat *cœnam dominicam, 1. Corinth. 11. v. 20.* ab adjuncto tempore primæ insti-

ſtitutionis, *Matth. 26. v. 20. 1. Corinth. 11. v. 23.* & a cauſa efficiente, nempe inſtitutore ſive authore Ieſu Chriſto, θεανθρώπῳ: cujus verum corpus & ſanguis una cum pane & vino in hac cœna cibus & potus eſt, *1. Corinth. 10. verſ. 11.* & paſſionis illius & mortis memoria celebratur, *Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 24. 25. 26. Et menſam Domini, 1. Cor. 10. v. 21.* per metonymiam, pro cibo & potu in ſacra illa menſa propoſito. Menſa Domini.

II. Ab Irenæo & aliis veteribus appellatur εὐχαριστία, a verbo εὐχαριστήσας, *Matth. 26. v. 27. Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 24.* a cauſa finali, nempe gratiarum actione pro beneficio redemptionis. Euchariſtia.

III. Dicitur etiam σύναξις, hoc eſt, congregatio, quia convenientibus in unum Chriſtianis, *1. Cor. 11. v. 20.* celebratur, & eſt nervus publicorum congreſſuum, & ſymbolum mutuæ Chriſtianorum conjunctionis. Synaxis.

IIII. Ex *1. Cor. 10. v. 16. & Act. 2. v. 24.* deducitur appellatio *communionis*, communicationis, & communicantium: quia qui hoc Sacramento utuntur, participes redduntur corporis & ſanguinis Chriſti: atque ſic veniunt in ſocietatem Chriſti, & mutuam inter ſeſe conjunctionem. Commu-nio.

V. In primitiva Eccleſia vocabant ἀγάπην q.d. ſacrum convivium, teſtificandæ & confirmandæ mutuæ charitatis gratia inſtitutum. Solebant enim Chriſtiani offerre munera: ex quibus panis & vinum, quantum ſatis erat, ſeparabantur ad ſacræ cœnæ uſum, & poſtea de reliquis inſtituebatur convivium. Cujus rei non Agapæ.

obscura extant vestigia, *1. Cor. 10. vers. 22. & c. 11. v. 20. 21. 22.* Et in Epistola Iudæ vers. 21. expresse fit mentio τῶν ἀγαπῶν. Vide Tertulliani Apologeticum cap. 39.

Liturgia. VI. Appellata etiam fuit λειτυργία: ministerium sacrum, per synecdochen generis pro specie.

Sacramentum altaris. VII. Legitur etiam apud nonnullos usurpata appellatio *Sacramenti altaris*, quam D. Lutherus in Smalcaldicis articulis, & Catechesi retinuit. Intelligitur autem nomine altaris mensa, in qua conferebantur munera Christianorum, de quibus modo diximus.

Sacrificium. VIII. Præterea apud antiquissimos scriptores reperitur appellatio *sacrificii*, *hostiæ*, *oblationis*, *holocaustii*, pro sacra Domini cœna. Cujus nominis duplex ratio redditur. Prior a muneribus, quæ pii Christiani ad suam erga Deum gratitudinem, & dilectionem erga reliquos Christianos testandam, offerebant. Posterior a fine sacræ cœnæ, nimirum piis ad Deum precibus, & commemoratione & prædicatione unici illius veri sacrificii propitiatorii in ara crucis semel pro nobis oblati. Vide Iustinum Martyrem in 2. Apologia pro Christianis.

Missa. VIIII. Augustana confessio appellat *missam*: non ut approbet superstitionem Romanensem, a qua alienissima est, sed ex Christiana libertate utitur nomine tum temporis longe usitatissimo, ad designandum hoc Sacramentum. Quod enim Græci dicebant συνάγειν, συνάξειν ποιεῖν, καὶ ἐκκλησιάζειν, id Latini interpretes reddiderunt missas

missas facere, missas celebrare, collectas agere, solennia facere. *Missas* igitur *facere* apud veteres significat offerre ἀγάπας sive munera in publicum, celebrare sacram Domini Cœnam. Vide Tertullianum lib. de fuga in persecutione, non procul a fine.

X. Synecdochica appellatio sacræ cœnæ extat apud D. Iohannem *1. Epist. 5. v. 8.* ubi vocatur *sanguis*. Tres sunt, inquit, qui testantur in terra, Spiritus, & aqua, & sanguis. Et hi tres unum sunt. Vbi notatur ministerium Evangelii, & Baptismus, & sacra cœna Confer *Ioh. 19. v. 34.* Sanguis.

XI. Sunt inter Theologos non pauci, qui cœnam Domini vocari putant *fractionem panis*, itidem per synecdochen, *Actor. 2. v. 42. 46. c. 20. v. 7.* quos ut non reprehendo, tanquam populariter & extra certamen de hoc negotio locutos: ita constanter affirmo, non posse evidenter & apodictice demonstrari, ista phrasi in iis locis *oportere* notari cœnam dominicam. Nam fatentur ipsi, qui ita sentiunt, hac phrasi alibi describi communem convictum, *Luc. 24. v. 35. Act. 27. v. 35.* & eleemosinæ distributionem, *Esa. 58. v. 7. Vide Bucanum loco. 48. p. 660.* Quare sola illa phrasis non evincit, describi cœnam Dominicam. Neque unquam fuit illa appellatio in Ecclesia communi usu recepta, ut cœna Domini diceretur fractio panis: quia nimirum ritus ille frangendi panis erat apud Iudæos usitatissimus & quotidianus, qui latis & minus crassis panibus utebantur, ut non opus esset scissione, sed facile frangi & manibus sive digitis

in particulas comminui, & distribui possent. Neque vero contextus D. Lucæ cogit, eam phrasin accipere de cœna Dominica, ut cordati lectores facile deprehendent, si omnia diligenter perpenderint: & inprimis, quod eodem loco mentio fiat τῆς κοινωνίας communionis; qua voce notari cœnam Dominicam, planum est ex *1. Cor. 10. v. 16.* Vnde concludo, per fractionem panis communem convictum ibi notari.

Definitio sacræ Cœnæ.

Quid S. Cœna.

IIII. Cœna Domini est 1. actio sacra., 2. a Iesu Christo θεαντρώπῳ paulo ante mortem solenniter instituta: in qua ipse 3. per suum ministrum 4. cum vero pane 5. benedicto, 6. fracto & distributo 7. nobis Christianis 8. sumentibus 9. exhibet 10. corpus suum (pro nobis in mortem traditum) 11. manducandum: 12. & cum vino 13. benedicto 14. & distributo 15. sanguinem suum (pro nobis effusum) 16. bibendum 17. ad sui recordationem. Vis breviorem? *Cœna Domini est corporis Christi cum pane benedicto & distributo manducatio, & sanguinis ejusdem cum vino bibitio, ad ipsius pro nobis mortui recordationem.*

Explicatio Definitionis.

V. Prolixior videri potest definitio, sed eo nobis accommodatior, quia complectitur omnes causas, & tum δόσιν ministri, tum λῆψιν communicantis describit.

Cœna est actio.

Genus est: *Actio.* Describitur enim tota institutio verbis, actionem notantibus. *Vnde infero: sine*

ne actione, in institutione expressa, cœnam dominicam esse non posse. Ex quo uno fundamento magna pars doctrinæ Pontificiæ de sacrificio missæ, & repositione, atque circumgestatione consecrati panis evertitur.

In actione illa Sacramentali suas habet partes minister, Sacramentū dispensans, suas item communicans, hoc est, Sacramentum accipiens: ut ex sequentibus manifestius evadet.

VI. *Author Cœnæ* Christus est θεάνθρωπος, Novi Testamenti sponsor, & summus noster sacerdos, divina cœlestis Patris voce nobis commendatus, *Matth. 17. vers. 5.* præses & dispensator divini hujus convivii. *Cujus voluntas ex verbis institutionis discenda est, neque nullo modo dubitandum, potenter efficere eum posse, quicquid veraciter & sapienter ordinarit.* Author Cœnæ Christus.

VII. Paulo ante mortem hoc Sacramentum instituit, ut cogitemus, omnia esse seria, gravia, & ardua, quæ hic proponuntur. Et ne redeundi esset occasio ad figuras Veteris Testamenti, ultimum Pascha celebravit, quo clausit vetus Testamentum, antequam cœnam hanc suam institueret. Quod factum est non in templo, quod inserviebat cultui Levitico: neque in synagoga Judaica, cujus imminebat finis: sed in diversorio: ubi nihil auditur de consecrato altari, de pompa missatica, aliisque similibus Romanensium ceremoniis: sed omnia summa peraguntur simplicitate. Institutæ Cœnæ paulo ante Passionem.

VIII. Et quidem *tempore vespertino.* Quæ temporis Tempore vespertino.

poris circumstantia (sicut & loci) ab ipsa cœnæ substantia discernenda est, in qua Christiana libertas regnat; cujus hæc regula est, ut omnia fiant bono ordine, & ad ædificationem. *Solenniter* Christus hoc Sacramentum instituit, ut meminerimus, nobis etiam magna reverentia & devotione illam celebrandam esse.

Cœnæ minister.

VIIII. Causæ principali Christi adjungitur causa ministerialis sive instrumentalis, nempe *minister Ecclesiæ. Vbi nota, utramque illam causam propter divinam ordinationem, conjungi & arcte cohærere, ac proinde peccare graviter, qui divellunt & separant.*

Exhibet totum Sacramentum.

Vnde consequitur, verbum *exhibendi* & ad Christum ipsum, & ad ministrum referri: nimirum quia ministri ore & manu Christus utitur & per ministrum ipse cibum hunc & potum distribuit. Et complectitur verbum illud: *Exhibendi:* tam λῆψιν sumptionem communicantium, quam δόσιν præbitionem ministri. Quod contra Bezæ & aliorum præstigias diligenter notandum est.

In cœna res gemina.

X. *Materia, in qua* actio Sacramenti hujus occupatur, gemina est, una terrena, panis & vinum, altera cœlestis, corpus & sanguis Christi.

Panis.

Panis intelligitur verus, qui ex farina frumentacea, & aqua subactis, virtute ignis pinsitur, ut sit cibus

Vinum.

homini idoneus. *Vinum* item verum, quod ex uvis expressum fuit, & est genimen sive fructus vi-

Corpus Christi.

tis, *Matth. 26. vers. 29. Luc. 22. v. 18.* Sic *corpus Christi* hic exhibetur, illud ipsum, quod est in cru-

cc

ce pro nobis passum: & *sanguis*, qui est effusus pro nobis in remissionem peccatorum. Vbi summo studio notanda Christi oppositio. Appellat 1. *Sanguinem*, nempe verum, non typicum, non imaginarium. 2. Sanguinem *suum*, ipsius Filii Dei proprium, non sanguinem brutorum animalium. 3 Sanguinem *Novi Testamenti* nempe antitypum, non veteris Testamenti, in quo sanguis sacrificiorum erat typus & figura, Messiæ sanguinem repræsentans: de quo toto argumento erudite tractat Epistola ad Hebræos. Sanguis.

XI. Graves causæ sunt, cur passionis suæ sive mortis expressam mentionem facere Christus voluerit. Sic enim deducimur ad considerationem immensæ dilectionis Christi erga nos & beneficiorum, quæ morte sua nobis acquisivit. Vnde dependet finis & fructus sacri hujus convivii. Ostendit igitur Christus verbis illis complementum sacrificiorum V. Testamenti, & inprimis etiam agni paschalis, in sua passione & morte. Et quia in V. T. ex sacrificiis convivia instituebantur: quod diligenter notavit D. Paulus *1. Cor. 10. vers. 18.* itemque agnus paschalis, antequam comederetur, mactabatur & præparabatur certo ritu, *Exod. 12. v. 6. & seqq.* idcirco affirmat Christus, se tanquam victimam in ara crucis offerendam Deo, ut ipsius corpore non vescamur. Eodemq; modo de sanguine dicitur, quod effusus sit in remissionem peccatorum. Vbi notanda comparatio propositionis Christi, & Mosis, *Exod. 24. v. 8.* quæ repetitur, *Hebr. 9. v. 20. Hic est sanguis fœderis*, τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης. Cur fiat mentio passionis in cœna.

Sacramentale officium panis & vini.

XII. Ex dictis patet, *officium Sacramentale panis & vini* in sacra cœna esse non ut inserviat fami & siti sedandæ, & reficiendæ & confirmandæ vitæ corporali, (qui finis est communis epuli: neque in prima cœna locum habebat, quia jam cœnati erant Apostoli; ac proinde D. Paulus: Si quis esurit, inquit, domi manducet, *1. Cor.* 11. *v. ult.*) sed ut per verbum Christi a communi usu panis hic, & hoc vinum, separatus & sanctificatus, atque destinatus ad usum sublimiorem & sacrum, inserviat distributioni & perceptioni corporis & sanguinis Christi: juxta verba institutionis, *Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 10. & 11. c. Hoc est, ut brevissime dicam, panis & vinum in cœna per verbum Christi sanctificantur & benedicuntur, ut sint media, organa & instrumenta, distribuendi & percipiendi corporis & sanguinis Christi.* Vbi si accurate distinguas inter facultatem naturalem panis & vini, & ab illa distinctum eorundem officium Sacramentale: plane expirat tota doctrina Sacramentariorum de analogia, & σχέσει significativa & adumbrativa.

Vnio Sacramentalis.

XIII. Vbi repeto, quod supra dictum est: unionem Sacramentalem panis & corporis, vini & sanguinis Christi, considerari in ipsa actione hujus Sacramenti propria: extra quam unioni illi loco non est. Et ex hac unione judicium faciendum est de propositionibus Sacramentalibus, itemque de manducatione & bibitione Sacramentali. Quia enim benedicto pani & vino Sacramentaliter unitum est corpus & sanguis Christi: consequitur, man-

manducato pane, edi corpus Domini, & hausto vino, bibi sanguinem Domini. Vnde D. Paulus fractionem seu distributionem panis appellat κοινωνίαν, communicationem seu participationem corporis, & distributionem benedicti poculi κοινωνίαν sanguinis Christi, *1. Cor. 10. v. 16.*

Cumque corpus & sanguis Christi in cœna non immediate, sed mediantibus illis symbolis, percipiantur, pia vetustas hoc loquendi genere usa est, ut dixerit, *carnem Christi, forma panis opertam, accipi, latere, & sumi sub mysterio, sub specie panis, mystice manducari, panem esse typum, figuram, signum, speciem* (non vacuam substantia, sed solidam) *imaginem, monumentum corporis Christi* (non in supremo aliquo cœli loco, longissime a nobis absentis, sed juxta Christi institutionem vere præsentis) *aliud exterius ostentari, aliud interius præsentari.* Sic in cantico D. Lutheri: Gab er uns seinen Leib zu essen/ verborgen (mystice, Sacramentaliter, in mysterio, arcano modo, neque intellectui humano neque sensui obvio) im Brot so klein: quæ est descriptio mysticæ & arcanæ unionis panis & corporis Christi, non deliteſcentiæ localis, sive inclusionis corpusculi sub pane, ut multi calumniantur.

Panis typus & figura corporis.

Verborgen im Brodt.

XLIII. Propono hic talem syllogismum. Quicquid proprie loquendo manducatur & bibitur, illud est substantia, non accidens. Corpus & sanguis Christi, secundum verba institutionis, proprie, hoc est, in Grammatica significatione propria (absit enim ut de modo Physico sive naturali,

hoc est, Capernaitico quisquam piorum accipiat) loquendo, editur & bibitur. Quare corpus & sanguis Christi ibi notant veram substantiam, non accidens. Expirat igitur & transsubstantiatio Romanensis, & tropus Sacramentarius.

Forma cœnæ.

XV. *Forma* cœnæ est solennis illa certa, & Dei verbo determinata actio, circa materiam Sacramenti hujus propriam. Quæ actio consistit in δόσει & λήψει, datione & sumptione: quarum illa dispensatoris propria est, hæc communicantis sive Sacramentum sumentis.

Actio dispensatoris.

Actio dispensatoris, spectatur 1. in separatione huius panis & vini, a quovis alio communi pane & vino, qua destinatur ad usum Sacramentalem. 2. In benedictione sive consecratione. 3. In distributione; quam D. Paulus Hebræo more appellat fractionem panis, in priore parte cœnæ: ubi Evangelistæ distincte meminerunt & fractionis, & distributionis: nimirum ut ostendant; eo fine Christum panem fregisse, ut posset distribuere inter multos.

Actio communicantis.

In λήψει sive sumptione actus est geminus in utraque parte. 1. Acceptio panis, qui est κοινωνία corporis Christi, & vini, quod est κοινωνία sanguinis Christi. 2. Manducatio illius, & bibitio huius. Vbi nota verbum λαμβάνειν, accipere, generatim usurpari tum de ore, tum de manu. Quare qui e manu ministrorum in os accipiunt sacram cœnam, vere accipiunt. Vide *Marc. 15. vers. 23. Iohann. 19. vers. 29. 30. Et recte hic concluaimus: id quod Christus per suum ministrum in cœna distribuit, illud ipsum (non plus, non minus)*

in

in Sacramentali hac actione communicans accipit, manducat & bibit. Vnde intelligi datur, verba illa Christi: *Hoc est corpus meum: Hoc est sanguis meus:* non nisi per enormem divisionem segregari a verbo mandati; *Accipite, edite, bibite.* Quære enim tu, quidnam Christus per suum ministrum in cœna jubeat edere & bibere? Quid aliud respondebo, quam quod ipsa veritas dicit? *Hoc est corpus Christi: Hoc est sanguis Christi.* Verissime igitur dicimus, non tantum panem & vinum, sed etiam verum corpus & sanguinem Christi includi verbis illis: *Edite, hoc est corpus meum: Bibite, hoc est sanguis meus.* Quæ manducatio & bibitio etsi fit ore corporis, non tamen est naturalis seu Capernaitica, sed mystica sive Sacramentalis, fundata in unione panis & corporis, vini & sanguinis Christi Sacramentali. Ex qua fit, ut non edatur solus panis sine corpore (quæ est manducatio naturalis) neque solum corpus sine pane, (quæ est manducatio mere spiritualis) sed una in divisa sumptione edatur panis & corpus, & bibatur vinum & sanguis Domini. Etsi enim panis & corpus, itemque vinum & sanguis sunt distinctæ substantiæ, & vere distinctæ manent in ipso etiam sacræ cœnæ usu: tamen quia sunt Sacramentaliter per verbum Christi veracis & omnipotentis unitæ, etiam unite sive conjunctim, non autem divisim aut separatim, accipiuntur. Ac proinde Grammatica verborum: *Edite & Bibite*, proprietas urgenda est, & constanter defendenda; quemadmodum

Sacramentalis manducatio.

dum argumentis & plurimis & graviſſimis, quæ alibi recitantur, demonſtrari poteſt.

Hoſpites S. cœnæ. XVI, *Hoſpites ſacræ cœnæ* in definitione dicuntur *Chriſtiani*, hoc eſt, homines in Chriſtum baptizati, & Chriſtianam fidem profeſſi. Sed non abſolute omnes, verum ii, qvi edere & bibere poſſunt, ſecundùm Chriſti inſtitutionem, ut annuncient mortem Domini: vel, ut loquitur Apoſtolus, illi qui ſeſe probare poſſunt, *1. Cor. 11. v. 28.* Paganis igitur, Turcis, & Iudæis, ſicut etiam excommunicatis, & notorie flagitioſis aditus ad ſacram cœnam non patet, niſi convertantur, & recipiantur in Eccleſiam. Hoſpites, Apoſtolus *1. Cor. 11.* dicit, alios digne manducare, alios indigne. Non minus autem hos, quam illos integram cœnam, hoc eſt, panem & corpus, vinum & ſanguinem Chriſti accipere, hoc ſyllogiſmo demonſtramus. *Quisquis baptizatorum Chriſtianorum in ſumptione ſacræ cœnæ manducando & bibendo benedictum hunc panem & vinum, reus ſit ipſius corporis & ſanguinis Chriſti, & ſibi ipſi judicium edit & bibit, eo ipſo, quod in illa manducatione & bibitione non diſcernit corpus Domini: eum certum eſt manducare & bibere corpus & ſanguinem Domini. Chriſtiani baptizati indigne, hoc eſt, ſine vera pœnitentia & fide, ad ſacram cœnam accedentes, manducando & bibendo benedictum hunc panem & vinum, rei ſiunt ipſius corporis & ſanguinis Chriſti,* 1. Cor. 11. v. 29. *& ſibi ipſis judicium edunt & bibunt,* v. 29. *eo ipſo, quod in manducatione illa & bibitione non diſcernunt corpus Domini, ibid. Quare*

re certum est, Christianos baptizatos indigne, hoc est, sine vera pœnitentia & fide ad sacram cœnam accedentes, manducare & bibere corpus & sanguinem Domini.

XVII. Patet ex his verum & necessarium discrimen inter manducationem corporis Christi *Sacramentalem*, quam in sacræ cœnæ institutione Christus descripsit, & *spiritualem* illam, quæ Iohannis sexto capite definitur. Quod quidem probatur. 1. *Ex diversitate temporis.* Concio enim illa Christi, *Ioh.* 6. integrum annum antecessit institutionem sacræ cœnæ. 2. *Ex diversitate loci.* Concio enim illa habita fuit Capernaumi: cœna vero instituta est Hierosolymis. 3. *Ex symbolis cœnæ*, pane & vino, quæ *Iohann.* 6. c. non habentur. 4. *Ex distinctione cibi & potus* in sacra cœna, quæ distinctio non habet locum in manducatione mere spirituali. Fides enim fertur in totum Christum. 5. *Ex distinctione actuum*, manducandi & bibendi in cœna. Corpus enim Christi cum pane manducatur, non autem bibitur. Et sanguis Christi cum vino bibitur, non autem editur. In spirituali vero manducatione fides uno intuitu in Christum fertur, eumque uno complexu firmiter tenet, cum omnibus beneficiis. 6. *Ex diversitate significationis vocabulorum.* Manducare enim & bibere accipitur proprie in cœna: metaphorice autem, Ioh. 6. c. 7. *Ex diversitate hospitum*: In cœna enim quidam digni sunt, quidam indigni, 1. *Corinth.* 11. qui posteriores non habent locum in manducatione mere spirituali, Ioh. 6. 8. *Ex diver-*

Manducatio Sacramentalis differt a spirituali.

se

so eventu. In cœna quidam ad judicium manducant. 1. *Corinth.* 11. quod fieri non potest in manducatione, *Ioh. 6.* 9. Manducatio in cœna est *Novi Testamenti propria.* Spiritualis illa, *Ioh. 6. c.* est omnium temporum. 10. Manducatio in cœna non est perpetua, sed *fit diversis vicibus*, ut ostendit viva praxis: Quæ vero *Ioh. 6.* descripta extat, perpetua & continua esse debet in animis piorum. 11. Ad describendam manducationem spiritualem, *Iob.* 6. inductus est Christus occasione editi miraculi, ibidem commemorati: Cœnæ vero suæ manducationem & bibitionē gravi consilio præcepit, & solenniter, concluso Veteri Testamento, plane novum Testamentum, antea nunquam usurpatum, instituit. 12. Quæ Sacramentalis manducatio tendit in hunc finem, ut fides nostra confirmetur: Spiritualis vero illa manducatio, *Ioh. 6.* nihil aliud est, quam vere in Christum credere, & sic ipso perfrui, ut patet ex collatione vers. 47. & 54. Differre autem medium sive instrumentum tendens ad finem, ab ipso fine, notum est. 13. Sacramentalis manducatio ut sit salutaris, requiritur ad eam fides, sine qua vergit in judicium: Et potest spiritualis manducatio fieri etiam extra cœnam. Quare & hæc sine illa, & illa sine hac esse potest. Revera igitur differunt. 14. Denique spiritualis illa manducatio, Iohann. 6. illustratur a manducatione manna, quæ fuit Veteris Testamenti figura ad Christum, quale nihil in cœna Dominica potest reperiri: quippe quam diserte Chri-

Christus ab agno paschali, adeoque toto Veteri Testamento distinxit, ac proinde vocavit ibi sanguinem *suum Novi Test.* Quare manducatio sacræ cœnæ propria non est manducatio mere spiritualis.

XIIX. *Finis* sancti hujus convivii est Christi recordatio & commemoratio, hoc est, interprete Apostolo, 1. *Cor.* 11. annunciatio mortis dominicæ. Ad cujus solidiorem explicationem multum facit particula. *Pro vobis:* Corpus, quod pro vobis traditur: sanguis, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Qua significatur. Christum esse passum & mortuum pro illis omnibus (tametsi non solis) quibus sacra cœna administratur. Qui proinde debent hunc formare syllogismum practicum. *Pro quibus Christus mortuus est, illi vera fide meritum ejus debent sibi applicare, in eoque confidere. Atqui pro me Christus mortuus est. Sic enim in sacra cœnæ usu audio Christum mihi loquentem: Ede, hoc est corpus meum, quod est* pro te *traditum. Ergo vera fide meritum ejus mihi debeo applicare, in eoque confidere.* Quod fundamentum, inter alia, opponi debet cogitationibus de absoluta particulari electione Calvinianorum, eorundem errori, de particularitate promissionum Evangelicarum. Finis cœnæ. Pro vobis.

XIX. Cumq; non minus dicatur sanguis Christi pro nobis effusus, quam corpus pro nobis traditum, planam fit, sacrilegium esse mutilationem cœnæ Pontificiam: quam etiam refutat particula Sacrilega cœnæ mutilatio.

uni-

universalis: Bibite ex hoc *omnes*, nempe quotquot benedictum panem, qui est κοινωνία corporis Christi, comederunt.

Finis respectu Dei.

XX. Inprimis diligenter observandum, *finem sacræ cœnæ fundari in fruitione ipsius corporis & sanguinis Christi.* Hic enim fons est, ex quo peccatorum remissio, justitia & vita æterna ad nos promanant. Non autem dicere possumus, panem esse pro nobis in mortem traditum, & vinum esse pro nobis in ara crucis effusum. Quo vel uno argumento Calvinianorum error luculente refutatur. *Finis enim atque usus cœnæ ad integrum Sacramentum, non ad alteram tantum ejus partem, nempe rem terrenam, panem & vinum, referendus est.*

XXI. Porro fines Eucharistiæ considerantur vel respectu Dei, vel hominum. *Respectu* Dei sacra cœna est gratiarum actio, pro acceptis a Deo beneficiis. Vnde dicta Eucharistia. Quæ gratiarum actio consistit tum in agnitione & confessione nostræ miseriæ, tum celebratione divinæ gratiæ. Deinde etiam in nostra obedientia: dum testamur usu cœnæ, 1. obedire nos mandato Dei de hoc Sacramento pie usurpando. 2. Et velle nos patienter ferre, exemplo Christi, nostram crucem. 3. Et conservare publicos cœtus Christianorum: quorum vinculum & nervus est sacræ cœnæ celebratio. Vnde manavit nomen συνάξεως. 4. Et ornare nostram professionem vitæ integritate, justitia, & honestate.

Respectu hominū.

Respectu hominum fines cœnæ sunt duplices: Aut enim referuntur ad ipsos, communican-

nicantes, aut ad alios, nempe ad proximum. *Respectu communicantium* in cœna dominica fit 1. applicatio omnium Christi beneficiorum, remissio peccatorum, justitia & vita æterna. 2. obsignatio & constitutio fidei. 3. insitio & implantatio in corpus Christi, ut sint caro de carne ejus, & os de ossibus ejus. 4. inhabitatio Christi in eis. 5. Est tessera resurrectionis ad vitam æternam. Vnde efficacissimæ peti possunt & debent consolationes in quibusvis afflictionibus. *Respectu proximi* cœnæ dominicæ finis est tum in Confessione, tum in operibus charitatis. *In Confessione*, dum usu Eucharistiæ fatemur, nos agnita peccata nostra serio dolere, & remissionem eorum quærere in obedientia & morte Christi, cujus meritum in sacra cœna nobis offertur, applicatur & obsignatur, ut reconciliemur Deo, & proximo, per peccata a nobis offenso. Deinde, quia sumptio S. cœnæ est symbolum sive argumentum approbatæ a nobis doctrinæ Evangelicæ, quæ publice sonat in Ecclesia. *Discernunt enim Sacramenta in suo legitimo usu Ecclesiam ab aliis conventibus: & arctissimo vinculo connectuntur doctrinæ professio, & Sacramentorum usus.* Communicantius. Proximi.

In operibus charitatis erga proximum fines sacræ cœnæ sunt isti. 1. Testamur, nos ex animo condonare proximo sua delicta, sicut Deus nobis remittit peccata nostra. 2, Et juvare velle pro virili pauperes & egenos. 3. eosque agnoscere pro fratribus & membris mystici corporis, cuius caput est Christus. Huc potest applicari appel-

latio τῆς ἀγάπης. Et complectitur hic finis omnia officia charitatis: sicut dicitur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.

V.

Synopsis errorum Pontificiorum in doctrina de sacra cœna.

Missa Pontifica vere est nervus regni papalis: de cujus vocabuli tum significatione, tum definitione, certi aliquid & solidi apud Pontificios vix reperies. Graphicam autem missatica gesticulationis descriptionem vide apud Sleidanum lib. 21. fere extremo. Missa *constituitur duplex:* privata, *in qua solus sacerdos:* publica, *in qua etiam populus Christianus communicat. Utraque est abominabilis multis nominibus.*

Porro errores missæ vel sunt *communes, vel proprii.* Communes *1. in* consecratione, *quæ quodammodo magica est: ubi requiritur intentio sacrificuli, sine qua negant constare rationem Sacramenti: & ministrum requirunt duplicem, unum, qui consecret, alterum, qui conferat. 2. in* lingua peregrina, *quam non intelligunt plerique saltem adstantes.* Proprii *errores sunt vel in ipsa essentia Sacramenti, vel extra eam. In ipsa essentia Sacramenti errores vel sunt in materia, vel forma. In materia peccatur vel distincte, vel conjuncte. Distincte tum in symbolis, tum in re cœlesti. In symbolis nempe pane & vino.* Circa panem *error est, quod dicunt, oportere esse triticeum & azymum,*

mum, ubi tamen nonnulli dissentiunt, non esse id de necessitate Sacramenti affirmantes. Circa vinum 1. in mixtione, *cum ajunt admiscendam esse aquam: idque per sacrificum in calice apud altare. Huc etiam pertinet, quod Innocentius VIII. pro vino alium liquorem substitui permisit in Norvegiis, teste Volaterrano.* 2. In mutilatione, *qua præripitur calicis usus Laicis (quos vocant) & Clericis non conficientibus, totum epotante sacrificulo. Ubi autem hodie in Papatu utraque species populo conceditur, fieri id dicunt, non ex præcepto Christi, sed ex singulari Romani Pontificis indulgentia.* In re cœlesti, *nempe in corpore & sanguine Christi.* 1. *Cum dicunt, ea per* conversionem adductivam *mutari, & accipere esse Sacramentale sub speciebus panis & vini.* 2. *Cum fingunt,* concomitantiam *sive connexionem naturalem, quæ fieri dicunt, ut sub specie panis non tantum corpus, sed & sanguis, itemque sub specie vini non tantum sanguis, sed & corpus Christi manducetur & bibatur.*

Conjuncte in materia Eucharistiæ peccat transsubstantiatio. *Quam definiunt conversionem totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi 2. Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus.*

In forma *Eucharistiæ peccatur universaliter, vel particulariter. Vniversaliter in* sacrificiis (*quod est opus toto genere diversum a Sacramento*) *quo fingitur sacrificulus (vel Christus ministerio sacerdotis) incruente immolare Christum,*

qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit: idque in honorem tum Dei, tum sanctorum.

Particulariter 1. *in* repositione *sive asservatione hostiæ consecratæ*, & circumgestatione *in processionibus solennibus.* 2. *in ejusdem religiosa* adoratione. *Hactenus errores in ipsa Sacramenti essentia. Errores extra essentiam Sacramenti vel in externis ritibus spectantur, vel in fructibus sive effectibus.*

In tribus *externis* 1. *in singulari genere vestium missaticarum.* 2. *in variis gestibus & moribus tum ipsius sacrificuli, tum ejus administri. Quo etiam referri possunt ceremoniæ & requisita alia, ad missam ex Pontificiorum opinione necessaria: de quibus prolixe Bellarminus lib. 2. de missa, cap. 14.*

In fructibus *sive effectibus: nempe in sacrificio missæ vere propitiatorio & impetratorio: Ex Concilio Tridentino Bellarminus lib. 2. de missa, cap. 1.*

Propitiatorio, *pro pœnis, pro culpis, levibus, gravibus, adeoque mortalibus, pro satisfactionibus, & aliis necessitatibus. Ibid.* Impetratorio, *nimirum spiritualium & temporalium beneficiorum. Prodesse enim dicunt missæ sacrificium tum fidelibus defunctis, tum vivis.* Defunctis *sive in cœlo viventibus, sive in purgatorio sudantibus: Illis ad gaudium amplificandum, his ad minuendam pœnam.*

Vivis *confert tum singulis, tum multis.* Singulis *ad gratiam & dona pœnitentiæ promerenda: & ad augmentum commodorum, & propulsantium*

tium malorum corporalium. Multis, *ad defensionem regnorum, urbium, familiarum: ad depulsionem hostium, morborum, tempestatum, &c.*

Hos errores omnes, & singulos repudiamus, quia neque ex institutione sacræ cœnæ possunt deduci, neque ullum habent in divinis scripturis fundamentum, sed potius illis repugnant, & infinitis incommodis conflictantur, ut alibi specialim & per partes expositum. Vide, si libet, disputationes Anti-Pistorianas. 8. 9. 10. 11.

VI.

Errores Calvini & sociorum in doctrina de Cœna Domini.

Diserte Augustana Confessio improbat diversum a decimo articulo sentientes: quod ægerrime ferunt Calviniani, ac proinde mutatam a P. Melanchthone Confessionem (in qua appendix illa resecta est) præferunt prototypo. Non enim negare possunt, se esse illos ipsos, qui ibi improbentur, una cum Anabaptistis: quos hac in parte eandem cum Calvinianis sententiam tenere, *liquere potest ex Colloquio Franckenthal. act. 37. & in recapitulatione num. 119. 120. Cassellani in Antiqua fide Cattorum, quam vocant, hunc articulum dicunt esse Papisticum, p. 21. 22.* Ideoque opus fuisse emendatione. Et tamen p. 24. affirmant, Calvinum subscripsisse *August. Confess.* De qua adscribo Calvini verba *ex Epist. data 10. Sept. Anno 61. Augustana Confessio, ut scis, fax est vestræ furiæ, ad excitandum incendium, quo conflagret tota Gallia, p. 251. Epistolarum Calvin. Genev. Anno 76.*

II. Quanquam autem ad unum omnes Zvvingliani, veram, realem & substantialem cum pane præsentiam corporis Christi in cœna, (quæ in his terris, ubi conveniunt Christiani, celebratur) & ejus manducationem oralem, hoc est, quæ fit ore corporis, mediante pane, negant & pernegant, & sub titulo consubstantiationis, Capernaiticæ manducationis, κρεωφαγίας &c. rejiciunt & impugnant: tanta est tamen apud eos opinionum varietas, ut pluribus classibus opus sit, quibus includantur.

Discedit a verbis institutionis.

III, *Alii* enim *a verbis Christi plane discedentes*, illa pro fundamento in hac causa admittere recusant: Idque vel *directe*, vel *oblique*,

Directe.

IV. Directe, *ut Zvvinglius (quem Antiqua fides Cattorum Cassellu edita pag. 26. fingit, in capite de S. Cœna cum Luthero conciliatum esse a Calvino)* qui ex nocturno monitore didicit suæ de Sacramento doctrinæ fundamentum, de quo non meminit, ater an albus fuerit: In subsidio. *Henricus Bullinger, & Tigurini contra D. Iacobum Andreæ fol. 45. p. 1. postulant*, verba cœnæ non amplius pro fundamento allegari, quia sint τὸ κρυπτόμενον. *P. Martyr in dialogo f. 125. pag. 2.* ridet nos, quod pro hoc dogmate tuendo nihil quicquam habeamus, nisi Christi τὸ ἔνδον. Hoc est corpus meum. *Admonitio Neostadiana, pag. 94.* Contra vero illa (inquit de nobis) postquam diu *verba, verba, verba Christi* sonuerunt, cum urgentur, ut reddant rationem suæ glossæ, confugiunt ad ubiquitatem. Orthodoxus (scilicet) consensus,

cap.

c. 7. fol. 161. pag. 2. Manifestus est, inquit, *abusus verborum cœnæ, in probando eo, quod ex verbis in quæstione vel controversia est.*

V. Oblique Victorinus Strigelius ad Rambeccum: ut Hippocrates mandat, inquit, ut medicus oculo dextro ad naturam, sinistro in artem Medicinæ respiciat: Ita moneo te, ut non solum in verba cœnæ attendas, sed *magis* tibi proponas totam Christianam doctrinam. *Consensus Orthodoxus cap. 5. fol. 98. p. 1. Non oportet simpliciter intueri verba Christi.* Hoc enim est carnaliter intelligere: *sed aliud quippiam cogitare*, & interioribus oculis ea adspicere, tanquam mysteria. Nam hoc est spiritualiter intelligere. Quam sententiam sequuntur Calviniani Marpurgenses *D. Schonfeldius, M. Goclenius, & Anatomici, pag. 160.* qui sententiam verborum cœnæ hauriendam esse clamant *ex 6. capite Iohannis: quam Christi concionem integrum annum antecessisse institutioni sacræ cœnæ ex collatione Evangelistarum certissimum est, quod etiam Calvinus ipse recte observavit.* Oblique.

VI. Alii verba Christi pro fundamento retinere quidem videri volunt, sed tamen ea perperam & contra τὸ ῥητὸν interpretantur. *Beza & socii in Colloq. Mompelg. ad dogma 1. de cœna Domini: Existimamus*, inquiunt, *verba institutionis Domini κατὰ τὸ ῥητὸν accipi, salva fidei analogia non posse.* Quo pertinent etiam illi, qui honorifico scilicet nomine a pellant nos Buchstabler: Perperam interpretatur. NB.

stabler: ut Johann von Münster zu Borklage. Quorum tres ordines constituuntur, I. *Grammaticus*, in vocum distinctione & explicatione Grammatica. II. *Rhetoricus* in Tropis. III. *Logicus*, in dispositione propositionis Christi.

Grammatice.

VII. Grammaticam classem ducit vexillifer Carolstadius, verba Christi sic distinguens, ut sententia finiatur, post verbum: *Edite.* Cui succedat nova sententia: *Hoc* (quod digito indice in mensa Christus assidens ostenderit) *est corpus meum.* Huc refero etiam Pareum, Piscatorem, Orthodoxum consensum, Grynæum, Bucanum, Steinium Cassellanum, & alios, qui verba Christi: *quod pro vobis traditur*: Ita interpretantur: *Quatenus* pro vobis traditur. *Ita Grynæus disput. de duobus Sacramentis N. T. p. 226.* Vt *non substantia*, inquit, *sed qualitate* benedicta, quam pani vinoque opifex ille rerum indidit, illa duo nos alunt & reficiunt: Sic etiam corpus & sanguis Christi, *non respectu substantiæ*, sed illud, *quatenus* pro nobis traditum est, hic autem *quatenus* pro nobis fusus est, cœlestem alimoniam nobis præstant. Quos recte ferit D. Lutheri dictum: Zvvingliana Logica, inquit, *substantiam* pro *accidente*: *quod* pro *qualiter, usurpat, Tom. III. Ien. Germ. fol. 450. p. 2. edit. Anno 88.* Pertinent etiam huc illi, inter quos sunt Calviniani Marpurgenses & Cassellani, qui per *Hoc*: intelligunt *solum panem*, quasi Christus dixerit: *Hic panis est corpus meum.* At non sic D. Paulus: sed *panis*: quem frangimus, inquit, est κοινωνία *corporis*, *1. Cor. 10. v. 16.*

VIII.

Rhetoricæ.

VIII. *Rhetorica classis* primam sedem superiori seculo tenuit H. Zwinglius, per Metaphoram interpretatus verbum *est* pro *significat*. Quem multi ex sociis refutant, M. Goclenius ita eum juvat, ut dicat esse Enallagen Grammaticam. *Polanus* adhuc aperte defendit *in partit. Theol. p. 257.* ut etiam Pareus, tropum inesse in copula *Est*: Sed vocat Metonymiam Sacramentalem. Piscator postquam aliquot annis publicis scriptis tropum in copula fortiter defendisset, tandem admonitus & convictus argumentis contrariis, publice illam sententiam retractavit, *Responsione ad dictata Hoffmanni, de tertia quæstione, in præfatione p.* 205. diserte affirmans, & luculento argumento probans, copulam a nativa significatione hic non immutari. Ponit autem ipse Metonymiam subjecti in prædicato.

II.

IX. Oecolampadius *corpus* Christi interpretatus est pro *figura* sive *signo corporis*. Quam Metonymiam plerique Calvini discipuli amplexi sunt & inter hos Calviniani Marpurgenses Theologi, & Anatomici. Quanquam Calvinus ipse *corpus* acceperit pro *efficacia corporis*: eo nomine reprehensus (at sine nomine) a Theodoro Beza *Petrus Ramus lib. 4. Theolog. c. 4.* Corpus & sanguis, inquit, Metaphoræ sunt, non id ipsum quod dicitur, sed dicto simile significantes. Et paucis interjectis: Metonymiæ corporis & sanguinis, inquit, pro adjunctis eorum bonis ac fructibus præterea conjunguntur. Geminum igitur ille Tropum statuit in verbis *corpus & sanguis*,

In secunda defensione contra Westphalum.

Metaphoram & Metonymiam. Vnde postea c. 9. Judam dicit tantum pane pastum esse, sine virtute corporis Christi.

VII. X. *Alii* intelligentes nimis esse tenue & jejunum, per corpus Christi intelligere solum signum, figuram, monumentum corporis? addunt etiam
VIII. intelligi pignus, tesseram & sigillam corporis. *Alii* etiam affirmant, panem non tantum esse signum significans, verum etiam instrumentum offerens & exhibens. Quod a M. Goclenio usurpatum stratagema imitari sunt Cassellani & Anatomici: qui necesse habent geminum constituere Tropum, unum adjuncti, alterum causæ instrumentalis. Et est simul ibi confusio causæ formalis (quæ in significando consistit, secundum ipsos, sive præfigurando & repræsentando) & finalis, in obsignatione, quæ est totius Sacramenti, non alterius partis, nempe rei terrenæ tantum: *ut videbimus in articulo 13.*

V. XI. *Theologi Cassellani*, formam Sacramenti ponentes in repræsentatione, *scribunt, p. 70.* Per vocabulum *corporis* Synecdochice intelligi corpus simul & animam, adeoque totam personam Christi. Quæ opinio quodammodo *ex Bucano desumpta videri potest. pag. 720.* Manifesto autem pugnat cum verbis Christi, & favet concomitantiæ Papisticæ.

VI. XII. *Guilhelmus Bucanus inst. loc. 48. p. 649.* Figurata est hæc prædicatio, inquit, eaque non simpliciter Metaphorica, (ut Zvvinglio somniaverat)

aut

aut allegorica (sicut caro & sanguis Christi dicuntur cibus & potus fidelium) sed Metonymica. NB. Et postea: Figurata prædicatio est, inquit, non singulis verbis seorsum & in sese consideratis (panis enim est propria panis: *& corpus non allegoricum, non Tropicum, non figuratum, multo minus spectrum, aut phantasma: non item corpus mysticum, quod est Ecclesia, aut signum corporis: non meritum Christi: sed proprium Christi corpus denotat.* Omnino enim verum Domini corpus de vero pane enunciatur) sed in tota attributione. Et tandem: Notandum, inquit, non esse tantum locutionem figuratam, Metonymicam, aut significativam (quia languidius explicaret naturam mysterii) sed sacramentalem. Hactenus ille.

XIII. Omnes vero illos superiores refutaturus *Keckermannum System. Theol. lib. 3. cap. 8. p. 444. & seqq.* clare & perspicue asserit, & appositis argumentis confirmat, *non transferri hic ullam de sua significatione in alienum.* Et expresse negat poni signum corporis pro corpore. Negat etiam tropum esse in copula. *Et p.* 445. Sunt, inquit, qui fatentur, nec in prædicato, nec in verbo copulativo inesse tropum, sed in ipsa connexione prædicati cum subiecto, id est, in ipsa forma huius propositionis. Verum hæc sententia, inquit, consistere non potest: quia *omnis tropus est in verbis, nullus in rebus, &c.* Dialectice.

XIV. *Logicæ* igitur *classi* sese conjungit *Keckermannus lib. 3. System. Theol. cap. 8. p.* 441. propositiones has: *Panis est corpus Christi: Vinum est san-*

sanguis Christi: vocans propositiones *relativas*; item *extrinsecas & analogicas* prædicationes. Quas sic explicat: Panis est corpus Christi, id est, summa est & sacra unio inter panem & corpus, nempe unio significationis & confirmationis. M. Goclenius (secutus hac in re Christophorum Pezelium) hanc sententiam approbans, vocat *irregulares* seu *improprias Logicorum attributiones* seu prædicationes: de quibus prolixe ipse disputat (novo exemplo) sine respondente, contra suum adversarium, disputatione publica secunda. *Alibi tamen, ut in problematis Rhetoricis, aliter sentit. Ubi illud ego annoto, propositiones illas, (panis est corpus Christi: Vinum est sanguis Christi) κατὰ τὸ ῥητὸν* non esse ipsius Christi, sive Scripturæ: sive ab Ecclesiæ doctoribus usurpatas. Parum igitur facit illarum examen Logicum ad veram verborum Christi sententiam eruendam. Qua de re vide Colloquium Maulbrunnense: in quo Palatini fatebantur, disputando se progredi non posse, quod a Würtembergicis ea propositio non acceptaretur: *panis est corpus Christi, &c.*

XV. Atque hactenus de verbis illis Christi: *Hoc est corpus meum.* De quibus tandem *Bucanus, p. 694.* Est quidem, inquit, in ipsis, cœnæ verbis τὸ ῥητὸν videlicet *Sacramentale* retinendum, Quod quid sit, ita explicat, ut affirmet in Sacramentali locutione, non tam literam seu sonum verborum, quam διάνοιαν, est, sententiam certam sequendam esse. *Mirus sermo! τὸ ῥητὸν est servandum, hoc est, a literali sensu ad διανοιαν ab-*

Sacramentariorum, τὸ ῥητὸν

abeundum est. Vnde vero διάνοια illa hauritur, & verba illa Christi ingeritur? Annon ex cerebello humano: id quod evidenter ostendunt tam variæ, tam diversæ, tam contrariæ Sacramentorum interpretationes.

XVI. Hoc igitur sensu etiam Calviniani Marpurgenses, & alii loquuntur, quando dicunt, se constanter retinere *Christi verba:* (*Anatomia pag. 170.*) subintellige, *in sensu Sacramentario*, sive cum explicatione Metonymica, vel juxta modum prædicationis relativæ & analogicæ. Quid hoc est aliud, quam verborum Christi corticem retinere, sed illis sensum humanum, tanquam novam medullam, infundere? *At verba Christi amplius non sunt, quando sententiam,* (*quæ est ipsorum anima*) *alienam ipsis contra Christi mentem, affinxisti, ut alibi docuimus.*

XVII. Neque minus cætera verba torquens Calviniani: *Edite, Bibite.* I. Quæ nonnulli referunt ad *solum* panem: *ut Calviniani Marpurgenses; Admonitio Neostadiana, p. 103. Piscator, & multi alii.* II. *Praxis & medulla Catechetica p.* 134. *Edere & bibere* corpus & sanguinem Domini, ait, idem esse, atque credere Christum corpus suum pro nobis tradidisse in mortem, & sanguinem suum pro nobis effudisse. III. *Alii* distincte, vel (ut proprie, quod res est, dicam) distracte & divulse interpretantur, ut de pane & vino proprie, de corpore & sanguine Christi Metaphorice accipiantur. Vnde duplicem vocant *manducationem, externam* panis unam: alteram Edite Bibite.

inter-

internam corporis Christi, *Bucan. p. 700.* & communiter omnes. Sicut etiam baptismum duplicem confingunt, *de quo vidimus art. 9.* Hinc dota illa divulsio: ut pastor Ecclesiæ solum panem porrigat & vinum: & ipsum solum manu & ore accipiat is, qui Sacramento utitur: Christus autem seorsum distribuat carnem & sanguinem suum, sola fide in cœlis percipiendum. *Cassellani in Antiqua fide Cattorum. p. 57.* Homo fidelis ore externo accipit panem & vinum corporaliter, corde autem per fidem in Iesum Christum. *Vide etiam, p. 102. 103.* Item/ Christen Kinderlehr/ *editam Marpurgi, Anno 1606. Et praxin & medullam Catechetticam Marpurgi editam, A. 1606. q. 127. 128. 129.*

XVIII. Hinc *axioma Calvinianum*: Corpus & sanguinem Christi in sacra cœna *non nisi fide* percipi: Id quod demonstrasse se jactitant ex *cap. 6. Iohannis, Anatomici Marpurgenses, p. 37. 41. 48. 49. 53. 54. 55. &c. Vide etiam Bezam & socios in Colloq. Momp. th. 4. de sacra cœna: Et praxin & Medullam Catechetticam Marpurgi editam, A. 1606.*

XVIIII. Ac proinde etiam quidam negant, ullum esse discrimen inter manducationem corporis Christi Sacramentalem & spiritualem, *Anatomia Marpurgensis, p. 41.* Quam tamen opinionem fortiter refellit (ut alios taceam) *Antonius Sadeel, distinctis editis tractatibus, uno de spirituali, altero de Sacramentali corporis Christi manducatione.* Quanquam Herbornenses negant, corpus Christi Sacramentaliter manducari posse, quia scilicet non sit Sacramentum, *Libro de Sacramentali manducatione pro Sadeele.*

XX.

XX. Itemque plerique negant: *Indigne manducantes* accipere corpus & sanguinem Domini, affirmantes eos sumere *tantum externa symbola*, panem & vinum: *Anatomia Marpurgensis, p. 19. 160. 161.* & alii multi. Item/ kurtzer einfältiger Bericht vom H. Abendmal deß Herrn/ *Cassellis edita, Anno 1605. Praxis & medulla Catechetica, q. 133.* Quæ symbola *alii* quidem vocant Sacramenta: *Antiqua fides Cattorum, pag. 34. & 58.* Vnde dicunt, indignos accipere *Sacramentum* corporis: non ipsum corpus: vel edere corpus Christi Sacramentaliter, non reipsa. *Vrsinus in Compendio. p. 510.* Impii accipiunt *nuda tantum signa*, eaque ad judicium & condemnationem. *Alii* vero negant esse indignis Sacramenta: Sed *esse ajunt nuda Elementa. Piscator ad dicta Hoffmanni, p. 80. & 146.* Cum in sumente non est fides, inquit, non sumit ille Sacramentum, sed Elementum tantum: *quia Sacramentum, qua Sacramentum, non nisi fide percipitur, Bucanus, p. 753. 764.* Sacramenta *non nisi fidelibus Sacramenta sunt:* Infidelibus autem nequaquam, Beza vocat sigilla exitii. Grynæus Sacramenta perfidiæ & incredulitatis. *Vide art. 9. pag. 427.*

Indigne

I.

II.

NB.

XXI. Rursum alii quidam fatentur, quosdam *indigne manducantes* percipere corpus Domini: quos definiunt *homines vera fide non destitutos*, sed de præparatione animi non cogitantes, & fratribus quos offenderunt non reconciliatos, & dissolutius, quam oportet, viventes, *Beza, Resp.*

III.

Resp. 1. ad Colloq. Mompelg. p. 61. edit. Genev. Anno 87. Cassellani in antiqua fide Cattorum, p. 34. 35. ubi distinguunt inter illa: *Fidem non habere: & sine fide uti sacra cœna*, indignos vocant *infirmos in fide*: Et tamen eos dicunt *sine fide uti sacra cœna*, accipere nihilominus corpus Christi.

Piscator etsi concedit Bezæ & aliis, loqui hic Paulum non de fidelibus, sed qui indigne, hoc est, irreverenter Cœnam Domini percipiant; tamen negat, eos percipere corpus & sanguinem Christi. Quia, inquit, corpus & sanguis Domini indigne seu irreverenter edi ac bibi non possunt. *In Analysi 1. Corinth. 11. obs. ex v. 27.* At rursum *Bucanus, p. 782.* quosdam indigne manducantes dicit fidem habere admodum languidam & infirmam, ac proinde non admodum efficacem per charitatem & pœnitentiam, qui non discernunt panem Domini mysticum a cibo communi, sed irreverenter hanc tractant, nec eo modo, quo Dominus instituit. Non tamen audet negare, eos edere & bibere carnem & sanguinem Domini.

XXII. Ex quibus omnibus patet, negari & damnari ab illis doctrinam Evangelicam in Aa Ce repetitam de vera, reali & substantiali corporis & sanguinis Christi, in sacra cœna cum pane & vino præsentiam, quam vocant ipsi, pro sua modestia, συνουσίαν καὶ ἐνύπαρξιν, consubstantiationem & inexistentiam: *Anatomia Marpurgensis appellat* Beywesselung oder Mitwesselung / *pag. 10. 38. 49. 56.*

49.59. illi impanationem: ut taceam horridiora vocabula de Creophagia, &c. *Sic Beza Epistola 5. volum. 3. tract. Theolog. pag. 204.* A loco, inquit, in quo cœnam Domini celebramus, *tam procul nunc abest Christi corpus, quam abest cœlum a terra, l-dem in responso ad Brentii argumenta, pag. 27.* Corpus Christi tam præsens Abrahæ fuit, quam nobis est præsens in Sacramento Eucharistiæ. *Responsione prima ad Colloq. Mompelg. pag. septuagesim aquinta. Signa in terris sita esse ait, & res significatas in cœlis positas,* & tamen illarum etiam esse verissimam conjunctionem: quantumvis tanto a nobis intervallo essentia sua distantium, quanto beatorum illæ sedes supra omnes cœlos, a terris absunt. *Iohannes Calvinus in Catechismo, de Sacramentis: item contra Heshusium & alibi passim, Iohannes Piscator in quæstione Rhetorica de verbis Domini:* Hoc est corpus meum. p. 29. Hic quærat fortasse aliquis ex me, inquit, *annon concedam verbis illis Domini? Hoc est corpus meum: significari aliquam corporis Christi præsentiam? Non concedo, inquam. Vide etiam p. 24. & 26. Anatomia Marpurgensis. p. 36.* Bezæ illud dictum approbat & defendit: corpus Christi in cœna Dominica tam procul a pane abesse, quam procul cœlum abest a terra. *Vide etiam p. 42. 54. 57.* ubi negat, substantialem præsentiam corporis & sanguinis Christi in sacra cœna subsistere posse, p. 152. 155. quia nimirum panis & vinum hic in terris ore accipiuntur, corpus autem & sanguis Christi *sola fide, pag. 243. 244. in cœlis. p. 54. &c.*

Præsentia corporis in S. Cœna secundum Calvinianos.

Vide Zvvinglium passim de vera & falsa religione, p. 278. 292. 295. &c. item in expositione fidei ad Regem Christianum, p. 36. item in Respons. ad Lutheri confessionem, &c.

XXIII. At, inquis, ægre ferunt ex Calvinianis multi, & inprimis Cassellani, & Zvvingliani Marpurgenses, sibi imputari eum de absentia Christi errorem, *Anne serio*? Didicerunt enim jam pridem D. Lutheri lingua abuti ad velandum pectus Calvinianum. Intelligunt igitur ipsi nomine *præsentiæ*, non veram, substantialem & actuale præsentiam, sed *nudam σχετικὴν relationem & analogiam*, quam ipsi fingunt inter panem & corpus Christi. Deinde præsentiam definiunt *ex fide*, non ex ipsa re. Eamque non propter panem, sed propter hominem constitui ajunt: medium opponentes fini. Adeoque corpus Christi adesse dicunt operatione Spiritus sancti nobis communicatum & unitum; tametsi in cœlo manens, quo capiatur ad extremum diem. Tum præsentiæ illi æque in V. Testamento, atque in Novo locum fuisse disputant: *Anatom. p. 62. 106.* Præterea *non nisi in cœlo vere & substantialiter præsens esse Christi corpus* contendunt, usque ad extremum diem. Proinde ita nonnulli loquuntur; In cœna adesse Christi corpus, non in pane, aut in loco, in quo est panis. Denique manducationem ejus fieri dicunt, *sola fide*, in cœlum subvolante: *Anat. p. 40. 61.* Ideo indigne manducantes nudum panem percipere affirmant. Quam dici aut esse verum & substantialem corporis Christi cum pane

I. Præsentia Sacramentaria.

II.

III.

IIII.

V.

VI.

VII.

ne præsentiam in sacra cœna, ex scripturis divinis ostendi nunquam potest.

XXIIII. *Spiritualis* vero *manducatio*, quæ fit vera in Christum fide, *Ioh. 6.* & quæ ad salutarem usum sacræ cœnæ necessaria est, distinguenda est a Sacramentali, ex vigore verborum Domini: *Edite, Bibite*, quæ non intelligi Metaphorice: sed proprie (nimirum proprietate significationis Grammatica, non proprietate & modo ipsius rei physico, sive naturali, ut nonnulli Sophisticantur) in sacra cœna, tam est expeditum & clarum, ut negari non possit.

XXV. Denique vocem κοινωνίας apud Paulum, *1. Cor. 10. v. 16.* Piscator, Bucanus, Anatomia Marpurgensis, M. Goclenius, & alii, interpretantur Metonymice, pro efficaci tessera, symbolo, seu pignore communionis nostræ in sanguine Christi. Κοινωνία

XXVI. Quid jam supereſt ex substantialibus sacræ Cœnæ verbis, quod non sit per Tropos Zvvinglianos a nativa sua germana, propria & liberali significatione dimotum, atque detortum ad significationem alienam atque peregrinam?

XXVII. Nam ne *Testamenti* quidem vocabulum a Tropo liberant, apud *D. Luc. 22. v. 10. & D. Paulum, 1. Cor. 11. v. 25.* interpretantes illud per signum sive sigillum novi illius fœderis confirmandi per sanguinem Christi: Metonymia subjecti: *Piscator in Lucam Bucanus de S. Cœna p. 697. Beza in Luc. 22. v. 20. Alii passim.* Testamentum n.

Reos fieri corporis Christi.

XXIIX. Sic, *Reos fieri corporis Christi indigne manducantes*, est, imputari illis culpam mortis, propter *spretum* corpus Christi, *Bucanus, & Biblia Tigurina.* Item, *discernere corpus Domini.* Zvvinglianis est, panem hunc, tanquam illius Sacramentum, conveniente religione, tractare. *Piscator in 1. Cor. 11. v. 29. in scholiis, vel ut Bucanus loquitur, p. 753.* est panem illum, tanquam pretiosissimum corporis Christi symbolum, a cæteris rebus distinguere.

Discernere corpus Domini.

Tropi Zvvingliani.

XXIX. Repetamus Tropos Calvinianos tanquam in synopsi. *Edite*, hoc est, ore manducate: nempe panem: fide autem seu Spiritu percipite carnem Christi: *Bibite:* hoc est, ore haurite, scilicet vinum: sanguinem autem vera fide seu Spiritu percipite. Calviniani communiter. *Hoc*: id est, corpus Christi assidens mensæ, digito indice monstratum, Carolostadius: *Est*, id est, significat. Zvvinglius. *Corpus*: id est, signum sive figura corporis, Oecolampadius, vel efficacia, spiritus, virtus, fructus corporis, Calvinus & Ramus. Vel monumentum & pignus & sigillum corporis: Anatomici Marpurgenses & Cassellani in Responsione sua, & Antiqua fide Cattorum. *Hoc poculum est Nov. Testamentum*, id est, est signum sive symbolum, vel tessera fœderis, aut ejus potius, quo fœdus sancitur, nimirum sanguis Domini, Beza. *Hoc est corpus meum*, id est, hic panis est corpus meum, hoc est: inter panem illum & meum corpus est sacra unio, nempe significationis & confirmationis: vel panis ille habet σχέσιν & ἀναλογίαν ad cor-

I.

II.

III.

IV.

V.

VI.

corpus: vel panis ille est σημαντικῶς significative, & ἀναλογικῶς certa proportione & similitudine, corpus Christi, Keckermannus, M. Goclenius, Guilhelmus Bucanus, Iohannes a Lasco in tractatione de Sacramentis Ecclesiæ: *Hoc est corpus meum*, sic exponit: Hoc est jus & usus in corpore meo: vel: Hæc est qualitas propria corporis mei: vel: In hoc Sacramento mysterium mei corporis designatur: vel: Hæc est forma, ceremonia, & actio externa meæ Cœnæ: vel, est communio, jus & societas mei corporis, &c. Panis est κοινωνία, id est, signum & tessera communionis Beza, Piscator. *Indigne edens fit reus corporis*, id est, reus spreti sive contempti corporis, propter signi sacri abusum, *Bucanus p.* 755. Antiqua fides Cattorum, *p.* 34. *Discernere corpus Domini*, id est, discernere panem sacrum, vel convivium sanctum, a communi cibo sive convivio: Beza, Piscator, Bucanus, & plerique alii. VII. VIII. IX.

XXX. Vide etiam *causas* hujus Sacramenti a Zvvinglianis vitiatas. *Efficiens* Christus est θεάνθρωπος, sed hunc illi secundum carnem & sanguinem includunt supremo cœlo ad extremum diem, ut adesse militanti in terris Ecclesiæ suæ non possit. Abest igitur cœlestis hospes a sancto illo suo convivio. Neque caro, si dicat *Bucanus p.* 718. *Totus* adest, sed non *totum*. Nam vel inprimis de Christi carne & sanguine hic sermo est, ut constat inter omnes. Nec illud: *Fides in cœlo apprehendit* Christi corpus & sanguinem. *Nam* Causa sacræ cœnæ efficiens.

non in Ecclesia, in cœlis triumphante, sed in Ecclesia, in hîs terris militante, celebratur sacra Domini cœna.

Instrumentalis

XXXI. Ministerialis & Organica est Ecclesiæ pastor: sed hunc illi dicunt tantum distribuere panem & vinum. Et vicissim, os Sacramentorum usurpantis non edere & bibere nisi panem & vinum.

Materia.

XXXII. *Materia* est res terrena simul & cœlestis, juxta *Irenæum lib. 4. cap. 34.* Zvvinglianis solo panis & vinum est Sacramentum sive signum, nempe corporis & sanguinis Christi, tanquam signati. Eaque a se invicem divellunt & separant tanto intervallo, quanto cœlum adest a terra. Et hæc scilicet unio Sacramentalis est, ut panis modo habeat σχέσιν & ἀναλογίαν ad Christi corpus, quasi nimirum in schola Originis Allegoriæ explicandæ forent, & secundum eas tota Christi institutio interpretanda.

Forma.

XXXIII. *Forma* est benedicti & distributi panis & corporis Christi, itemque vini & sanguinis Christi, manducatio & bibitio. Quomodo panis, nempe sic benedictus, distributus & manducatus est κοινωνία corporis Christi, & poculum sanguinis Christi; juxta Christi verba: *Edite, hoc est, corpus meum, Bibite: hoc est, sanguis meus N. Testamenti.* Zvvingliani separant & divellunt unicam illam & individuam S. cœnæ manducationem & bibitionem: quæ neque solius panis & vini est, neq; solius corporis & sanguinis Christi, sed corporis Christi una cum pane, sive mediante pane, manducatio, & sanguinis Christi una cum vino, sive medi-

Manducatio Sacramentalis unica & indivisa.

mediante vino, bibitio. Hanc, inquam, unam Sacramentalem, & proinde indivisam manducationem & bibitionem, illi dispescunt in geminam, objecto, instrumento, & loco differentem: affirmantes, panem & vinum, accipi ore, in his terris, corporaliter: Corpus autem & sanguinem Christi accipi sola fide, in cœlis, spiritualiter. Alii etiam hic pro vera forma nobis obtrudunt repræsentationem, sive præfigurationem passionis Christi: *quasi vero tragœdia ageretur, in qua tota Christi passio certis gestibus & ceremoniis esset exprimenda:* ut Cassellani & Anatomia. Alii deniq; fidem faciunt sacræ cœnæ formam, ut Bucanus, Piscator, & qui eos sequuntur: cum certum sit ad fidei confirmationem, tanquam finem, spectare sacræ cœnæ usurpationem.

De fine Sacramentorum videbimus circa articulum 13. Finis.

VII.

Photinianorum doctrina de Cœna Domini.

Inter præcepta Christi, quæ sigillatim ab eo tradita esse scribunt Photiniani, alia dicunt respicere mores, alia externos actus religiosos, qui vulgo ceremoniæ vocantur. Prioris generis plura commemorant, posterioris unum duntaxat, nempe de cœna Domini. Quam sic definit Catechesis Racoviana, p. 168. Cœna Domini est Christi Domini institutum, ut fideles ipsius panem frangant & comedant, & ex calice bibant, mortis ipsius annunciandi causa, quod permanere

in adventum ipsius oportet. Cur autem mortis potissimum memoriam in cœtu suo Christus celebrari velit, rationem hanc proponit, p. 187. Eo, inquit, quod ex omnibus Christi actionibus ea sit summa, & ei maxime propria. Licet enim a mortuis resurrectio, & exaltatio Christi sint longe majores: eas tamen Deus ipse pater, non autem Christus ipse peregit. Et hanc rationem dicit esse unicam, & nullam aliam prorsus pag. 188. Negat igitur, usu sacræ cœnæ accipi remissionem peccatorum, & fidem confirmari, ibidem.

II. Explicationem verborum cœnæ talem proponit, p. 194. Hoc est corpus meum, id est: Hæc actio frangendi & manducandi panis hujus est commemoratio & adumbratio quædam ejus, quod corpore meo futurum est: & hæc actio fundendi & bibendi vini hujus commemoratio & repræsentatio quædam est, quid sanguine meo fiet: vel, bibitio ex eo calice est commemoratio illius ingentis divinæ charitatis, quæ nobis in novo fœdere exhibita, ac morte Christi est confirmata. Confirmat hanc expositionem exemplo gemino, Exod. 12. v. 11. 27. & Ezech. 5. v. 1 2. 3. 4. 5. Et verba Apostolica, 1. Cor. 10. v. 16. Calix benedictionis, &c. dicit accipienda ad eum modum, quod ii omnes, qui calicem hunc benedicunt, id est, eo usi, sancte nomen Domini celebrant, similiter qui panem communiter frangunt, aperte testatum faciunt, quod participes sint corporis & sanguinis Domini, id est, omnium bonorum, quæ Christus nobis per mortem suam peperit, pag. 193.

III. Re-

III. Rejicit sententiam Papistarum de sacrificio missæ, & transsubstantiatione: pag. 198. Calvinistarum, qui autumant in cœna Domini vere se existere participes corporis & sanguinis Christi, spiritualiter tamen, p. 190. quæ dicit inter se pugnare, p. 192. & Lutheranorum: quia scilicet Christi corpus in cœlis versetur, & ejus proprietates non patiantur, illud in terris adesse & manducari.

IIII. Caput 6. Johannis de cœna non agere, probat duplici argumento, p. 192. agere autem ait illic Christum de causa fidei in se, quæ sit jugis mortis Christi meditatio, a qua vires sumamus ad vitam piam & immortalem capessendam, pag. 193.

V. Ostorodus fatetur cœnam a Christo institutam, c. 38. p. 328. eo fine, ut semper in Ecclesia extaret laudabilis memoria & solennis celebratio Christi, & ipsius cruentiæ mortis, p. 328. 329. crassum errorem vocans, si doceatur, cœnam ideo institutam esse, ut mortis Christi nos admoneat, pag. 330. quia recordatio mortis Christi requiratur ante usum cœnæ. Falsum etiam esse scribit, cœnam servire fidei confirmandæ: quia esus & potus in mentem non agant, ibidem. Negat fieri peccatorum remissionem per recordationem mortis Christi, sed per ipsam mortem. p. 331. Cibum & potum in cœna dicit esse merum panem & vinum, quantum ad substantiam, esse autem res sanctas, ratione usus, sicut etiam panes propositionis fuerint in Veteri Testamento, 2. Sam. 21. Idque probari dicit, tum ex verbis scripturæ, panem & vinum ex-

presse vocantis, tum ex sensibus nostris, visu & gustu, pag. 332. Vnde infert, errare eos, qui statuunt cibum cœnæ corpus, & potum sanguinem Christi esse; sive dicant corporaliter, sive spiritualiter, ibidem. Rejicit autem Lutheranam verborum Christi interpretationem, quia nimirum literalis expositionis necessitas non possit demonstrari, pag. 333. Approbat igitur figuratam sive tropicam. 1. Quod impossibile sit, hominis carnem & sanguinem in propria significatione edere & bibere. 2. Quod sit etiam horribile & absurdum, si proprie intelligatur, p. 354. 3. Et plane inutile, p. 335. 4. Denique quod pugnet contra præcipuos articulos fidei, p. 336. Vbi simul negat, Christum in Cœlo habere carnem & sanguinem: siquidem caro & sanguis regnum Dei possidere non possit, *1. Cor. 15. v. 50.* Postea Calvinianorum opinionem, quos subtiliores & leniores salutat, p. 338. 339. refellit: ut etiam Papistarum.

VI. Christum appellasse panem suum, corpus, & vinum suum, sanguinem, hanc unicam ob causam, contendit, pag. 340. Quatenus nimirum panis frangitur & manducatur, & quatenus vinum in calicem infunditur, & bibitur, ad corporis Christi pro nobis fracti, & sanguinis pro nobis effusi, præfigurationem & adumbrationem, p. 341. Quod confirmat ex *Exod. 12. vers. 26. 27. Levit. 24. vers. 2. Num. 21. vers. 16.* Addit etiam illam rationem, quod Christus panem, quatenus frangitur, corpus suum vocare potuerit, ut discipulis futuram fractionem sui corporis, hoc est, passio-

passionem & mortem eo modo adumbraret, & quasi ante oculos poneret, p.341. Itemque vinum, quatenus in calicem infundebatur, sanguinem vocarit, quoniam sanguinem Christi mox fundendum, debuerit adumbrare, p.342. Idque confirmari putat ex *Ezech.5.v.5.* Unde concludit, tam credentes, quam non credentes præter panem & vinum nihil amplius in cœna accipere, ibidem.

VII. Modum celebrandæ cœnæ describit, pag. 343. nimirum a toto cœtu, non ab uno tantum: neque ægrotis domum deferri concedit. Deinde ait panem esse frangendum & manducandum, & vinum infundendum calici & bibendum: hoc satis esse, quantum ad formam cœnæ attinet, p.344. Et quidem sedentes cœnam se celebrare scribit, exemplo discipulorum: permittere tamen, ut etiam a stantibus celebretur: nequaquâ vero a provolutis in genua: neque finit, panem ingeri ori. Imo negat opus esse, ut minister Ecclesiæ cœnam distribuit: sed posse quemlibet de pane, mensæ impositio, accipere, & manducare, itemque ex poculo bibere, p.345. Si tamen a pastore distribuatur panis, non improbat, ita ut calix a pastore detur proximo, qui ubi bibit, tradit secundo, secundus tertio, & ita deinceps. Ibidem.

VIII. *Nota* primo: *Sacram Domini cœnam non esse convivium commune sive profanum, sed sacrum & solenne, ab ipso Christo institutum. De quo ex institutione divina iudicandum est. Cujus institutionis verba accipienda sunt, ut sonant in ipsa litera:* Ex propria sede judicandum de S. cœna.

nec

nec admittenda peregrina interpretatio ex locis alienis. Omne enim Christianæ doctrinæ caput est ex eo loco, sive ex iis locis, proponendum & confirmandum, ubi ex professo tractatur. Tota igitur specialis de cœna sacra doctrina proferenda est ex Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Corinth. 10. & 11. capp. *Quorum locorum diligentissima collatio nostram solide confirmat sententiam, & tropicam verborum Christi expositionem fortissime refellit. Qua de re vide, si libet,* tom. III. Gissens. disp. 6. 7.

Quisquis igitur a verbis institutionis, & perpetuo consensu Matthæi, Marci, Lucæ, & Pauli, ad peregrinam, eamque tropicam, & divinis literis ignotam, interpretationem declinat, fieri non potest, quin periculosissime erret, & pro divino dogmate, commentum humanum amplectatur.

Consensus inter Calvinistas & Photinianos in multis.

IX. Nota secundo. *Tametsi a Calvinianis dissentire se Photiniani (ob singularem causam) profitentur: iisdem tamen utrique fundamentis nituntur, ad nostram oppugnandam, & suam confirmandam sententiam. Id quod evidenter ostendit argumentorum utriusque partis collatio. Vno enim ore negant τὸ ῥητὸν verborum cœnæ: ex iisdem principiis communibus, quia ea sententia sit absurda, impossibilis, inutilis, & repugnet præcipuis articulis fidei. Vtrique fingunt tropicam expositionem. Vtrique urgent analogiam inter panem & corpus itemque vinum & sanguinem Christi: in eaque formam cœnæ ponunt. Vtrique negant: corpus & sanguinem Christi in terris præsentia adesse posse: tametsi ex suo quodam principio peculiari*

ri Photiniani, ad quod postea respondebitur. Vtrique negant indigne manducantes quicquam aliud praeter panem & vinum (quantum ad substantiam attinet) accipere. Qui consensus fortasse effecit, ut Osiorodus Calvinianos subtilitatis & mansuetudinis titulo, pro Lutheranis, exornare voluerit.

X. *Nota* tertio. *Osiorodi expositio verborum Christi in coena pulcherrime convenit cum Zvvinglii, Piscatoris, & aliorum Zvvinglianorum interpretatione: & inprimis quae de analogia Osiorodus affert, ita sunt comparata, ut ex Calvinianorum Marpurgensium, de analogica panis fractione, tractatibus descripta videri possint. Hactenus igitur, quae Zvvinglianis fundamenta a nobis opposita fuerunt, Photinianos etiam refutant.* Vide tom. III. Giessen. disp. 8. *analogiae Sacramentariae, & panifragio adumbrativo oppositam.* Conformis expositio Zvvinglianorum & Photinianorum.

XI. *Nota* quarto *contra utrosque.* 1. *Propter absurditatem rationis humanae non est deserenda proprietas verborum Christi. Fides enim nostra non rationi nostrae, sed verbis Christi innititur.* Pro literali interpretatione. 2. *Naturae humanae in Christo veritas & proprietates non sunt opponendae divinae institutioni coenae. Quia Christus non tantum est homo, verum etiam Deus: qui potest omnia, quae vult. Quid autem velit in sacra coena, ostendunt verba institutionis clara & perspicua: a quibus discedere, est voluntatem Christi pervertere.* 3. *Quicquid instituit Christus, conjunctum est cum sapientia & virtute divina: Quare neque absurdum, neque inutile, neque impossibile dici debet. Et quia Christus est veritas:*

insti-

institutio sacræ cœnæ non repugnat aliis articulis fidei. 4. Adscensio Christi in cœlos gloriæ & virtutis divinæ argumentum est, non infirmitatis. Insulte igitur concluditur: Christus adscendit ad cœlum: Ergo non potest corpus suum nobis dare manducandum in cœna, quæ celebratur in terris.

Contra analogiam Calvinianam & Photinianam.

XII. *Nota* quinto. 1. *Christus in Veteri Testamento promissus & typis adumbratus, in Novo exhibitus est. Typica igitur Sacramenta non sunt Novi, sed Veteris Testamenti propria. Ergo dicere, in cœna per typum adumbrari sanguinem Christi, est Novum Testamentum convertere in vetus.* 2. *Symbola sacræ cœnæ sunt ex divina institutione, non in sua proprietate sive facultate naturali, æstimanda. Aliud enim est qualitas panis & vini naturalis, etiam extra sacram cœnam, in quovis communi convivio: aliud eorundem officium sacrum in sacra cœna, dependens ex institutione Christi. Errant ergo, qui dicunt, panem & vinum in sacra cœna principaliter adhiberi, ut naturali sua facultate adumbrent sive præfigurent alimoniam cœlestem. Vt enim in Baptismate homo abluitur aqua, non ut purgentur sordes corporis (nam is baptismi finis non est, neque officium ministri Ecclesiæ; sed talis emundatio alium locum, aliud tempus, & alias personas requirit) verum ut regeneretur & renovetur,* Iohann. 3. Ephes. 5. Tit. 3. 1. Petr. 3. *Sic etiam in sacra cœna panis & vinum non usurpantur ad recreandum corpus, & vitam naturalem conservandum (nisi ex sacra*

cœna

cœna convivium vulgare, & ex fine mystico rem naturalem facere velis, hoc est, mysterium & naturam confundere:) sed D. Apostolo teste 1. Corinth. 10. v. 16. ut sit communicatio corporis & sanguinis Domini. 3. Similitudo inter cibum naturalem & spiritualem non constituit formam sacræ cœnæ, sed illustrat formam & effectum illius. Huc igitur analogia referri debet: eaque variis modis applicari potest. *Vide* Tom. III. Giss. disp. 8. th. 12. & seqq.

XIII. *Nota* sexto. *Finis* sacræ cœnæ est, recordatio, ἀνάμνησις, mortis Dominicæ, nimirum ut ex pia meditatione Evangelii memoria repetamus historiam totius obedientiæ Christi, cujus complementum fuit mors; quod nimirum nos liberaverit ex potestate diaboli & mortis, expiarit peccata, adduxerit iustitiam, &c. uti supra artic. 3. & 4. exposuimus: eaque beneficia vera fide nos applicemus, & pro iis Deo gratias agamus, &c. ut in explicatione hujus articuli supra ostendimus. Et negas, Ostorode, sacram cœnam nos admonere de morte Christi? quam καταγγέλλειν, annunciare jubet Apostolus eos, qui cœna utuntur, 1. Corinth. 11. vers. 26, itemque: Hoc facite, scribit ex ore Christi, vers. 26. εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, in mei recordationem. Adeone merito Christi & applicationi beneficiorum ejus per fidem iniquus es, ut tam manifestam veritatis lucem obscurari velle non dubitet? Quid enim ἀνάμνησις sit, Græce doctis notum est: & locus Hebr. 10. vers. 3. nostram sententiam non oppugnat, sed clarissime confirmat.

Et

Et fateris ipse pag. 331. Daß des HErrn Nachtmahl zu seiner Gedächtnüß eingesetzt sey. *Et cur opponis ista duo? per mortem, inquit, fit remissio peccatorum: Ergo non per recordationem mortis. Sed neque prius tu sincere credis, ut ostensum fuit in articulo quarto: neque posterius recte intelligit. Nos orthodoxe affirmamus, per mortem Christum peccata nostra expiasse (en causam meritoriam!) eamque peccatorum remissionem in usu cœnæ nobis offerre, & per fidem applicare. En causam organicam! Meritum & ejus applicatio non opponenda, sed subordinanda sunt. Photiniani igitur, hostes meriti Christi, applicationem eodem modo, quo ipsum meritum, planissime negant & rejiciunt. Atque hæc causa primaria est, ob quam a Calvinianis se dissentire profitentur in doctrina de cœna.*

XIV. Frivolum est argumentum Ostorodi: *Christiani ante usum cœnæ meminerunt mortis Christi, & debent in fide & charitate accedere ad mensam Domini: Ergo cœna Domini non est admonitio de morte Christi.* Nam diserte ipse Christus institutione cœnæ: Hoc facite, inquit, in mei recordationem, ἀνάμνησιν. Omnis autem ἀνάμνησις ante se requirit μνήμην: recordatio non est, nisi eius rei, cuius antea meminimus. Notatur igitur nostræ naturæ vitium, quod facile Christi obliviscamur, & ipsius beneficiorum per mortem acquisitorum. Excitat ergo Christus mentem nostram, & refricat memoriam, in celebratione sacræ cœnæ: ut manducantes cum benedicto pane corpus, & bibentes ex benedicto calice sanguinem

nem ejus, pia devotione meditemur & recolamus integram passionis dominicæ, adeoque totius obedientiæ, ab ipso pro nobis præstitæ, historiam, eiusque beneficia fide nobis applicemus: quando singulis communicantibus dicitur: Accipe, manduca, hoc est corpus Domini Iesu Christi, pro *TE* in mortem traditum: Accipe, bibe, hoc est sanguis Iesu Christi, pro *TE* effusus in remissionem peccatorum. Sed, ut dixi, hostes meriti Christi Photiniani neque audire hæc sustinent, neque plus verbis Christi, quam suis præconceptis opinionibus deferre volunt. Vnde non mirum, eos negare, quod cœna dominica possit agere in mentem hominis. Solus enim panis & merum vinum natura sua non sunt nisi corporis alimenta. Sed eadem, verbo Christi inclusa, aliud officium sortiuntur, nempe mysticum. Ac proinde sacra cœna nos nutrit ad vitam æternam, non ex naturali virtute panis & vini, sed quia in ea, mediantibus symbolis illis, participes reddimur corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, juxta ipsius verba: Edite, hoc est corpus meum: Bibite, hoc est sanguis meus, &c.

XV. *Excipiunt, Christum in cœlo non habere carnem & sanguinem: Dari igitur illa, & a nobis edi & bibi non posse.* Resp. Atqui hæc ratio locum non habebat in prima cœna, ubi Christus assidebat mensæ. Neque adscensio in cœlum mutavit veritatem institutionis dominicæ: Alias D. Paulus monere de ea re debuisset, qui in cœlo a Domino ipso fuit edoctus 1. *Corinth.* 11. *vers.* 23.

Idem igitur corpus & eundem sanguinem Christi in sacra cœna accipiunt Christiani, quod corpus & quem sanguinem in prima cœna Apostoli acceperunt. Erroneum enim est, a mutata qualitate inferre mutationem ipsius essentiæ. Non abstulit cœlestis gloria & maiestas naturæ humanæ Christi veritatem. Sunt quidem & nostra corpora futura a resurrectione πνευματικὰ, spiritualia, 1. *Corinth. 15. v. 44.* Vera tamen corpora manebunt, nec in Spiritus convertuntur. Dictum igitur Apostolicum *vers. 50. Caro & sanguis regnum Dei hæreditare non possunt*: non de ipsa naturæ humanæ substantia, sed de ipsius corruptibilitate intelligi oportet, ut ex toto eo argumento, quod ex professo ibi tractatur, planum est. Nec in alia carne Christus apparebit in judicio, quam ea ipsa, quam per adscensionem intulit cœlo. Summa: Christus est nobis consubstantialis in natura humana, *Hebr. 2. v. 14.* Fratrem ergo Christum habere non potest, qui nostræ in eo naturæ veritatem negat. De quo argumento plura dicemus infra artic. 17. de extremo judicio. Confer *Iohann. 19. v. 26. 27.* Porro cicatrices in Christi resuscitati corpore non arguunt naturæ mortalitatem sive infirmitatem, quod Photiniani somniant, sed divinam οἰκονομίαν sive dispensationem, ad fidem resurrectionis confirmandam.

XVI. Christum propriis viribus qui resurrexisse negant, a morte victum statuant oportet.

At

At scriptura affirmat contrarium, nempe Christum per mortem aboleviſſe eum, qui mortis habebat imperium, *Hebr.2.v.14.* Imo, qui carnem Christi vera fide manducant, habent vitam æternam, & Christus ipſos reſuſcitabit in extrema die, *Iohann.6. verſ.54.* Vide ſupra articulo 3. de Chriſto.

XVII. Graviter peccant, qui finem paſſionis urgent contra veram corporis Christi in ſacra cœna præſentiam. Sic enim fructus ſacræ cœnæ commendandus eſt, ut ipſa etiam ſubſtantia eiusdem integra ſervetur. *Edite*, inquit Chriſtus, *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur.* Quæ eſt deſcriptio veri corporis filii Dei, ne pro vero corpore ſignum ſive typus corporis ſubſtituatur. Cave igitur pro relativo: *Quod*: ſubſtituas: *Quale*, ſive: *Quatenus*: hoc eſt, non debet fieri ſaltus ex prædicamento ſubſtantiæ, ad prædicamentum qualitatis. Ex qua obſervatione multa, tum Calviniſtarum, tum Photinianorum, ſophiſmata refelli poſſunt. Hoc igitur demonſtrato, nempe verum corpus ipſius filii Dei ibi deſcribi, poſtea recte additur notatio fructus paſſionis, ut conſtet, quo fine corpus Domini a nobis ſit manducandum, nimirum ut participes reddamur beneficiorum, quæ paſſione ſua & morte Chriſtus nobis acquiſivit.

XVIII. Fons omnium errorum Photinianorum in hoc capite eſt, quod ſacram cœnam non agnoſcunt pro medio divinitus inſtituto ad offerendum aliquid nobis, & ad fidem confirmandam,

sed habent pro opere quodam nostro, quod a nobis præstetur Deo juxta ipsius mandatum. Atque hæc causa est, cur etiam appellationem Sacramenti reiiciant: ne scilicet cogantur concedere, in cœna nobis offerri aliquid & donari a Christo: cujus meritum hostiliter persequuntur, neque alio loco Christi mortem habent, quam si quis in amici sui gratiam aliquid duri patiatur: neque fidem concedunt fundari in Christo pro nobis præstita obedientia, quippe quem satisfeciisse pro nobis vehementissime negant. Cœna igitur sacra Photinianis est opus quoddam, a Christo mandatum, quo ipsi non a Christo quicquam accipiant, sed potius Christo honorem præstent, dum frangendo & manducando panem, & fundendo & bibendo vinum, colloquium instituant de morte Christi, & commemorent, quam acerba passus sit: ut eo exemplo & ipsi invitentur ad obediendum Deo, &c. Quæ quam longe discedant a verbis institutionis, cordati vident.

ARTICVLVS XI.

DE CONFESSIONE.

COmmode annectitur doctrinæ de sacra Domini cœna locus de Confessione & absolutione: cum sit necessarium & salutare, ante usum istius Sacramenti peccata confiteri, & ab iis absolvi: idque in Ecclesia laudabili more semper fuisse receptum historiæ testan-

stantur. Nec enim sine gravissima causa dixit Christus, Matth. 7. v. 16. *margaritam pretiosam non esse canibus proiiciendam. Sic autem sonat articulus*:

De Confessione docent, quod absolutio privata in Ecclesiis retinenda sit: quanquam in Confesione non sit necessaria omnium delictorum enumeratio. Est enim impossibilis, juxta Psalmum. Delicta quis intelligit.

I.

Desumptus est hic articulus ex cap. II. D. Lutheri Tom. V. Ienens. fol. 16. b. cuius sunt haec verba: Daß die heimliche Beichte nicht solle gezwungen werden mit Gesetze/so wenig/als die Tauffe/ Sacrament/Evangelium sollen erzwungen seyn/ sondern frey/ doch daß man wisse/wie gar tröstlich und heilsam/ nützlich und gut sie seye/den betrübten oder irrigen Gewissen/dieweil darinnen die Absolution/das ist/ Gottes Wort und Urtheil gesprochen wird/ dadurch das Gewissen loß und zu frieden wird von seinem Bekümmernüß/ sey auch nicht noth alle Sünde zu erzehlen/ man mag aber anzeigen die/ so das Hertz beissen und unruhig machen.

II.

Iudicium Caroli Caesaris & Principum Pontificiorum.

Approbat Cæsar & principes tanquam Catholicum, & veræ fidei conveniens, quod Confessio dicit, retinendam in Ecclesia absolutionem privatam cum Confessione. Duo vero desiderant: unum, ut Confessionem observari faciant a subditis annuatim: alterum, ut confessuri, si omnia non possint peccata enumerare, integram tamen faciant Confessionem eorum, quæ diligenti examine & discussione venerint in memoriam, de cæteris, quæ mentem subterfugiant, Confessionem faciant generalem, dicentes cum Psalmista, *Ps.* 18. Ab occultis meis libera me Domine.

Andreas Fabricius Leodius *accusat Apologiam, ex qua, & aliis scriptis, constare dicit, voluisse confessores hunc præcipuum disciplinæ Ecclesiasticæ nervum rescindere, ac e medio prorsus auferre. Et ad dictum*: Delicta quis intelligit? *excipit de nonnullis intelligi, non de omnibus. Lutherum etiam arguit impietatis, quoniam sublata Confessione scelera fuerint multiplicata.* Sed hæc nullam merentur responsionem: cum vel ex hoc articulo constet, Lutherum Confessionem privatam non improbare, sed approbare & commendare. Et ostendit collatio, scelerum omnis generis multitudinem maiorem esse apud Pontificios, quam confessores.

Io-

Iohannes a Daventria *priorem hujus articuli partem dicit esse Catholicam: posteriorem perniciosam, nimirum quod non sit necessaria in confessione omnium delictorum enumeratio. Sed corrigit seipsum, subjiciens, haud multum incommodi habere Confessorum sententiam, si dictum*: Delicta quis intelligit? *accipiatur de peccatis, quorum post justam examinationem, pœnitens non recordatur.*

Iohannes Cochlæus *durior est, fraudem & decipiendi libidinem tribuens Confessoribus. Et inter cætera ita loquitur. Si non dixeris prius iniquitates tuas, justificari non poteris. Et post pauca: Tenemur, inquit, omnia peccata dicere, quæ scimus, quæcunque conscientia nostra accusat & arguit. Quia si dividimus Confessionem, quædam peccata dicentes, quædam vero obticentes data opera, non poterit plena esse per absolutionem in conscientia pacatio, quies & tranquillitas. Denique allatis quibusdam pro Confessione stabilienda argumentis, & reprehensa hominum in facienda Confessione negligentia. Summissas dicit inique redargui propter circumstantias peccatorum: quia nimirum illi non requirant omnes, sed est tantum, quæ peccatum aggravant.* De quo quid habendum sit, postea ostendemus.

Iohannes Hoffmeisterus: *Amplectimur, inquit, hunc articulum tanquam Catholicum: Et postquam graviter reprehendisset Zovinglium & Oecolampadium, his verbis concludit: Constituantur, inquit, Confessores, quos vocant, vitæ sanctimonia & eruditione probati, quique salute animarum*

rum nihil antiquius habent, & abunde reformata fuerit Confessio.

Georgius Cassander, *in consultatione hoc tanquam novum notat, quod Confessio a Sacramento pœnitentiæ separatur, cum sit illius pars. Approbat autem privatam Confessionem: & de enumeratione peccatorum ita disserit: ut affirmet, neminem moderatum approbare nimis anxiam inquisitionem omnium circumstantiarum,* quæ in multis conscientiæ carnificinam gignit. *Moderationem igitur in hoc argumento commendat, & his verbis concludit:* Credo, *inquit*, de hac re controversiam nullam fuisse futuram, si non salutaris hæc confitendi medicina ab imperitis & importunis medicis, multis inutilibus traditiunculis infecta & contaminata fuisset, quibus conscientiis, quas extricare & levare debebant, laqueos injecerunt, & tanquam tormentis quibusdam excarnificarunt. *Quapropter huic rei occurretur, si pii tantum & prudentes viri huic utilissimo & sanctissimo audiendæ Confessionis & absolutionis impertiendæ ministerio præficiantur, qui hominum conscientias perite tractare possint: quorum dexteritate facile fiet, ut confessio, quæ hactenus multis onerosa & molesta visa est, ut plena spiritualis consolationis ab omnibus ultro expetatur.*

III.

Analysis articuli XI.

Duo sunt articuli hujus membra, 1. de privata peccatorum Confessione, quæ approbatur. 2. pecca-

peccatorum omnium cum suis circumstantiis enumeratione, quæ rejicitur: addito argumento ex Psalm. 19. v. 13. Delicta quis intelligit?

De Confessione.

I. Verbum *confiteri* in scripturis non semper usurpatur in eadem significatione. *Primo* generaliter significat, aliquid testari, & certo affirmare. *Secundo*, Deum agnoscere, invocare, celebrare, eique gratias agere. *Tertio*, agnoscere & confiteri peccatum aut culpam. Hinc apud Augustinum Confessio gemina est: una laudis, qua Deus celebratur; altera fraudis, qua coram Deo peccata nostra confitemur, eaque deploramus. Est & Confessio mutua charitatis, de qua Jacobus loquitur *cap. 6. v. 16.* Confiteri

II. Hoc loco inprimis de ea Confessione agitur, qua coram Deo & Ecclesiæ ministro delicta nostra confitemur, & petimus in nomine Christi ab iis absolvi. Quæ duplex est, *publica & generalis*: quæ fit publice ab omnibus in Ecclesia, præeunte verbi ministro, atque omnibus ac singulis credentibus publice absolutionem a peccatis, Dei loco, annunciante. Vel *particularis* & privata, quæ præire solet administrationi sacræ cœnæ? quæ communicaturi peccata sua confitentur, & absolutionem petunt. Quæ confessio vel fit *universaliter* ab omnibus communicaturis simul, voce præeunte ministro: vel *particulariter* a singulis: quando nimirum singuli ordine ministrum Ecclesiæ adeunt, eique tanquam Dei servo peccata sua confitentur, & eorundem veniam in Confessio duplex.

Christi nomine petunt. Hæc proprie vocatur *Confessio privata*: quæ rursum dividitur in *generalem*: qua in genere quis confitetur, se miserum esse peccatorem, & omnem veniæ spem habere positam in divina misericordia per Christum mediatorem: *& specialem*, qua in specie peccata quædam enumerantur, quæ inprimis conscientiam premunt & affligunt, & ab illis, & cæteris omnibus, absolutio per Christum petitur.

III. Quæ privata specialis Confessio in eo differt ab *auriculari* Papistarum Confessione, quod *hac* requirat enumerationem rigidam & exquisitam peccatorum omnium cum suis circumstantiis, ita quidem, ut peccata speciatim non enumerata, modo confitens eorum per accuratissimam dispositionem possit recordari, remitti negent: *illa* vero carnificinam istam repudiet, contenta Confessione generali, cum annexa istorum peccatorum enumeratione, quæ conscientiam inprimis urgent. Et sunt multa alia, quæ hanc ab illa diversissimam esse ostendunt, ut infra annotabimus: ne ulla Calvinianis causa relinquatur, nostram de privata Confessione doctrinam traducendi, tanquam cum Papistica consentientem.

Privata Confessio retinenda in Ecclesia.

IV. Thesis igitur hæc est Augustanæ Confessionis: *Privata Confessio & absolutio in Ecclesia retinenda est*: quia singuli confitentes coram Deo & ministro Ecclesiæ peccata sua (sive in genere tantum: sive etiam certa quædam in specie) confitentur, ab iisque nomine Christi unici redemptoris petunt absolvi.

V. Fun-

V. Fundamenta ejus sententiæ in scripturis multa possunt demonstrari. Et primo quidem, Deo esse confitenda peccata, apud omnes constat. Deinde ministris Dei confessionem esse faciendam, vel inde liquido patet, quoniam ipsi in Christi nomine absolvunt confitentes a peccatis: Quo nomine claves regni cœlorum ipsis commendatæ sunt, ut & ligare peccata (in impœnitentibus) & solvere (in vere credentibus) debeant & possint, *Matth. 16. & 19. c. 18. v. 18. Ioh. 20. v. 10. Etsi enim Dei solius est peccata remittere: tamen facit hoc tum immediate, ut* Gen. 3. v. 15. *tum mediate, per suos ministros sive legatos, ut vere statuendum sit, absolutionem per ministrum in Christi nomine factam esse organon sive medium, per quod Sp. sanctus efficaciter operatur, adeoque ipse Christus peccata condemnat, justitiam largitur, gratiam applicat & obsignat, Matth. 9. v. 8. c. 16. v. 19. Ioh. 20. v. 21. 2. Cor. 3. v. 6. c. 5. v. 20.* Qua de re utiliter repetentur dicta in articulo 5. de ministerio verbi & Sacramentorum.

VI. *Exempla Confessionis*, coram ministris Ecclesiæ factæ, multa occurrunt in V. & N. Testamento. Etenim qui sacrificia pro peccatis obtulerunt, hoc ipso confessi sunt sua peccata, & eorum petierunt remissionem, *Lev. 4. & 5. c.* Sic Achan peccatum suum fatetur, *Iosua 7. v. 19. 20.* Sic David ad Nathan: peccavi Domino, inquit, *2. Sam. 12. vers. 13. Vide etiam Nehemiæ 9. vers. 2.* Eodem modo de Johanne Baptista testatur, *Matth. c. 3. v. 6.* quod coram ipso peccata sua confessi fuerint, qui

qui baptizari ab eo vellent. Ita dicitur *Act. 19. v. 18.* quod multi credentium confessi fuerint suos actus. Qui tamen locus ab aliis aliter, &, ut opinor, rectius exponitur. Quæ & similia exempla quando a Pontificiis ad Confessionem auricularem torquentur, alia responsione opus non est, quam ut rextus ipsi Biblici inspiciantur, qui seipsos clarissime ab ea depravatione vindicare possunt.

Confessionis utilitas?

VI. Cur autem privata Confessio & absolutio in Ecclesia sit retinenda, &, ubi abolita est, restituenda, causæ multæ proferri possunt, tum quoad Ecclesiam, tum quoad ministros, tum denique quoad ipsos auditores. *Propter Ecclesiam* utilis est privata Confessio & absolutio, quoniam per eam conservatur bonus ordo, & authoritas atque reverentia ministerii, & refutantur Novatiani, & doctrinæ puritas custodietur, ne errores invehantur, & discernitur vera Ecclesia ab omnibus iis, qui tenuiter sentiunt de clavibus regni cœlorum.

Propter ministros est necessaria, ut tanquam dispensatores mysteriorum Dei, hac exploratione rectius sibi caveant, ne sanctum projiciant canibus, & indignis cœnam Domini porrigant; & ut possint suum in omnibus facere officium, informando rudiores, errantes reducendo, securos corripiendo, pavidos erigendo & confirmando, &c.

Denique *propter auditores* est valde salutaris, quia in hoc examine institutionem & consilium a fidei suo pastore petunt & consolationem, longeque

que major in ipsis fiducia nascitur, cum audiunt singuli κατ' ἰδίαν, *Confide fili, sive filia, remittuntur tibi peccata tua, Matth. 9. v. 2.* Sicut Nathan dicit Davidi: Transtulit Dominus a te peccatum tuum, *2. Sam. 12. v. 13.* Et locum hic habent fideles admonitiones & correptiones, quarum usus & efficacia in hoc actu major conspicitur, quam in generalibus concionibus. Testantur etiam auditores in Confessione, se revereri ministerium, tanquam ab ipso Deo institutum; & lætiore animo ad sacram cœnam veniunt, certo persuasi, se non indignos esse in sacro illo convivio hospites, cum sint ex Dei mandato per ministerium a peccatis suis absoluti. Magnam igitur consolationem perturbatis conscientiis affert privata absolutio, quemadmodum pii experiuntur in ipsa praxi. Vehementer igitur optandum & laborandum est, ut ibi intercidit privatæ Confessionis & absolutionis usus, quam primum reducatur & conservetur.

IV.

Papistarum sententia de peccatorum omnium enumeratione cum circumstantiis.

Rejicitur talis omnium peccatorum commemoratio, tanquam impossibilis, & ut misera carnificina conscientiarum, quemadmodum multi ex ipsis Pontificiis agnoscunt & fatentur. Hac v. Concilii Tridentini sess. 14. c. 5. Can. 6. 7. 8. & Bellarmini lib. 3. de pœnitentia, sententia est, in Confessione Sacra-

Sacramentali ſacerdoti omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, a pœnitentib. eſſe recenſenda, etiamſi occulteſſima illa ſint: easque præterea explicandas eſſe circumſtantias, quæ ſpeciem peccati mutant. Et hanc confeſſionem eſſe jure divino mandatam, affirmat Bellarminus, multisque argumentis conatur demonſtrare. Sed fruſtra. Nam ipſi textus inſpecti ſtatim diverſum teſtantur. Et Panormitanus ſuper c. omnis utriusque de pœnitentia & remuſione, cum prolixe de hac re diſputaſſet, tandem concludit, eam non divini, ſed humani juris eſſe. Idemque confirmat gloſſa juris Canonici, his verbis: Melius dicitur, Confeſſionem iſtam inſtitutam eſſe ab univerſali quadam Eccleſiæ traditione, quam ex V. aut N. Teſtamenti authoritate. *Neque fuit clancularia illa & auricularis omnium peccatorum confeſſio in uſu in primitiva Eccleſia. Et multa poſſunt egregia ſententia ex antiquiſſimis ſcriptoribus proferri, quibus illa graviter refutatur. Et quis non videt ejus abſurditatem: Erant certa in V. T. ſacrificia inſtituta pro peccatis ignorantiæ, Lev. 4. & clariſſimum eſt dictum Pſal. 19. v. 13. Peccata quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Quanta caligo eſt humanæ mentis in omnibus vitæ actionibus, aut errare ſe non ſentiat, cum errat periculoſiſſime? Sed quid opus immorari quæſtioni per ſe planiſſimæ?*

Errores cæteri Pontificiorum de Confeſſione annotabuntur & refellentur in artic. ſequenti 12. de pœnitentia.

V.

V.

Sententia Calvinianorum de Confessione.

I. Calviniani plerique hanc vere Evangelicam, & ad probationem, & institutionem auditorum, & ubi opus est, correctionem, adeoque efficacem consolationem utilissimam, privatam illam Confessionem, ex Ecclesiis suis eliminarunt, tanquam a Papa, ut quidem fingunt primitus introductam. *Vide Calvinum in 2. Defensione contra Westphalum*, ubi privatæ absolutionis originem alibi, quam in fœtidis Papæ lacunis, reperiri negat *pag. 712. Genev. Anno 1597.* Qui tamen longe rectius sentit & scribit *lib. 3. inst. c. 4. & 12. 13. 14. Certe in Catechesibus suis Zwingliani, & in praxi Ecclesiastica nihil de privata illa Confessione tradunt aut præscribunt. Ludovicus Lavatherus de ritibus Ecclesiæ Tigurinæ fol. 14. p. 2. c. 14.* privatam inquit, Confessionem & absolutionem Tigurina Ecclesia non retinuit: quia caret præcepto & exemplo scripturæ. Contenta est publica illa confessione, quæ ab omnibus, ministro præeunte, soli Deo fit.

II. Cujus rei hæc præcipua causa est: quod de virtute ministerii Evangelici non recte sentiant: in quo tamen aliqua est inter ipsos diversitas, ut ostendimus in artic. 5. ubi vide. Quia enim separant ministerium externum ab interno, & semper respiciunt ad absolutum suum decretum de

Apol. A. C. p. 516. Claves vere coram Deo remittunt peccata.

de paucis simpliciter electis, & plurimis præcise reprobatis; absurdum illis videtur, adeoque impium, ministris Ecclesiæ tribuere facultatem absolvendi a peccatis, tanquam soli Deo propriam. Quomodo totam doctrinam de clave ligante & solvente misere illi corrumpunt, & quantum in ipsis est, divinam efficaciam ei detrahunt: separando ea, quæ Deus ipse arctissime copulavit. Sed, ut dixi, non eadem hic est omnium Calvinistarum sententia.

VI.

Photinianorum doctrina de Confessione.

1. Catechesis Racovienſis de disciplina Ecclesiæ Christi disputans, p. 308. & seqq. castigandos esse docet ordinis, in Ecclesia recepti, contemptores, *privatim ex cap. 18. Matth. v. 15. 16. 17. & publice*, primum quidem verbis & oratione, ex *1. Tim. 5. v. 20. & 2. Cor. 2. v. 6.* deinde etiam *facto*: idque duplici modo: Primum, ut eorum vitetur societas, sed adhuc tamen tanquam fratres admoneantur: deinde, ut ex Ecclesia ejecti pro alienis prorsus habeantur, ex *1. Corinth. 5. vers. 11. 2. Thess. 3. v. 6. 10. 14. 15.* itemque ex *2. Thess. 3. vers. 13. Matth. 18. v. 17.* Et his ita exclusis nihil super esse amplius docet, quam exitium, pag. 313. Atque hanc dicit esse ligendi & solvendi potestatem, p. 314. quam his verbis definit: *Est declaratio*, inquit, *& denunciatio secundum Dei verbum, qui sit dignus, qui non, ut sit in Christi Ecclesia.*

Similia

Similia habet Ostorodus instit. Germanic. 29. pag. 207. & seqq.

II. Eadem catechesis in capite de regimine & gubernatione Ecclesiæ Christi, p. 299. ubi officia describit Apostolorum, Prophetarum, Evangelistarum, Doctorum, Pastorum, Episcoporum, Seniorum, diaconorum & auditorum: nullum verbum facit vel de peccatorum confessione, vel ab iisdem absolutione.

III. *Vnde apparet, Photinianos 1. confessionem peccatorum coram Ecclesiæ ministro, de qua præsens articulus agit, contemnere. 2. absolutionem ministri non habere pro medio divinitus ordinato, ad peccatorum remissionem applicandam: sed tantum pro parte disciplinæ Ecclesiasticæ, 3. eamque perperam definire: ac proinde depravare verba Christi: quæ loquuntur de peccatorum vel remissione, vel retentione, eaque non in terra tantum, sed etiam in cœlos valitura, Matth. 18. v. 18.*

IIII. *Neque possunt aliter, salvis suis hypothesibus statuere: quia neque de vocatione ministrorum recte docent, neque de sacramentis pie sentiunt, neque de fide sincere disputant, ipsaque peccatorum remissione: ut supra ostendimus, & latius videbimus art. seqq. 12.*

ARTICVLVS XII.

DE POENITENTIA.

Cognatus est hic articulus superiori, adeoque Confessio pro parte pœnitentiæ habetur

betur apud Pontificios. Recte autem hoc loco proponitur: quia sine vera pœnitentia & fide sacra Domini Cœna non potest salutariter usurpari. Verba ejus ita habent:

De pœnitentia docent, quod lapsis post baptismum contingere possit remissio peccatorum, quocunque tempore, cum convertuntur. Et quod Ecclesia talibus, redeuntibus ad pœnitentiam, absolutionem impertiri debeat.

Constat autem pœnitentia proprie his duabus partibus: Altera est contritio, seu terrores incussi conscientiæ, agnito peccato. Altera est fides, quæ concipitur ex Evangelio seu absolutione, & credit propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat. Deinde sequi debent bona opera, quæ sunt fructus pœnitentiæ.

Damnant Anabaptistas, qui negant semel justificatos posse amittere Spiritum sanctum. Item qui contendunt, quibusdam tantã perfectionem in hac vita contingere, ut peccare non possint.

Damnantur & Novatiani, qui nolebant absolvere lapsos, post baptismum redeun-

redeuntes ad pœnitentiam. Rejiciuntur & isti, qui non docent, remissionem peccatorum per fidem contingere, sed jubent nos mereri gratiam per satisfactiones nostras.

I.

Desumptus est hic articulus ex cap. 11. D. Lutheri Tomo V. Ienensi fol. 13. b. cujus verba in articulo præcedente undecimo recitata sunt.

II.

Caroli Cæsaris & Catholicorum (Romanensium) Principum responsio.

Primam articuli partem commendant, & justissime damnari Novatianos confirmant. Alteram autem articuli partem omnino rejiciunt, de duabus pœnitentiæ partibus, quam dicunt adversari toti universali Ecclesiæ, quæ usque ad Apostolorum tempore tenuerit & crediderit, tres esse pœnitentiæ partes, contritionem, confessionem & satisfactionem. Nec admittunt illud, quod fides dicitur altera pars pœnitentiæ, addita hac ratione, quod fides sit prævia pœnitentiæ: nisi crediderit, inquiunt, non pœnitebit. Denique nec illam partem admitti posse statuunt, quæ satisfactiones pœnitentiales contemnit, sed expresse concludunt, satisfactiones in Ecclesia abolendas non esse.

Andreas Fabricius *summa vehementia invehi-*

tur in Confessores, ut scribere non vereatur, tot fraudes, tot nequitias esse isto articulo involutas, ut eas nemo facile brevibus explicare possit. Nam & illa reprehendit, qua Cæsar commendat. Et Ecclesiarum Evangelicarum præfectos nominat ministros quinti Evangelii, impuros Apostatas, sacrilegos, cerdones, cupediarios, lenones, carnifices, & quocunque crimine infames. Tum negat, fidem esse pœnitentiæ partem. Tres autem illius partes, contritionem, confessionem, & satisfactionem, evidenter (scilicet) demonstrat. Vt, inquit, *quemadmodum tribus rationibus a Deo deflectimus, corde, ore, & opere; ita etiam ejus gratia adjuti, totidem rationibus ad eundem nobis esse redeundum, sentiamus. Posthac objicit Philippo (quem Grammatelli titulo condecorat) inconstantiam. Neque multo rectius Anabaptistis sentire Lutheranos ait: & Novatianos quidem* nolle *recipere lapsos pœnitentes scribit, sed Lutheranos* non posse *lapsis, etiam cum lacrymis absolutionem postulantibus, eam impertiri. Denique reprehendit mutationem hujus articuli.*

Iohannes a Daventria: *Catholicus est iste articulus,* inquit, *& verus, quantum pertinet ad solum articulum. Addit tamen, non esse æquo animo ferendum, quod contra omnium Catholicorum, imo universalis Ecclesiæ doctrinam, fidem faciunt alteram pœnitentiæ partem: quam ipse dicit omnium bonorum esse causam & originem: idque prolixe confirmare conatur, allato etiam discrimine inter fidem informem, & fidem charitate formatã.*

Tum

Tum fuse examinat Apologiam Augustanæ Confessionis, docens in impii justificatione quatuor coire: nempe culpæ remissionem, gratiæ infusionem, peccatorum detestationem, & hominis liberi arbitrii puram conversionem. Quæ tota tractatio cum admodum prolixa sit, nostri instituti ratio non patitur, eam hoc loco retexere.

Iohannes Cochlæus *putat, facile parari posse concordiam, si non obstaret pertinax, & innovandi & contradicendi, communicandique* (an forte convitiandi) *studium & libido. Ad quam rem profert conciliationem Augustæ institutam: & postea invehitur in Philippum & Apologiam. Vbi damnat propositionem: Sola fide nos consequi remissionem peccatorum, multaque etiam in Lutherum effudit, non digna, quibus refellendis tempus teratur.*

Iohannes Hoffmeisterus: *Quod hic docent de pœnitentia, inquit, contritione, fide, & fructibus pœnitentiæ, mihi per omnia probatur. Quid enim necesse est de verbis contendere, quando de re ipsa nulla est controversia? Postea subjicit hæc verba? Est pœnitentia, inquit, ut licet multa bona opera fecerit, tamen credat, se merito passionis Iesu Christi* NB. *remissionem peccatorum accipere: at remissione accepta, necessum est, ut quanto pejus antea operatus fuerat, tanto ferventius postea virtutum operibus incumbat, ut fiat quasi recompensatio vitiorum fœcunda pietas. Hæc sive fructus pœnitentiæ, sive satisfactionis voces, nihil moramur. Hæc ille: qui postea de Zvinglio, Calvino, Bucero, ut & de Luthero*

& Myconio nonnulla profert, ut Scholasticos facilius excuset: de quibus tamen hoc subjicit judicium, nonnullum esse delectum inter Scholasticos: nec omnia Scholasticorum dogmata ab Ecclesia esse recepta. De quo pronunciato ipsi viderint Pontificii. Denique de peccatorum enumeratione & satisfactione disputat, de quibus paulo post nostram sententiam exponemus.

Alphonsus Virvesius *de hoc argumento tres Philosophicas conjunxit, nonam, decimam, & undecimam, quas totas retexere praesentis operis ratio non sinit.*

Georgius Cassander *in Consultatione, primam hujus articuli partem Catholicæ Ecclesiæ adversus Novatianos consentaneam esse dicit. Et annotat nonnullos ex ordine Scholasticorum affirmare, non familiarem sive privatam pœnitentiam, neque quamvis publicam, sed solennem tantum Sacramentum dici: quæ pœnitentia in ejectione ab Ecclesia in cinere & cilicio peragi solet, & a qua in Canonibus proprie pœnitentes appellantur. Tum novum esse dicit, quo fides pœnitentiæ partibus adjungatur, prætermissa Confessione, & contritioni postponatur. Attingit etiam discrimen inter attritionem & contritionem.* Et recte observat, ut contritio sit salutaris & efficax, fidem sive fiduciam misericordiæ accedere oportere, ut exempla Cain & Iudæ, manifeste declarant. *Quæ verba digna sunt, ut diligentissime annotantur, sicut & illa, quæ ex Hostiense descripsit, quod nimirum ipsa contritio peccata non dimittat: sed in ipsa contritione*

tione gratia Dei donet omnia liberaliter. Quo accommodat dictum Augustini? Nemo tollit peccata nisi solus Christus, qui est agnus, tollens peccata mundi. Vnde infert, remissionem peccatorum nullis hominum meritis obtineri, sed gratis conferri propter unicum meritum Christi. Quæ sententia ut est vere Evangelica, ita non video, quomodo convenire possit Scholasticis, quos ipse quidem negat mentionem fidei prætermittere in pœnitentia; sed certum est, illos fidem non accipere pro fiducia misericordiæ, ut docuimus supra in articulo 4. & 5. Id vero merito commendamus, quod scribit, confessionem nec privatim nec publice debere simplicibus tendere laqueos tentationis.

De satisfactione *hæc ipsius verba adscribere visum fuit. De hac satisfactione, inquit, pag. 87. non tantus erit conquerendi locus, si ex Ecclesiæ sententia in hunc modum doceatur,* quod sola passio & mors unigeniti Filii Dei sit satisfactio & propitiatio pro peccatis nostris, sive eo quod ex origine contraximus, sive iis, quæ ante vel post regenerationem ex carnis infirmitate commisimus: quæ satisfactio offertur & applicatur nobis ministerio Evangelii, id est, verbi & Sacramentorum, accipitur autem fide, quæ & ipsa Dei donum est. *Quamvis autem virtute hujus satisfactionis Christi & culpa & pœna æterna, peccato debita, deletur, certum est tamen, Deum a pœnitentibus, ob graviora præsertim delicta, lacrymas, jejunia, preces eleemosynas, & reliqua vere pœnitentis animi in-* NB.

dicia, ac denique totius vitæ in melius immutationem ac emendationem requirere: quod cum faci-
NB. *mus, Deo satisfacere pro peccato dicimur, non quod precium dignum & sufficiens diluendis peccatis offeramus, sed quod officia illa præstemus, quæ Deus a peccatore, cui filii sui satisfactionem impartiri velit, requirit, &c. Denique* de Canonicis satisfactionibus *in veteri Ecclesia differit, ea moderatione, quæ a nobis quidem commendationem meretur, monachis autem videtur intolerabilis: inprimis, quia inter Scholasticos tale discrimen constituit, pagin. 91. ut a sanioribus ceteri distinguantur. Pro coronide apponit* indulgentias: *circa quarum usum & praxin optime quis (verba ipsius recito, pag. 94.) correctionem & moderationem fieri desiderarunt: quæ parum dextre tractata, hujus declarationis Ecclesiæ præcipuam occasionem dedere. Hic optandum esset, ut Pontifices publicæ paci aliquid concedant.* Hactenus Cassander, ab Imperatoribus Ferdinando & Maximiliano Secundo expetitus & vocatus, ad ostendendam conciliandarum Ecclesiarum rationem: quam si Jesuitæ non impedirent, & Cassandrum indignissimis modis non lacerarent, pax firmior inter Germaniæ principes constare posset.

III.

Analysis articuli 12.

Constat artic. thesi & antithesi. Thesis est, lapsos, si resipiscant, consequi peccatorum remissio-

missionem, ac proinde absolutionem illis in Ecclesia esse impertiendam. Vbi simul describitur pœnitentia suis partibus, quæ duæ sunt: contritio & fides, & consequente sive effectu, nempe bonis operibus. In antithesi triplex error rejicitur. 1. *Anabaptistarum (qui & Calvinianorum est) negantium, simul justificatos amittere posse Spiritum sanctum.* 2. *Novatianorum, qui nolebant absolvere lapsos post baptismum, etiamsi redirent ad pœnitentiam.* 3. *Docentium per proprias satisfactiones mereri nos posse gratiam.*

EXEGESIS.

I. Pœnitentiam a pœnitendo, & hoc a pœna dici, vulgo existimant. Docet autem Aldus Manutius e Virgilio Carpensi & libr s veterib. το pœnitet antiquitus scribi solitum per ae, non autem per oe, sicut pœna, a Græco ποινὴ. Meminerimus nos, vim & significationem vocabuli judicandam esse ex Ecclesiæ usu, & scripta sacra, ut postea annotabimus. Græci vocant μεταμέλειαν καὶ μετάνοιαν. Quæ duæ voces apud profanos quidem authores significatione differunt: in divinis tamen scripturis interdum promiscue accipiuntur, ut exempla ostendunt. Nam *Matth. 21. vers. 29.* filius, qui ante negarat se in vineam iturum, postea μεταμεληθεὶς pœnitentia motu abiit. Μετα- Definitio nominis.

Et v. 32. Vos, inquit Christus Judæis, videntes οὐ μετεμελήθητε non habuistis pœnitentiam postea, ut crederetis ei. Sic Chrysostomus tum Esavi, tum Judæ proditoris pœnitentiam describit verbo μεταγνῶσαι, ubi Matthæus de Juda c. 28, vers. 3. utitur voce μεταμεληθείς. Et D. Paulus 2. Corinth. 7. vers. 10. appellat μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον. Nam μέλει, curæ est, sæpe in optimam partem accipitur, ut Luc. 10. vers. 40. 1. Pet. 5. vers. 7. Μετάνοια vero interdum notat totam hominis conversionem, & tum habet inclusam fidem: interdum vero significat alteram conversionis partem, nempe contritionem, (quo utroque modo etiam pœnitentia vocatur) & tum a fide distinguitur, Matth. 1. vers. 15. μετανοῶτε καὶ πιστεύετε, resipiscite, & credite Evangelio, Luc. 24. vers. 47. in nomine Christi prædicari μετάνοιαν, & remissionem peccatorum, Act. 20. vers. 21. Paulus prædicavit τὸν εἰς τὸν θεὸν μετάνοιαν pœnitentiam in Deum, καὶ πίστιν & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum, Act. 3. vers. 19. μετανοήσατε, καὶ ἐπιστρέψατε, resipiscite vel pœnitentiam agite, & convertimini, Act. 26. vers. 20. conjunguntur itidem μετανοεῖν καὶ ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν θεὸν, Apoc. 2. vers. 5. μετανόησον resipisce, & fac priora opera.

Μετάνοια.

Erronea Calvinianorum distinctio.

II. Ex quibus apparet, eorum opinionem non consistere, qui putant μετάμέλειαν esse pœnitentiam sine fide, & μετάνοιαν esse pœnitentiam cum fide. Neque unquam probare

re potuerunt Pontificii μετάνοιαν esse actionem pœnalem, quæ in dolore ex peccatis anxio, & in satisfaciendi studio ac labore consistat: quemadmodum loquitur Stapletonus in Antidoto super 3. cap. Matthæi.

III. Hebræi vocant theschubah, id est, reversionem, quia per veram pœnitentiam revertimur ad Deum, perinde ac si quis ad viam, a qua aberraverat, revertetur. Germanice, Buß und Bekehrung zu GOtt. Sic Græci utuntur verbo ἐπιστρέφειν, *Luc. 1. v. 16. cap. 22. v. 23. Actor. 3. v. 19. cap. 26. v. 20.* Theschubah.

IV. Est autem *pœnitentia* (ἐλικῶς accepta) *hominis peccatoris ex divina lege agnita peccata dolentis per fidem Christi ad Deum conversio*: quam consequuntur fructus, pœnitentia digni. Definitio rei.

V. Notat hic conversio mutationem, non quamvis, sed eam, qua homo peccator fit alius a se ipso, non secundum essentiam (non enim per pœnitentiam fit ex homine non homo) sed secundum πάθος, ut impius est & peccator: quia nimirum a peccatis convertitur ad Deum, vel, ut est apud Ezech. cap. 33. v. 11. convertitur a via sua, sive a viis pessimis, vel ab impietate sua, ad Dominum, sive ad justitiam, hoc est, ex impio fit pius, ex iniusto iustus. Quemadmodum igitur Esaia teste cap. 59. v. 2. iniquitates dividunt inter impios & Deum, & peccata abscondunt faciem Dei ab impiis: ita vera pœnitentia reducit ad Deum, & cum eo conjungit, faciemque eius revelat, juxta illud: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, *Zach. 1. v. 3.*

VI. *Ter-*

Termin9 a quo: & ad quem.

VI. *Terminus* igitur pœnitentiæ *a quo* est peccatum: *terminum ad quem* est Deus, sive gratia & favor Dei. Et est talis ordo. Per legem agnoscitur peccatum, *Rom.3.v.20.c.7.v.7.* & ira Dei, *Rom. 4.v.15. Deut.27.* Quam sequitur contritio & humiliatio: ut homo incipiat peccatum odisse & detestari, & judicium Dei atque iram metuere. Corde sic contrito & humiliato, Evangelium ostendit Christum, agnum illum Dei, factum pro nobis sub lege, ut obedientia & passione sua pro nobis judicio Dei, in lege patefacto, satisfaceret. Hunc exhibet & offert vera fide apprehendendum, *Rom. 3.v.26. Iob.6, v.40.* Huc etiam pertinet usus Sacramentorum, quibus fides ea confirmatur: sicut Apostolus circumcisionem appellat σφραγῖδα signaculum justitiæ fidei, *Rom.4.v.11.*

Effecta pœnitentiæ.

Denique effecta pœnitentiæ sequuntur, tanquam generosi fructus, nempe bona opera. Fides enim vera non est mortua, otiosa aut sterilis, sed tanquam bona arbor, profert generosos fructus, & est efficax per charitatem. *Gal.5.v.6.* Vnde Baptista, *Matth.3.v.* 8. Facite fructum, inquit, dignum pœnitentia. Et Paulus *Act.26. v.20.* Annunciabam, inquit, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentia opera facientes.

Partes pœnitentiæ.

VII. Partes pœnitentiæ duæ sunt. Prior est *contritio*, seu terrores incussi conscientiæ agnito peccato. Posterior *fides*; quæ concipitur ex Evangelio seu absolutione, & credit propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat.

VI I. Vn-

VIII. Vnde consequitur, bona opera sive novam obedientiam vel renovationem non esse recensenda inter partes exquisite dictas: quia 1. differte dicuntur fructus pœnitentiæ, *Matth.3.v.8. Luc.3.v.8. Actor.26.v.20. Gal.5.v.22.* Et 2. Sunt posteriora ipsa conversione hominis ad Deum, ut exempla conversorum hominum luculente ostendunt, & res ipsa clamat. Bona enim opera sequuntur fidem: fides autem nisi in conversis non est: & quicquid ex fide non est, peccatum est, *Rom. 14. vers. ult.* Et 3. bona opera non constituunt pœnitentiam: ad cujus neque materiam, neque formam possunt referri: cum sint effecta 4. Neque dicuntur fieri in remissionem peccatorum, sicut pœnitentia datur in remissionem peccatorum, *Act.3.v.18.* 5. Denique si obedientia nova pro parte constituente pœnitentiam haberetur, redderet eam plane incertam & dubiam: quia illa tantum inchoatur in hac vita, non perficitur. Vnde semper foret dubitandum, essetne vera conversio, nec ne. Vt taceam absurda reliqua, nimirum remissionem peccatorum fundari in nostris ipsorum operibus: quod sine insigni contumelia Christi affirmari non potest. Bona opera non sunt pars pœnitentiæ.

IX. Contritio *συντρίψις*. Hebræis Schebar, id est, confractio, metaphorica modificatione, definitur, quod sit *cordis, propter agnita ex lege Dei peccata, iram Dei & justissimas pœnas expavescentis & dolentis, seria & vera tristitia sive compunctio.* Contritio.

Quæ

Quæ compunctio sive tristitia semper habet conjunctum dolorem, ut ostendunt dicta, *Esa.* 38.*v.*13.*c.*66.*v.*2. *Psalm.*51.*v.*19. *Ps.*38.*v.*9. *Ps.*6.*v.*3. 4. & oritur ex lege, peccata arguente. Quo nomine etiam intelligendæ sunt calamitates & pœnæ, tum nostræ, tum aliorum, quæ sunt, ut ita dicam, oculares vel visibiles & sensibiles conciones de ira Dei: adeoque etiam huc pertinet historia passionis Dominicæ, quatenus iram Dei, peccata nostra in proprio filio punientis, nobis ob oculos ponit, & homines perterrefacit.

Vis contritionis.

X. Porro quæ sit vis & natura contritionis, recte disci potest ex protoplastorum exemplo: qui, cum essent lapsi, acerbissimos dolores animo persenserunt. Primo nuditatem suam non absq; maxima consternatione adspexerunt. Deinde cum neque promissionem gratiæ haberent (quippe quæ postea demum locuta est) neque ullum extaret reconciliationis exemplum, imo vero Deus justissimæ suæ iræ manifestum edidisset documentum in apostatis angelis: omnino putarunt, tristissimas pœnas sibi paratas, & exitium certissimum immittere. Qui ipsorum dolor vehementer auctus est ex eo, quod viderent, totum humanum genus una secum præcipitari in tantas calamitates. Denique cùm ipse Deus sua voce peccatum eorum accusaret, tanti fuerunt angores & dolores conscientiæ in ipsis excitati, quos nulla hominis lingua exprimere satis potest.

Contritio est pars pœnitentiæ.

XI. Hanc *contritionem esse partem pœnitentiæ*, planum est ex eo, quod geminum diximus esse terminum

minum pœnitentiæ, a quo,& ad quem. Quemadmodum enim in delectatione inordinata fuit motus ad peccatum, ita vicissim in displicentia & detestatione est motus a peccato. Et notum est vel ex ipsa praxi, quid lex efficiat in peccatoribus: quæ est tanquam malleus conterens petras, *Hier. 23. v. 29.* nimirum peccatum arguit, accusat, iram Dei & æternam damnationem minatur. *Rom. 3. v. 20. c. 4. v. 15. Deut. 27.* unde dolor oritur & pavor, ut in exemplis patet Ninevitarum, *Iona 3. v. 4. 5. 6. 7.* Ezechiæ. *Esa. 38. v. 10.* Manassis, *2. Paral. 33. v. 12.* filii immorigeri, *Luc. 15. v. 18.* Publicani, *Luc. 18. v. 13.* Petri. *Matth. 26. v. 75.* Davidis, *2. Sam. 12. v. 13. c. 24. v. 20. & passim in Psalmis 6. 32. 38. 51. 102. 136. 145.* Insigne exemplum, in quo ordo pœnitentiæ graviter describatur, extat *Hier. 31. v. 18. 19.* ubi vide. Et pertinent huc dicta, quæ expresse describunt, & in pœnitentia (ὁλικῶς dicta) id est, conversione coniungunt *pœnitentiam* (μερικῶς acceptam, hoc est, contritionem) *& fidem, Marc. 1. v. 15. Act. 20. v. 21. &c.*

Fides.

XII. *Fides est ex agnita divini verbi veritate per Spiritum sanctum, divinæ gratiæ seu misericordiæ per Christum in promissione Evangelica fiducialis apprehensio ad salutem æternam.* Quam vere esse partem conversionis ad Deum, vel ipsa hæc appellatio ostendit, cum ad Deum nisi per fidem pervenire nemo possit. Vnde D. Paulus appellat μετάνοιαν εἰς τὸν Θεὸν, pœnitentiam in Deum, *Actor. 20. v. 21.* Et conjungitur fides pœnitentiæ, hoc est, contritioni in divinis scripturis

sæpis-

sæpissime. Agite pœnitentiam,& credite Evangelio: quæ summa est Evangelicæ prædicationis. Sic Paulus connectit μετάνοιαν καὶ πίστιν, *Act.20. v.21.* Et diligenti observatione dignum est, quod Iohannes dicitur prædicasse *pœnitentiam*, *Matth.3.v.2.* id sic exponitur, *Actor.19.v.4* .quod prædicarit *fidem in Christum: nempe in remissionem peccatorum.* Quam nisi fide non accipi,ex Epistola ad Romanos & Galatas, totaque scriptura est evidentissimum. Quare Apostolus ille gentium,*Actor.26. v.20.* dicit prædicasse se Iudæis & Gentibus, ut *agerent pœnitentiam, & converterentur ad Deum*: quod ipsum antea,*Actor.20.v.21.* his verbis expresserat, testificatum se fuisse Iudæis & Gentibus *pœnitentiam in Deum,& fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.*

In pœnitentia cõcurrit lex,& Evangeliũ.

XIII. Ex quibus liquet, in efficienda vera pœnitentia & salutari concurrere & legem & Evangelium: quorum illa vulnera peccatorum ostendit,& iram Dei, hoc balsamum monstrat & exhibet,nempe gratiam Dei in Christo, remissionem peccatorum,& vitam æternam. Fieri igitur nullo modo potest, ut a vera pœnitentia fides excludatur: quæ certum discrimen ostendit inter pœnitentiam Iudæ proditoris, & pœnitentiam Petri ad Christum conversi, id quod ex praxi Prophetarum,Christi,& Apostolorum,clarissimum est.

IV.
ANTITHESIS.

Anabaptistæ.

I. Primo damnatur error *Anabaptistarum* (quem

(quem cum illis communem habent Calviniani) negantium, semel justificatos amittere posse Spiritum sanctum. Pro cujus quæstionis explicatione tenenda est vera simplicium terminorum significatio, quæ recte observata totam controversiam potest reddere faciliorem.

II. Per *justificatos* intelliguntur renati, per fidem Christi a peccatis abluti & sanctificati: qui, quando in fide persistunt ad finem, dicuntur electi. Justificati.

III. *Amittere Spiritum sanctum* est privari gratiosa inhabitatione Spiritus sancti, & perdere filialem fiduciam in Deo, per & propter Christum nobis reconciliato, recumbentem.

IV. Affirmatur igitur, eos qui deficiunt a vera doctrina, qui peccant contra conscientiam, qui indulgent carnalibus desideriis, qui sinunt peccatum in se regnare, qui se avertunt a justitia, qui faciunt iniquitatem, ita ut in suis sceleribus delectentur, amittere filialem fiduciam, & excutere Spiritus sancti gratiam, incurrere in indignationem Dei, adeoque nisi vere resipiscant, æternum damnari. Spiritus excutitur dominante libidine carnis.

V. Confirmatur hæc sententia luculentis scripturæ sacræ testimoniis, *Rom. 8. v. 13.* Si secundum carnem vixeritis, moriemini, *Ezech. 8. v. 24.* Si aversus fuerit justus a justitia, & fecerit iniquitatem, nunquid vivet? *1. Tim. 1. v. 19.* Retine fidem & bonam conscientiam, qua repulsa nonnulli fidei naufragium fecerunt, *2. Tim. 2. v. 18.* Pervertunt quorundam fidem, *Rom. 11. v. 20.* Per incredulita- Peccato regnante omnis fiducia cessat.

tem defracti sunt, *Matth.12.v.43.* Spiritus immundus, ab homine expulsus, postea redit assumptis aliis se nequioribus, *Rom.8.v.8.* Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. *Hebr.6, & 10. 2.Petri 2. &c.* Et exemplis: *primorum parentum*, qui per peccatum gratiam Dei amiserunt, iram Dei concitarunt, fiduciam filialem exturbarunt, metum, trepidationem & desperationis fomitem sufflarunt, reique facti sunt æternæ damnationis: Davidis, *lib.2. Sam.12. Psalm.51.* Petri, *Matth.26.v.* 70. Thomæ, *Iob.20.v.25.* aliisque similibus.

Novatiani. V. 2, *Novatianorum* error improbatur: qui nolebant absolvere lapsos post baptismum, etiamsi redirent ad pœnitentiam. Venerat *Novatus* ex Africa profugus Romam, circa annum Christi 250. quo tempore Ecclesiæ Romanæ præerat Fabianus: ibique presbyter factus episcopatum continuo ambire cœpit. Quo cum excidisset, novam hæresin excitavit, dolore amissi episcopatus succensus, cujus tamen ipse aliam causam simulabat. Negabat apostatas, etiam pœnitentes, recipiendos esse. Ambitioso vocabulo se & assecias suos appellabat *Catharos*, hoc est, puros: (ut nonnulli annotarunt; alii contra a Novatianis Catharos discernunt,) qui postea apud Græcos a Meletio quodam dicti sunt Meletiani. Quæ hæresis duravit ad annos 140.

VI. *Rationes Novati* has recitat Cyprianus *lib.4.Epist.2.* Primum, quod lapsi mortui, ac proinde non recipiendi viderentur. Deinde quod virtutes minuerentur, & martyria deficerent, si

lapsis

lapsis pœnitentia laxaretur, & pœnitentibus pax concederetur. Tertio, quia idololatria & alia peccata delinquentium transirent ad alios delinquentes, si eis communicarent.

VII. Respondet autem Cyprianus ad 1. Non putamus esse mortuos, inquit, sed magis semianimes jacere, quos persecutione funesta sanciatos videmus: qui si in totum mortui essent, nunquam de iisdem postmodum confessores & martyres fierent.

Ad 2. Negat hinc virtutes minui, aut martyria deficere. Nam & mœchis, inquit, a nobis pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur: non tamen idcirco virginitas in Ecclesia deficit, aut continentiæ propositum glorioſum per aliena peccata languescit.

Ad 3. Vnusquisque in peccato suo reus tenetur, nec potest alter pro altero reus fieri, cum Deus præmoneat & dicat: justitia justi super eum erit, & scelus scelerati super eum erit. Et iterum: Non morientur patres pro filiis, & filii non morientur pro patribus, unusquisque in peccato suo morietur.

Author Epistolæ, ad Novatianum hæreticum, addit, eum ex dicto (*qui me negaverit, ego vicissim negabo*) probare voluisse, lapsorum pœnitentiam irritam esse. Sed responsio facilis est ex Petri exemplo, Dominum suum abnegantis & postea conversi.

VIII. Opponemus nos insano isti dogmati se- Refutaquentem syllogismum: Si totius scripturæ sacræ tio erro-

ris Novatianorum.

scopus est, 1. homines consolari & erigere, ne in peccatis desperent, sed ad Dominum convertantur. 2. & ipse Deus, interposito juramento, sanctissimo testatur, nolle se mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. 3. eoque fine iubet argui peccata, ut ea homines agnoscant, & veram agant pœnitentiam. 4. & ea est humanæ naturæ in hac vita infirmitas, ut subinde labatur. 5. ut necesse sit, quotidie orare: Domine dimitte nobis debita nostra. 6. & non est, nisi unum blasphemiæ peccatum in Spiritum sanctum, irremissibile. 7. Sed clara potius & expressa scripturæ dicta & exempla testantur, quoscunque peccatores vere resipiscentes a Deo in gratiam recipi, remissis peccatis, 8. quia nimirum Christus non pro aliquibus tantum, sed pro omnibus omnino peccatis plenissime satisfecit, 9. Et Evangelii promissiones sunt universales, omnes in Christum credentes non perituros, sed habituros vitam æternam: Consequens est, Novatianorum dogma esse falsum & hæreticum. Atqui prius est. Ergo & posterius.

IX. Connexio propositionis per se clara & firma est. *Assumptio* facillime probatur ex scripturis. Nam 1. Apostolus, *Rom. 15. v. 3.* Quæcunque, inquit, scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, *Actor. 17. v. 30.* Deus annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant. Et hæc summa est prædicationis Christi, *Marc. 1. v. 15.* Agite pœnitentiam & credite Evangelio. 2. *Ezech. 18. v. 33.* Vivo ego, inquit Dominus:

nus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, *2. Pet. 3. v. 9.* Patienter agit Deus propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. 3. Finis ille est concionum Prophetarum & Apostolicarum, ut per se patet. Vnde *Ezech. 18. v. 21.* dicitur: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vita vivet, & non morietur. 4. Sumus enim caro de carne, *Iob. 3. v. 6.* & figmentum cordis humani malum est ab adolescentia sua, *Gen. 6. v. 5. c. 8. v. 21.* Septies cadit justus, & resurget, *Proverb. 24. v. 16.* 5. *Psalm. 32. v. 6.* pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno, *Matth. 6. v. 12.* Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, 6. *Matth. 12. v. 31.* Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. *Vide Hebr. 6. v. 4. c. 10. v. 27.* Testimonia scripturæ clara sunt. Omnes enim jubentur agere pœnitentiam. Et Christus *Matth. 11. v. 28.* Venite, inquit, ad me omnes, qui laborati & onerati estis, & ego refocillabo vos, *Ioh. 6 v. 37.* eum, qui venit ad me non ejiciam foras, vers. 40. Hæc est voluntas patris, ut omnis, qui videt filium & credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, *Luc. 15. v. 7. & 10.* Gaudium erit coram angelis Dei in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. *Exempla* præbent protoplasti, David, Manasse, Petrus, incestus apud Corinthios, aliique infiniti, post actam pœnitentiam in gratiam recepti. Vbi verba Christi notanda sunt ad Petrum, *Luc. 22. v. 31. & 32.* quibus

abnegatio Petri prædicitur, & tamen ait ad Petrum Christus: Tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Membrum 8. & 9. sunt manifestissima, cum Christus sit agnus ille Dei, portans peccata mundi, *Iob. 1. v. 29.* quem Pater dedit universo mundo, *Iob. 3. v. 16.* qui est propitiatio pro peccatis non tantum nostris, sed totius mundi, *1. Iob. 2. v. 2.* & jubet Evangelium annunciare in universo mundo omni creaturæ: Quicunque crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, *Matth. 28. Marc. 16.* Ex quibus & similibus fundamentis solide refutatur insanum illud Novatianorum sive rigidiorum, sive molliorum dogma. Ambrosius enim (quem citat Bellarminus lib. 1. de pœnitentia, cap. 9.) monet, Novatianos sui temporis nonnihil remisisse de rigore maiorum suorum. Nota est vox Chrysostomi: χιλιάκις μετανοήσας, χιλιάκις εἴσελθε millies pœnitentiam agens, milliens in Ecclesiam ingredere. Adscribam pro coronide locum Cypriani ex 2. Epist. lib. 4. Jacet sanctus frater, inquit, ab adversario in acie vulneratus: hunc diabolus conatur occidere, quem vulneravit: hunc Christus hortatur, ne in totum peccat, quem redemit. Cui de duobus assistimus? In cujus parte stamus? Vtrum ne diabolo favemus, ut perimat: & semianimem jacentem, sicut in Evangelio sacerdos & Levita, præterimus? An vero ut sacerdotes Dei & Christi, quod & Christus docuit & fecit imitantes, vulneratum de adversarii faucibus rapimus, ut curatum Deo judici servemus? &c.

V. Er-

V.

Errores Pontificiorum de pœnitentia.

I. *Papistæ pœnitentiam dicunt esse Sacramentum proprie dictum, eamque vocant secundum tabulam post naufragium. Concilium Trident. sess. 14. cap. 1. 3.* Pœnitentia Sacramentum.

Contra. Definitio Sacramenti, supra a nobis proposita & explicata, non competit pœnitentiæ. Ergo pœnitentia non est Sacramentum. Et virtus baptismi sese extendit per totam vitam, quia fœdus ex parte Dei manet constantissimum, ut recurrere ad illud resipiscentes possint quovis tempore, nec ulla sit ipsis opus nova tabula: quemadmodum de circumcisione dicitur, *Gen. 17. v. 13.* Erit pactum meum in carne vestra *in fœdus æternum*, *Ose. 2. v. 19.* Sponsabo te mihi *sempiternum*, in justitia & judicio: in misericordia & miserationibus. *Esa. 54. v. 10.* Montes quidem commovebuntur, & colles loco cedent: misericordia autem mea non recedet, & fœdus pacis meæ non movebitur. Nam, ut inquit Apostolus, *Rom. 11. v. 29* dona Dei sunt ἀμεταμέλητα. Et *2. Timoth. 2. v. 12.* Deus fidelis permanet, seipsum negare non potest. Quo pertinet dictum, *Apoc. 2. v. 5.* Recordare, unde excideris, & age pœnitentiam. Vnde nos inferimus, pœnitentiam esse reditum ad illud ipsum fœdus, quod Deus nobiscum in baptismo pepigit: a quo, ut per peccata discedimus, ita ad idem per veram pœnitentiam redeundum est: quemadmodum ubi amor & concordia

conjugalis turbatur per dissidia & contentiones, non tamen opus est de novo matrimonium inire, sed sufficit mutua reconciliatio. Confer etiam *1.Petr.3.v.21.Rom.6.v.3.Gal.3.v.27.*

In quo consistat Sacramentum pœnitentiæ.

II. *Pœnitentiæ Sacramentum consistere essentialiter in actu ejus, qui sanctificatur: Et formam ejus in his ministri verbis esse positam: Ego te absolvo, &c. Materiam esse actus pœnitentis, contritionem, Confessionem & satisfactionem: quas vocant tres pœnitentiæ partes. Comp.Theol.lib.6 cap.20. Trid. Conc.sess.14. Can.3. 4. Quas partes hoc disticho Gerson complecti voluit:* Peccavi graviter, postponam, deinde fatebor, atque satisfaciam, cum jubet Ecclesia.

Resp. Dicuntur illa quidem, sed demonstrari ex divinis literis non possunt; & refutatio eorum ex supra dictis non est difficilis.

III. Contritionem, *ajunt, esse actum liberum voluntarie pro peccatis assumptum, cum proposito confitendi & satisfaciendi. Eamque geminam faciunt,* perfectam, *quæ est formata charitate: &* imperfectam, *quæ ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, communiter concipitur: quam vocare solent* attritionem. *Hoc est, contritionem (speciatim sic dictam) oriri, dicunt, ex charitate sive dilectione Dei: Attritionem vero ex metu pœnæ. Et negat Bellarminus, contritionem esse passionem lib.2. de pœnitentia, cap.2. affirmans esse actionem liberam & non coactam; & maxime pertinere ad Evangelium. Quidam ex Pontificiis distinguunt dolorem in contritio-*

tione: unum dicunt esse voluntatis, de essentia contritionis: alterum sensuum sive sensualem, non de necessitate contritionis. Sensualem sive sensibilem dolorem faciunt triplicem. 1. Deficientem, *qui trahit ad infernum.* 2. Sufficientem, *qui trahit ad purgatorium.* 3. Prævenientem, *qui ducit ad Paradisum. Vide Catechismum Romanam de pœnitentia. Multa etiam disputant de quantitate Contritionis, concludentes, utilissimum esse, peccata singula amarissime & longo tempore ita deflere, ut contritio non solum appreciative, sed etiam intensive & extensive summa dici possit. Et non dubitat Bellarm. contritionem dicere causam remissionis peccatorum, quia videlicet disponat ad justificationem, & impetret remissionem peccatorum, l. 2. de pœn. cap. 12. ibidemque affirmat, actus pœnitentis esse meritum de congruo justificationis.*

Quæ tota doctrina contradicit apertissimis scripturæ testimoniis, quæ confirmant, contritionem esse dolorem, ex agnitione peccati natum, ut supra §. 9. ostendimus, ac proinde pertinere non ad Evangelium, (quod non terret, sed consolatur,) verum ad legem, *Rom. 3. v. 20. cap. 7. v. 7.* Et contumeliosa est in passionem Domini nostri Iesu Christi, qui attritus est propter scelera nostra, *Esa. 53. v. 5.* Vide Psalmos pœnitentiales, *Et Ierem. 31. v. 19. 2. Sam. 24. v. 10. Esa. 66. v. 2. Ioel. 2. v. 13.* ubi occurrunt hæ appellationes, *percussio femoris, confusio, erubescentia, percussio cordis, conturbatio animæ, tribulatio Spiritus, confractio cordis, infixio sagittarum Domini, tremor, &c.* Iudicent hinc piæ

mentes, an contritio sit hominis actio libera & voluntaria, an potius passio. Plura enim nunc addenda non videntur, cum pauca ista omnes rimas sophisticationibus obstruere possint. Neque unquam concedent veri Christiani, operibus humanis posse peccatorum remissionem acquiri: cum in homine nihil sit, quod non totum debeatur Deo. Et quæ ista insania est, in operibus propriis ponere fundamentum salutis, cum aliud nomen sub cœlo non sit, in quo salvari possimus, præter nomen Jesu, *Actor. 4. v. 12.* Nimirum hic fomes est perpetuæ dubitationis de peccatorum remissione, quam tandem sequitur desperatio. Quomodo enim de sufficiente contritione certus esse possit is, qui ne ipsa quidem peccata sua omnia novit & intelligit? *Psalm. 19. v. 13. Psalm. 90. v. 8.* Quod denique dicunt, in contritione includi propositum bene vivendi: e diametro repugnat doctrinæ Apostolicæ, confirmanti quod bona opera sint fructus pœnitentiæ, ut §. 8. demonstratum fuit. Effectus autem non est ante suam causam.

Fides. IIII. Fidem *negant ullo modo pœnitentiæ partem recte dici posse: licet ad eam efficiendam necessario referatur. Concil. Trident. sess. 14. cap. 3. & Can. 4. Bellarmin. lib. 1. de pœnitent. cap. 19. ubi inter cætera: Fides ista specialis, inquit, (quam quilibet fidelis credit, sibi esse remissa peccata) non modo non est pœnitentiæ pars, sed neque ad eam ullo modo requiritur.*

Quæ Cardinalis illius verba probe observanda sunt, ut os obturetur illis, qui vociferantur, men-

mendacium esse, si quis dicat, Pontificios fidem a Pœnitentia excludere. Nos interim tenemus fundamentum Apostolicum, impossibile est, absque fide placere Deo, *Hebr. 11. v. 6.* & peccatum esse, quicquid non est ex fide, *Rom. 14. v. ult.* & non nisi fide apprehendi gratiam Dei, per & propter Christum peccata nobis remittentis, *Actor. 13. v. 38. c. 15. v. 11. Rom. 3. v. 24. 25. Gal. 2. v. 16. &c.*

Quando vero objiciunt scripturæ dicta, in quibus distincte mentio fit pœnitentiæ & fidei: supra §. 1. & 11. ostendimus veram responsionem, quod nimirum ibi pœnitentia accipiatur μερικῶς, hoc est, pro prima parte conversionis, nempe contritione: a qua fidem esse distinctam certum est. Notent autem ipsi Pontificii ea ipsa testimonia: in quibus pœnitentia præponitur fidei, quam fidem tamen ipsi dicunt esse pœnitentia priorem: quod tam absurdum est, ac si quis dicat vulnera sanari, quæ nondum inflicta sunt. Legis enim officium est, monstrare vulnera peccatorum: quorum vulnerum medicinam docet Evangelium.

V. *Quos, de* Confessione, *errores fovent Pontificii, de iis dictum fuit articulo* 11. *unde repeti possunt. Adjiciam hic versiculos, qui describunt sedecim conditiones in Confessione requisitas.* Confessio.

Sit simplex, humilis, Confessio, pura, fidelis.
Atque frequens, nuda, diserta, libens, verecunda.
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis & accusans, & sit parere parata.

Item

Item octo circumstantias:

Quis, quid, ubi, quare, quoties, cum, quomodo, quando.

Peccasti dices, ut sit Confessio vera.

Notantur etiam circumstantiæ, quibus peccatum aggravatur.

Aggravat ordo, locus, mora, causa, scientia, tempus.

Lucta pusilla, modus, culpæ genus, & status altus. Conditio, numerus, ætas, & scandala, sexus.

Alia ad Confessionem auricularem pertinentia vide in Catechismo Romano: & inprimis observa praxin apud Iesu-Vitas, *qui ad secretiſsimorum consiliorum investigationem per hoc medium penetrare affabre didicerunt, ut exempla testantur in diversis regnis. Vnde vere dixisse censendus est, qui nullam putabat arcem esse tutam, ad quam Confessionis machina a Iesu-Vitis admoveri queat.*

Opponimus nos isti dogmati sequentia fundamenta. 1. Confessio auricularis Pontificia neque Christi, vel Apostolorum mandatum habet, neque exemplum. Quæ enim exempla a Pontificiis proferri solent, aperte pugnant cum illa Romanensium Confessione: Et ex Pontificiis nonnulli vel aperte negant, vel dubitant saltem esse Confessionem illam juris divini, ut Gratianus, Panormitanus, Scotus, Cassander, &c.

2. Confessio illa Papalis nullam habet in Dei verbo promissionem. Nam locus, *Iob. 20.* Quorum remiseritis peccata, &c, & *1. Iob. 1.* Si confiteamur peccata nostra, &c. quem utrumque Bellarminus

minus hic nobis opponit; nihil minus ferre potest, quam auricularem Confessionem, ut vera analysis ostendit.

3. Confessio illa transformat Evangelium in legem: quia suspendit peccatum remissionem ab opere humano, & non a sola fide, Christum redemptorem apprehendente. Disputant enim Summistæ, si quid in enumeratione peccatorum omittatur, non tantum illa peccata, quæ in specie & sigillatim sacerdoti non enumerantur; non remitti: sed ne illorum quidem, quæ enumerata sunt, remissionem accipi, nisi integra sit confessio secundum omnes circumstantias. Nimirum valet apud illos: Quantum confessus fueris, tantum remittitur. Quæcunque igitur peccata confessus non fuerit, ea remitti non possunt. Quo pertinet argumentum Bellarmini, judex, inquit, non potest judicare de ignotis. Ergo non potest remittere peccata, quæ non fueris confessus. Qui tamen alibi sibi contradicit: quod fieri necesse est in eo, qui deviat a recto tramite divinarum scripturarum.

4. Auricularis Confessio substernit gratuitæ condonationi peccatorum meritum humanum. Dicunt enim Papistæ, Confessionem illam esse meritoriam ad culpæ remissionem, pœnæ diminutionem, Paradisi apertionem, & salutis fiduciam. Vide interpretes in Lombardum lib. 4. dist. 17. Quando autem pii veteres extollunt Confessionem, non loquuntur de auriculari Romanensium, sed de vera & Christiana Confessione, verbo Dei man-

mandata, in qua regnat fiducia in Christum. Quare virtutem fidei in Confessione illi commendant, non meritum humani operis. Vnde nos illud axioma tenemus: Quicquid eximium dicitur de Confessione, illud intelligendum est ratione fidei, quæ est tanquam anima Christianæ Confessionis.

5. Auricularis Confessio adducit conscientiam in dubitationem & desperationem, scrupulosa illa omnium & singulorum peccatorum cum suis circumstantiis enumeratione. Adeoque 6. exigit rem impossibilem, ut supra dictum fuit.

Satisfactio Romanensis.

VI. *Tertiam pœnitentiæ partem faciunt Papistæ* satisfactionem, *non illam Christi, sed propriam: de qua prolixe agitur in Concil. Trident. Sess. 14. c. 8. & 9. & apud Bellarminum toto lib. 4. de pœnitentia. Satisfactionem ibi definit, quod sit actio, qua is, qui alterum læsit, tantum facit, quantum satis est ad injuriam compensandam, sive quantum is, qua læsus est, juste exigit. Et eam distinguit a restitutione, quod hæc in rebus, illa in actionibus versetur. Facit autem duplicem, secundum duplicem justitiam, quam fingit:* Alia *est*, inquit, *quæ versatur in absoluta & perfecta æqualitate:* Alia *in imperfecta, quæ ex donatione, vel pacto, vel acceptione alterius pendet. Satisfactionem igitur ad æqualitatem perfectam ab homine præstari posse negat, posse autem ait ad imperfectam: & hanc dicit habere locum in Sacramento pœnitentiæ. Sed addit hanc animadversionem, compensandam esse satisfactione inæqualitatem, quæ non solum* justitiæ con-

contraria est, verum etiam amicitiæ. *In qua tractatione cum contrarios habeat quosdam Scholasticos, & recentiores doctores Pontificios, distinctione utitur inter satisfactionem ex congruo, & ex condigno, ut quodammodo conciliare valeat. Tum proponit quæstiones nonnullas: 1. An velit Deus, ut peccantibus post Baptismum remissa culpa remaneat debitum luendæ pœnæ, an non? 2. An debitum illud pœnæ, post culpæ remissionem manens, possit per bona opera redimi? 3. An satisfacere possint homines pro expiando reatu illius pœnæ, qui interdum remanet post remissionem culpæ? Quibus alia deinceps annectuntur de operibus, quibus pœna peccati redimitur, quæ & qualia sint, & utrum dicenda sint proprie satisfactoria, ita ut nos dicamur vere ac proprie Domino satisfacere, &c.*

Quam totam doctrinam si in scripturis Propheticis & Apostolicis potius, quam in monachorum cellulis invenire volueris, oleum perdes atque operam. Et tamen graves de ea sunt controversiæ inter monachos quosdam, & Scholasticos doctores: neque cum Tridentino Concilio, cuius sessione 14. argumentum de pœnitentia ex professo tractatur, omnia conveniunt, quæ a Bellarmino disputantur; Cui breves hos opponemus aphorismos.

1. Sola Christi obedientia est satisfactio pro nostris peccatis. Ita supra audivimus loquentem Cassandrum. Vide etiam verba Costeri supra art. 4. §. 14. p. 139.

2. Sa-

2. Satisfactio non est nisi plena. Noti sunt versiculi.

Larga Dei bonitas veniam non dimidiabit:
Aut nihil, aut totum, te lacrymante, dabit.

3. Pro peccato, in infinitam Dei justitiam commisso, non nisi infinita satisfactio præstanda est.

4. Iustitia Dei una est, non gemina. Quare & una satisfactio eidem æqualis. Requirit illa, ut perfecte sibi satisfiat pro peccatis, ita ut nihil quicquam maneat reliquum, pro quo non sit satisfactum. Non enim justus est Deus in hoc magis, in illo minus, sed est ipsa infinita justitia, semper immutabilis & æqualis. Vnde peccatum non dimittit Deus, pro quo non sit perfectissime satisfactum.

5. Satisfactio imperfecta, est implicata contradictio.

6. Dei amicitia non potest esse contraria justitiæ.

Quæ excipere solent Romanenses, ex his recte observatis & applicatis non difficulter explicari poterunt.

Absolutio.

VII. *Absolutio sacerdotis est ad instar actus judicialis: quo ab ipso, velut a judice, sententia pronunciatur Concil. Trid. sess. 14. c. 6.*

Iudicium omne Pater Christo dedit, *Iob. 5. v. 22.* & ministerium Evangelii non est potestas judiciaria, qua pro authoritate in peccata inquirant, & cognito crimine sententiam pronuncient, mulctamque imponant Ecclesiæ ministri: sed est potestas & virtus, peccata remittendi pœnitentiam

tiam agentibus & in Christum credentibus,& retinendi incredulis, *Matth.10. v.1. Marc.3.v.13.c.6. v.7.Luc.9.v.1.Matth.18.v.18.Ioh.20.v.13.*

VIII. *Soli Episcopi & sacerdotes potestatem habent absolvendi a peccatis: nimirum eos, in quos habent ordinariam aut subdelegatam jurisdictionem.Concil.Trident.sess.14.cap.7.*

Nusquam in descriptione ministerii Evangelici extat mentio jurisdictionis: sed potius accuratum discrimen passim inculcat, ut inter regimen politicum, & officium Ecclesiasticum. Et cui docendi Evangelii munus est demandatum, eidem & claves regni cœlorum traditæ sunt, & potestas facta dispensandorum Sacramentorum.

VIIII. *Pontifex Maximus pro suprema potestate sua potest sibi reservare certos casus.* Ibidem.

Id verum esse omnes fatebuntur,quando Papa demonstraverit se esse Deum, vel Christum, vel Monarcham in Ecclesia, cui omnes Christiani, tanquam servi, teneantur in omnibus subiici. Petrus enim, aut Paulus, aut Iohannes, aut Iacobus nunquam tale quid sibi leguntur arrogasse.

X. *Pro coronide*,de indulgentiis,*aliquid attendendum est: quarum concedendarum authoritatem ordinarie & ex officio ante omnia Romano Pontifici, & postea etiam Episcopis,& Concilio assignant,idque ajunt, jure divino: Valentinianus, Immanuel Sa. Toletus,& alii. Definitionem affert Valentinianus*: Indulgentia Ecclesiastica, inquit, est relaxatio pœnæ temporalis, judicio divino peccatis actualibus, post remissam culpam debitæ, Indulgentiæ Papales.

bitæ, per applicationem superabundantium Christi & sanctorum satisfactionum, facta extra Sacramentum ab eo, qui legitimam ad hoc authoritatem habet. *Promanant hæ indulgentiæ* ex thesauro Ecclesiæ: *quibus non tantum vivi, sed etiam mortui juvantur, teste Bellarmino & Toleto: in-*
Annus Iubilæus. *primis in anno Iubilæo, quem proinde baptismati conferunt, propter plenissimam indulgentiam, vel etiam expresse vocant* (*vide Osorium Tomo V. pag.* 864.) *tertium baptismum: in quo servi dæmonis, si volunt, libertatem consequuntur. Barradius tom. II. Concord. Evangelicæ. Vide etiam Clementem VIII. in bulla indictionis Iubilæi.*

Evolve sacra biblia a principio ad finem, tales indulgentias nuspiam animadvertes. In uno Christo peccatorum remissio nobis est proposita. Neque possunt Papistæ suarum istarum indulgentiarum veram originem demonstrare, quanquam summa diligentia illud hactenus egerint. Totam earum historiam texere non est hujus loci. Quod de Ecclesiæ thesauro dicunt, id sic corrigimus, ut vere dicamus, Ecclesiæ depositum & thesaurum esse verbum Dei, & Sacramenta: quæ sunt media a Deo ordinata, per quæ peccatorum remissio in Christum credentibus offertur & applicatur, in hac vita, & non demum post mortem. Cujus thesauri potestatem quo tandem jure sibi soli rapit Papa Romanus? Qui si tam animarum salutem, quam aurum, argentum, & gemmas sitiret, longe profecto alio ratione Ecclesiæ guberna-

natio-

nationem instituerat. Sed satis est, inter ipsos Pontificios extare, qui diserte fateantur, non satis constare, a quo primum indulgentiæ cœperint. Vide Roffensem artic. 38. contra Lutherum. Et Durandus in 4. sentent. dist. 20. quæst. 3. De indulgentiis, inquit, pauca dici possunt per certitudinem; quia scriptura de iis expresse non loquitur, Sancti etiam, ut Ambrosius, Hilarius, Augustinus, Hieronymus, minime loquuntur de indulgentiis. Platina teste, Bonifacius VIII. primus illum aperuit indulgentiarum mercatum, circa annum Christi 1300. qui quidem Iubilæum definiit annum centesimum: sed postea Clemens VI. contraxit ad quinquagesimum, Sixtus IV. ad vigesimum quintum. Quod tempus cum multi Papæ non attingant, ne tantus thesaurus æruginem contrahat, Bellarminus docet libr. 1. de indulg. cap. 1. nomen Iubilæi derivatum esse ad omnes indulgentias, quæ in amplissima forma concedi solent, etiam extra annum illum, qui proprie Iubilæi nomen invenit. Sic ille. Nos Iubilæo Veteris Testamenti adumbrari affirmamus Christi beneficia, per totum Nov. Testamenti tempus duratura: quæ non auro emenda, sed vera in Christum fide apprehendenda nobis in Evangelio proponuntur.

VI.

Errores Calvinistarum de pœnitentia.

I. Calvinus cum sociis pœnitentiam inter- Partes pœnitentiæ.

pretatur uno verbo regenerationem, *lib.3. instit. c.3. dist.9.* eique tribuit suos gradus & incrementa.

II. Expresse negant, fidem esse partem pœnitentiæ. Quod fidem sub pœnitentia complectuntur, inquit, *lib.3.cap.2. dist.5.* pugnat cum Apostolo, *Act.20.v.21.*

Si Fides pars pœnitentiæ non est, tum non potest in pœnitentia dari terminus *a quo*, qui respondeat termino *a quo*.

III. Ex fide contendit nasci pœnitentiam, *dist. 1. Sic Bucanus loco 30. pag.290.* Si propriissime loqui velimus, inquit, fides non est pars pœnitentiæ, sed mater & origo. Et paulo post: Tanquam duo diversa, inquit, pœnitentiam & fidem, scriptura enumerat.

IV. Amplius, Calvinus aliam admittit pœnitentiam legalem, aliam Evangelicam *distinct.4. Et Bucanus pag.287.* Contritionem aliam vocat legis: aliam vero appellat contritionem Evangelicam: & hanc posteriorem dicit esse propriam Evangelii, pag.281. Illam vocari ait μεταμέλειαν, hanc vero μετάνοιαν, pag 286.291. Et inter utramque quasi mediam inserit fidem, pag.289. Quæ mirabilis futura est Methodus prædicandi Evangelii. Sic Catechesis, Cassellis edita, fidem priori loco ponit: quasi vero legis prædicatio, ex qua peccata, hoc est, vulnera ista spiritualia agnoscenda sunt, non anteeat annunciationi Evangelii, medicinam peccatoribus ostendenti.

V. Partes essentiales regenerationis seu pœnitentiæ (*verba sunt Bucani, pag.293.*) dicimus duas esse: mortificationem carnis seu peccati, & vivificationem seu renovationem Spiritus justitiæ, sive novi hominis. *Idem dicit Calvinus, lib.3. c.3. dist.8.*

sed

sed longe aliter definit mortificationem & vivificationem, *quam Apologia Augustanæ Confessionis, pag. 59. vide etiam Polanum, lib. 1. partit. Theolog. p. 183. & seq. edit. Basil. Anno 99.* Vbi resipiscentiam vocat alteram regenerationis animæ partem: & partes ejus duas facit: mortificationem veteris hominis (quam dicit constare peccati agnitione, & contritione salutari) & vivificationem novi: cujus partes iterum duas constituit, lætitiam conscientiæ per Christum, & novam obedientiam. Praxis & medulla Catechetica, Cassellis edita, partes facit: agnitionem peccatorum, fidem, & propositum de emendanda vita. *Et quæst.* 66. affirmat, fidem in Christum sufficere ad impetrandam & apprehendendam salutem: *sed non esse satis ad illam conservandam: sed amplius ad hoc requiri tertiam partem pœnitentiæ, nempe emendationem vitæ.* Quæst. 70. ait, emendatione vitæ perfici conversionem hominis, & fidem & salutem in nobis conservari, &c.

VII. *Semel justificatos posse amittere Spiritum sanctum* cum Anabaptistis communiter *negant* Calviniani (nimirum propter absolutum, quod fingunt, decretum Electionis & reprobationis) adeo, ut *Davidem in medio adulterio & homicidio fidem non penitus amisisse*, diserte scribant: *Vide Calvinum lib. 3. instit. cap. 2. dist. 11. 12. Bezam in Coll. Momp. 463. 465. 467. Responsione 2. ad Colloq. Momp. p. 68. Fidem ipsam veram amitti nego*, inquit, *pag.* 72. Lothus etiam incestuosus fuit justus, *pag.* 74. Non fuit David regenerationis Spiritu, Amissio Spiritus sancti.

quem prorsus amisisset, rursus donatus, sed qui sopitus in ipso jacebat, fuit divinitus ministerio Nathanis excitatus. (*Vbi obiter nota palpabilem con-*
NB. *traditionem. Eadem enim pagella. Et tamen verum est, inquit, Davidem periturum fuisse, nisi respuisset,*) *pag. 79.* Non dixi, inquit, Davide perpetrante adulterium, sive in adulterio perpetrato, fidem & Spiritum sanctum retinuisse: sed illum dixi, quamvis adulterum atque etiam homicidam (quæ fuerunt carnis, non Spiritus opera) tamen
„ quoniam electus erat, *aliquid Spiritus sancti, & fi-*
„ *dei in eo fuisse servatum*, quod aliquandiu sopitum Dominus tamen rursum excitavit. *Vide etiam Zanchium in Miscellaneis, fol. 72. Piscatorem in Germanicis Bibliis, ad c. 8. Rom. doctrina 22. & ad cap. 12. doctrina 8. & 1. Tim. 1. doctrina adversum 19. & 2. Tim. 2. doctrina septima adversum 19. Vide etiam ejusdem analysin in c. 11. Roman. observatione ex vers. 19. Perkinsius de prædestinatione & gratia Dei, p. 122. Basil. Anno 99.* In Davide, inquit, post lapsum veræ fidei & regenerationis semen permansit. *Keckermannus in System. Theol. lib. 3. c. 7. p. 434. Salvifica fides, inquit, semel accensa in electo nunquam potest plane extingui aut deficere. Thesaurus veræ & Orthodoxæ fidei a Gryneo editus Basileæ, Anno 87. classe 3. loc. 1. de fide in genere, thes. 7. pag. 47. thes. 12. Electis semel tantum vera fides datur*, quam prorsus amittere, Spiritum sanctum omnino excutere, & a Christo excidere penitus non possunt, *Pol. lib. 1. partit. Theol. p. 213.* si

fides

fides salvifica penitus amitti posset, inquit, multa inde absurda sequerentur, &c.

Pareus in Irenico cap. 28. art. 8. pag. 261. accusationem hanc dicit esse falsam, & partim sophisticam, partim ἀσύστατον? quia nimirum credentes possint amittere fidem, gratiam, salutem, sibi relicti, seu quoad vires suas, & causas proximas: non tamen possint vere credentes fidem amittere, & gratia excidere penitus, quoad electionem & vocationem Dei, ἀμέταμέλητον, &c. Cui paucis ita respondeo: quæstionem esse de iis renatis sive credentibus, qui abjecto vero timore Dei secure vivunt, & ambulant secundum carnem, quemadmodum David committens adulterium & homicidium, Petrus abnegans Christum, &c. an, inquam, illi, quando perficiunt desideria carnis, retineant filialem erga Deum fiduciam, & Spiritum sanctum: Hic negativam tenemus nos cum scripturis divinis: Pareus nihil ad rem respondet, sed verba facit de piis, quos Dominus regit, gubernat, custodit & defendit: de quibus nemo dubitat, dum media, a Deo ordinata, sedulo adhibent, virtute Dei in fide conservari. Vis clarius? Quando in lucta carnis adversus Spiritum peccatum regnare incipit, pravaque concupiscentia erumpit in actum, & committitur homicidium, stuprum, adulterium, aliaque enormia flagitia: quæritur, an in ejusmodi hominibus permaneat vera fides, & gratia Sp. sancti? Vbi axioma Apostolicum nos urgemus:

Si secundum carnem vixeritis, moriemini, Rom. 8. vers. 13. & 2. Petr. 2. vers. 19. A quo quis superatus est, hujus & servus est.

Quid Pareus respondere velit, deliberet. Vide, si libet, tomi primi Giss. disput. 14. thesi 195. & seqq. ubi inter cætera hic syllogismus formatur thes. 218. Quisquis contempto Dei verbo, malum facit in conspectu Dei, & secure peccat, & inde filius mortis in judicio Dei censetur: is dici non potest retinere fidem, hoc est, in Deum fiduciam, & Spiritum sanctum gratiose inhabitantem. Atqui David committens primo adulterium, & postea etiam destinato consilio homicidium, contempto Dei verbo, malum facit in conspectu Dei, *2. Sam. 12. v. 9.* & secure peccat (nullam agens per menses integros decem pœnitentiam) & inde filius mortis in Dei judicio censetur, *v. 5. & 13.* Ergo David committens primo adulterium, & postea etiam destinato consilio homicidium, dici non potest retinere fidem, hoc est, in Deum fiduciam, & Spiritum sanctum gratiose inhabitantem.

Christus toti mundo datus.

VII. Ipsum fundamentum doctrinæ de pœnitentia quatiunt Calviniani in genere, dum præfracte *negant*, *Christum esse datum toti mundo*, hoc est, omnibus omnino hominibus, qui in hunc mundum peccatores & miseri nascuntur, ac *pro illis omnibus satisfecisse*, ac proinde omnibus per Evangelii prædicationem offerri remissionem peccatorum. *Beza cum sociis in Colloq. Momp. pag.* 514. Intolerabilis vox vestra visa est, inquit, Christum esse mortuum pro damnatis. *Piscator disputa-*

NB.

NB.

tatione de prædestinatione, thes. 3. Non pro singulis mortuus est Christus, sed tantum pro aliquibus, thesi quarta: Non singulos, sed tantum aliquos salvos fieri Deus vult, *thes. 14.* Nec singulos, sed tantum aliquos donavit Christo redimendos, *thes.* 109. Christus pro solis electis mortuus est. *Pro reprobis nullo modo mortuus est Christus, sive sufficienter dicas, sive efficaciter thes. 75.* Deus non vult salutem dare omnibus: quia nec omnibus dare vult hanc mentem, ut salutem petant, neque id facere tenetur, cum nemini obligatur, *Thes.* 85. *Justitia, morte Christi parta, solis electis animo communicandi offertur.* Et circa finem ita docet Piscator suos discipulos concludere: *Gratia nonnullis offertur animo communicandi. Ergo fieri potest, ut ego sim in illorum numero. Vide etiam Mart. not. in Methodum, p.* 502. ubi sic scribit: Christus non est passus pro omnibus: æque inquam, non passus pro diaboli membris, atque non est passus pro diabolo & angelis ejus. *Rennecher in Aurea Catena p.* 156. Quod ipsos (reprobatos scilicet absoluto & simplici Dei decreto, causas omnes alias antegrediente) Deus non vocat, & ad Christum trahit, nec eos in illo justificat, nec fidem in eis creat: hoc ideo fit, quia non elegit eos.

Syllogismus practicus in Schola Zvingliana de Christi merito, & gratia particulari.

Eadem cæterorum Calvini discipulorum (admodum paucis quibusdam exceptis) communis sententia. *Vide Bezam in Respons. ad Coll. Momp. p.* 221. Iterum dico, inquit, & coram tota Ecclesia Dei profiteor, falsum, blasphemum, impium esse, dicere, Christum sive *quod ad Dei consilium attinet,*

net, sive *quod ad effectum* non minus pro damnandorum, & æterno iudicio ad iudicandorum peccatis passum, crucifixum, mortuum esse, & satisfeciſſe, quam pro peccatis Petri, Pauli, & omnium sanctorum, &c. *Certum est autem, negata meriti Christi, & Evangelicarum promissionum universalitate, veram de pœnitentia doctrinam stare, & ex ea solidam peti consolationem non posse: sed potius precipitium esse ad desperationem.*

Vbi frustra sophisticatur Pareus in Irenico, cap. 28. artic. 10. pag. 263. nusquam scripturam promissiones facere universales ratione infidelium: quia Deus infidelibus nihil promittat, sed potius omnes hos nominatim excludat a promissione vitæ æternæ. Qui tamen cap. 24. pag. 142. ipse scripserat, promissiones gratiæ esse universales, & ad omnes pertinere, quoad prædicationem, invitationem & mandatum credendi. Concilia Paree: promissiones nusquam sunt universales: Et promissiones sunt universales. Excipies, diverso respectu dici; illud respectu applicationis, hoc respectu intentionis divinæ. Bene, inquam ego: Cur ergo negas, uspiam in scripturis esse universales? Nam ratione applicationis universales dicere nemo sanus potest: quia sic discrimen negaretur inter fideles & infideles, beatos & damnatos. Affingis igitur nobis, sententiam plane alienam a nobis, & aperte falsam: Et quod in quæstione est, invertis. Hoc quæritur: velitne Deus serio, omnes homines audire Evangelium, ut ex eo in Christum credant, & salventur? Nos affirmamus: Calviniani

niani negant, dicentes, velle Deum, ut multi ex auditu Evangelii indurentur. Neque possunt aliter statuere, quamdiu ex absoluto Dei decreto plerosque exitio destinatos esse docent. Quos enim Deus absolute odit & destinat damnationi, eos dici non potest velle per Evangelium adducere ad fidem, ut salventur. Et pro quibus Christus non est mortuus, illis offerri Christi meritum in Evangelio non potest dici, ut ex eo salventur. Hæc igitur alte dissimulans Pareus, & differens de applicatione, & fructu Evangelii respectu infidelium, sophistæ officium facit, non candidi disputatoris. Nunquam enim fando auditum fuit in nostris Ecclesiis, promissiones Evengelii esse nniversales ratione applicationis. Debent audire omnes, sed non omnes audiunt: & multi audiunt, neque tamen credunt, de quo plura diximus articulo 7.

VII.

Photinianorum doctrina de pœnitentia.

I. Christophorus Ostorodus in instit. German. cap. 36. disputans de justificatione, quærit inter cætera, possitne homo Christianus implere præcepta Christi: quod ita affirmat, ut tamen non neget, interdum fieri, ut ex infirmitate humana labatur. Ac proinde monet, p. 307. cavendum esse errorem Novatianorum, & perfectistarum: quos scribit docere, eum, qui non per omnia Christo in san-

sanctitate & justitia sit similis, atq; ita perfectus, pro vero Christiano haberi non posse. Idem c. 21. p. 148. contendit, conversionem sive emendationem vitæ requiri ante donationem Spiritus sancti. *Vnde consequitur, pœnitentiam (salutarem illam) non esse a Spiritu sancto, sed a viribus liberi arbitrii.*

II. In libello cui titulus: Examen, Welche die sind / die da verleugnen JEsum den HErrn / &c. Darneben auch etliche gewisse Bewerisungen / daß die GOtt nicht erkennen / welche den heiligen Geboten unsers HErrn JEsu Christi nicht gehorsam seyn; proponuntur quindecim argumenta: ad demonstrandum, verum Christianum non peccare, *Lit. D. fol. 8. & seq & lit. E. fol. 2. & seq.* decem absurda colliguntur ex ea sententia, quæ statuit, hominem Christianum non posse esse sine peccato. Ponit autem discrimen inter has locutiones, *peccare* sive *facere peccatum*, & *habere peccatum*. Concedit enim, Christianos peccata habere, *1. Ioh. 1. v. 8.* quod exponit de peccatis antegressis & eorum reatu: Sie haben Sünde / und können ihrer billich beschuldiget werden: At negat eos peccare sive peccata facere, hoc est, peccatis consentire, & voluntarie ea committere.

III. *Vbi primo nota palpabilem contradictionem.* Nam *lit. E. fol. 2. b.* ita habet: Wer da spricht / er könne nicht ohne Sünde seyn / der gibt seinen Vnglauben zuverstehen / er verleugnet / daß er ein Christ sey / ja er verleugnet / daß er Christum kenne / &c. Eadem *litera fol. 11.* So ist nun offenbahr / inquit, daß nicht Sünde haben / und ohne Sün-

Sünde seyn/ ein ding ist: Gilt aber nicht so viel/ als nicht sündigen / oder nicht Sünde thun. Bleibt derhalben war/ und ist kein Streit unter diesen Sprüchen. Die Christen sündigen nicht: Die Christen haben Sünde/ das ist/ ob wol die Christen nicht sündigen/ so haben sie doch Sünde/ denn sie haben gesündiget/ darumb können sie ihr beschuldiget werden. *Hinc concludo: Non habere peccatum, & esse sine peccato, idem notant*, inquit liber ille Photinianus. *Atqui Christiani dicere non possunt, quod peccatum non habeant*, ex 1. Joh. 1. v. 1. 8. *Ergo Christiani dicere non possunt, quod sint sine peccato. Concilia nunc: Christiani peccatum habent: Et, Christiani sunt sine peccato. Perinde ac si dicas: Photiniani habent conscientiam: Et: Photiniani sunt sine conscientia. Vitium hoc primum est, & admodum insigne.*

IV. Deinde Photinianæ distinctioni oppono Authoritatem Apostolicam, 1. Joh. 1. *Nam v. 8. dicit, nos* peccatum habere: *& v. 10.* nos peccavisse; *eodem sensu. Noto & illud, verbum* peccare *accipi sapissime pro ipso actu peccandi: in loco autem: Iohann. 3. v. 9.* peccare, aut peccatum facere, *notat studium & delectationem peccandi: Peccant igitur etiam renati in priore significatione, ut ostendunt quotidiani lapsus & perpetua oratio: Domine, dimitte nobis debita nostra: & multa scripturæ testimonia*, Prov. 24. v. 16. Jac. 3. v. 2. Ps. 32. v. 6. &c. *Non autem peccant renati, quatenus tales, seu peccatum non faciunt, in posteriore significatione, hoc est, non indulgent peccato, non delectantur eo, sed ode-*

oderunt illud & ei resistunt per Spiritum sanctum. Sunt igitur similes locutiones Iohannis & Pauli: Renati non peccant, non faciunt peccatum : & non sinunt peccatum in se regnare, *Rom.6.vers.12.* non obediunt peccata, *ibid. & v.16.* non ambulant secundum carnem, *Rom.8.v.4. Causam addit D. Iohannes geminam, 1.quoniam* ex Deo nati sunt: (*Confer 1.Petr.1.v.23.*) *cujus debent referre ingenium, hoc est, sanctitatem & justitiam. 2.quia* semen Dei in iis manet, *hoc est, custodiunt verbum Dei in bono & sincero corde, fructum afferunt in patientia, Luc.8.v.15. Verbum enim Dei ostendit peccatorum turpitudinem, & ab iis homines absterret. Vnde lucta illa oritur Spiritus adversus carnem. Est igitur verissima haec sententia:* Renati? *qua tales,* non peccant, *hoc est, non indulgent peccatis, non laxant illis frenum, non iis delectantur: sed, ut filios Dei decet, ea oderunt, & iis resistunt, tanquam cum verbo Dei pugnantibus. Vnde tamen non sequitur, renatos absolute non posse peccare mortaliter. Contrarium enim exempla ostendunt. Vt quando David, vere renatus, committit adulterium & homicidium, peccat utique contra Deum, & proximum, & propriam conscientiam, peccato obedit, ambulat secundum carnem, sinit peccatum regnare in suo corpore: ac proinde de ipso dicendum est, desisse esse renatum ex Deo, amisisse semen Dei ex corde suo, superatum esse a peccato, ejusque factum esse servum: ita ut nisi (per Nathanem) fuisset ad Deum conversus, aeternum ipso fuerit peri-*

periturus. Quare, ut summatim dicam: Renatus, qua talis, non peccat, subintelligе cum studio & delectatione. Et: peccatis indulgens non est renatus; Hoc est, vera fides consistere non potest cum studio peccandi. Quisquis amat peccata, caret Dei amore, fideque.

V. Ex dictis patet, falsam esse Photinianorum accusationem, quod peccata apud nos extenuentur, eaque existat occasio multiplicandorum peccatorum. Nam constanter docemus, omne peccatum esse ἀνομίαν, ac proinde mereri iram Dei, & damnationem. Asserimus etiam, fidelis ministri officium non facere, qui peccata auditorum debita gravitate non arguit & castigat. Quin & illud affirmamus, peccandi studium arguere hominem impium, & Christiano nomine indignum. Sed hinc non sequitur, vel posse Christianos in hac vita esse sine peccatis, vel peccata contra conscientiam admissa esse irremissibilia, etiamsi agatur pœnitentia.

VI. Quare argumenta quindecim Photinianorum, in examine proposita, hoc tantum ostendunt, renatos non delectari peccatis: quod & nos dicimus: & qui peccatis sese totos dedunt, non esse veros Christianos, quod & nos affirmamus. Ac proinde decem illa absurda nostram sententiam non attingunt. Nam peccandi studium fidem tollit, sed non perinde naturalis infirmitas. Imo lucta est in quovis renato carnis adversus Spiritum: quam carnis repugnantiam esse vere peccatum, tametsi ei resistat Spiritus. evidenter ostendit D. Paulus pro-

proprio suo exemplo, Rom.7. cap. in quo principali hoc argumento utitur, v.14. Lex est spiritualis, *inquit*, ego vero carnalis, venundatus sub peccatum: *Hoc est, lex requirit, obedientiam plenam & perfectam, sine ulla repugnantia, ut totus Spiritus unice feratur in Deum, absque ullo impedimento. Ego vero, tametsi renatus, carnalis sum, hoc est, multum carnis sive veteris Adami in me reliquum est: unde lucta oritur adversus Spiritum, ac proinde implere legem Dei non possum, ut ex sequentibus liquet.*

VII. Pro vera illius loci expositione nota simplices terminos: spiritualis homo, & carnalis, dicitur vel ex toto, vel ex parte. Ex toto Spiritualis est, *in quo plene regnat Spiritus sine luctu carnis: sic dicimur futuri spirituales in cœlo, 1.Cor.15.v.44.* Ex toto carnalis est, *in quo plene regnat caro sine lucta Spiritus, hoc est, qui ambulat secundum carnem, & desideria carnis perficit, Rom.8.v.5.6.7.8.&c.* Ex parte spiritualis est, *in quo Sp. luctatur adversus carnem, eamque deprimit & mortificat, ut peccatum non regnet: Hoc modo renati dicuntur spirituales, nempe a potiori, hoc est, a spiritu, qui in ipsis regnat, sed non sine lucta adversus carnem. Militandum enim nobis est contra peccatum per totam vitam: plenam victoriam adepturis in fine seculi, 1.Cor.15.v.24.54.57. Eodem modo* ex parte carnales *dicuntur, in quibus caro quidem luctatur adversus Spiritum, sed ab eo deprimitur: Hoc est, in quibus est lucta Spiritus adversus carnem, & carnis adversus Spiritum, illi ex una parte dicuntur spirituales, ex altera carnales: quia in ipsis utrumque reperitur*

tur, nempe novitas Spiritus, & vetustas carnis. Atque in hac significatione D. Paulus de se dicit, quod sit carnalis, & sub peccatum venditus, hoc est, quod sentiat in se onus & tyrannidem peccati, & pravitatem carnis, summoque studio contendat ab ista servitute & miseria liberari. Et respicit Apostolus ad originem, quod ex carne nascamur caro, & natura simus filii iræ, & mancipia peccati. Renati igitur ex ea servitute cupiunt liberari, & luctantur adversus carnem, ut eam mortificent cum pravis ipsius desideriis. Quare absurdissimi sunt, qui hoc in loco dicunt per carnalem intelligi hominem non renatum. Contrarium enim evidenter ostendit lucta illa, quam prolixe describit Apostolus; quæ non est nisi in renatis. Et plane frivolum est, luctam illam interpretari philosophice de lucta mentis sive rationis, & affectuum. Quasi vero Ethicam disputationem instituere Apostolus ibi voluisset de moderandis affectibus, & rectæ rationi subjiciendis. Cogitabunt saltem, qui sic ineptiunt, methodum Paulinam. Egerat de hominis peccatoris justificatione, cap. 3. & 4. & effecta sive consequentia ejus recitaverat, cap. 5. tum c. 6. subjicit officium & studia justificatorum: & c. 7. ostendit in iisdem luctam Spiritus & carnis: in qua si victores evadent, concludit c. 8. nihil esse condemnationis in his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum. *Quam conclusionem inferri nullo modo posse de homine non renato, tam est clarum, ut negari non possit. Et quis fando audivit, non renatos ambulare secun-*

dum Spiritum, quem non habent? Cujusmodi argumenta longe plurima adversus Photinianam istius textus Apostolicii depravationem formari possint. Vbi obiter notandum, inter ipsos etiam Pontificios non defuisse, qui locum istum non de ipso Paulo renato, sed de non renato voluerint interpretari: quos authoritas Augustini reprimere potest & debet, l.1. retractationum c.1.

VIII. Negant Photiniani se esse Novatianos, sive Catharos, sive Perfectistas: a quorum dogmatibus tamen non abhorrent. Nomen igitur solum refugiunt, doctrinam tenens. Contendunt enim posse Christianum implere mandata Christi, ac proinde esse sanctum & justum per suam istam obedientiam: ut pœnitentia opus non habeat: id quod putant probari posse ex *Luc.15. v.7.* Docent item, multa esse peccata ad mortem, ut avaritiam, furtum, adulterium, homicidium, iras, contentiones, hæreses, &c. quæ committentes in gratiam non recipiantur. Offerri quidem illis interdum veniam, sed tamen haud dari, quia Deus contemtum bonitatis suæ horribiliter ulciscatur, adeo, ut cum lacrymis quæsita pœnitentia nusquam reperiatur, *Hebr.12.v.17.* Imo expresse scribunt: Muthwillige Sünde hat kein Opffer/ *Hebr.10.* Vnde inferunt, peccatores (voluntarie peccantes) mori in peccatis suis, & damnari universos, qui ob facinora jugulantur a carnifice, vel violenta sive cruenta morte intereunt. Et, ne quid desit impietati, statuunt, pœnas temporales, morbos & alias calamitates, quæ, ob scelera commissa, hominibus immittun-

tuntur, non nisi ab irato Deo infligi, & esse testimonia æternæ damnationis. Vide Sommerum in tractatibus Anno 1583. & in confutatione seniorum, p. 69. 70. Examen Germanicum &c.

IX. *Nos peccatorum discrimen esse fatemur, & urgemus ipsi contra Photinianos. Vnum enim peccatum irremissibile esse docuit nos Christus, Matth. 12. v. 31. nempe quod committitur in Spiritum sanctum: quod ex hac causa irremissibile vocatur, quia semper conjunctam habet indurationem & impœnitentiam finalem. Est enim non solum petulans abnegatio agnitæ, & in conscientia approbatæ divinæ veritatis, sed etiam blasphemia, impugnatio veræ doctrinæ, & persecutio, contra testimonium Sp. sancti, cujus gratiam repellit blasphemans, & sanguinem Christi profanum dutit, hoc est, reiicit omnia media salutis, omnesque vias ad pœnitentiam agendam sibi ipse præcludit. Solum igitur hoc peccatum est irremissibile: de quo etiam loquitur Epist. ad Hebr. c. 6. vers. 4. cap. 10. vers. 26. & seqq. Reliqua vero omnia peccata remitti possunt: & remittuntur vere resipiscentibus, ut expresse Christus affirmat, Matth. 12. vers. 31.* Omne peccatum & blasphemia, *inquit*, dimittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non dimittetur. *Christus enim portavit peccata omnia totius mundi: ejusque sanguis nos emundat ab omni peccato, sine ulla ullius exceptione. Eaque universalis, ut ita dicam, peccatorum omnium remissio nobis annunciatur & offertur in Evangelio.*

Nullum igitur vulnus a Satana inflictum est humano generi, quod non sanare possit Christus, & velit. Quare omni dubitatione caret, homini resipiscenti peccata sua omnia omnino remitti. Peccans autem in Spiritum sanctum resipiscere non potest, ut ostendi. Irremissibile igitur hoc peccatum dicitur, non propter imperfectionem satisfactionis Christi, sed tantum propter totalem privationem omnium mediorum, per qua ad salutem perveniri potest. Cogitent hic piæ mentes, quantum fuerit peccatum protoplastorum, propter quod totum humanum genus obnoxium factum est morti & damnationi: in quo totus decalogus in omnibus & singulis præceptis violatus est, quod facile demonstrari potest: neque tamen propterea veniam fuisse denegatam putabimus miserrimis istis & infelicissimis peccatoribus, quibus ipse æternus Dei Filius protevangelium promulgavit, Genes. 3. per quod erecti, vivificati, & salvati sunt.

X. *Atque hic fons est errorum Photinianorum in hoc articulo: quod nimirum negant Christi pro peccatis nostris satisfactionem. Hac enim sublata, ratio humana prudenter colligit, pro peccatis graviusimis, homicidio, adulterio, & similibus; nullam ab homine satisfactionem præstari posse. Cumque fides nostra nitatur Christi obedientia, eamque in Evangelio apprehendat: planum evadit, negato hoc fundamento, doctrinam de pœnitentia totam depravari.*

XI. *Porro, quia docent Photiniani:* muthwillige Sünde habe kein Opffer / peccatum petulanter

ter admissum non habere sacrificium (*quæ verba desumpta videri possunt ex Hebr.10.v.26. ubi agitur de insigni illo peccato in Spir. S. neque debent ulterius extendi, aut recte possunt*) exponunt nobis, *quid de reliquis peccatis sentiant, & quo sacrificio expiari illa possint. Ita enim lex oppositionis requirit. Nos interim eos reducimus ad sacrificia V.T.* (*quæ omnia fuisse typos unici illius sacrificii Christi in ara crucis, tam est ex Epistola ad Hebræos, & aliis scripturis divinis evidens, ut negantes Photiniani extremæ pervicaciæ convincantur*) *& inprimis ad Lev.6.v.1. & seqq. ubi expresse describitur sacrificium pro spontaneo peccato. Videatur integer locus, ut erubescant Photiniani, si quis in iis pudor est reliquus.*

XII. *Dictum ad* Hebr.12.v.17. *loquitur de Esavo cum lachrymis quærente pœnitentiam* (*non suam de admissis peccatis, quorum a Deo per fidem in promissum Messiam remissionem peteret, sed*) *patris Isaaci, ut retractaret benedictionem, Iacobo collatam. Quæ historia clarissime descripta extat Genes.27. ubi totam considera. Inepta igitur collectio est: Esau efficere non potuit, ut patrem pœniteret collatæ Iacobo benedictionis: Ergo non omnes vero resipiscentes recipiuntur in gratiam apud Deum. Promissiones enim de paterna Dei voluntate extant passim in scripturis: Nolo mortem impii,* inquit, *Dominus, Ezech.cap.18.v.13. Sed ut convocatur a viis suis, & vivat. Vbi nota* primo: Impius *dicitur, qui idola colit, adulteria exercet, ad menstruatam accedit, vers.6. qui vim infert*

proximo, raptor, immisericors, v. 7. usurarius, iniquus, falsus judex, v. 8. contemptor divini cultus vers. 9. adde v. 11. 12. 13. Secundo: *Talis impius potest converti, & multi tales conversi sunt, vers. 21.* Tertio: *Dei voluntas est, ut tales impii convertantur, v. 23. 33.* Quarto: *Impio, si convertatur, non erit in ruinam iniquitas, vers. 31. Vnde emergit conclusio:* Quisquis peccator acta pœnitentia revertitur ad Deum, remissionem omnium peccatorum consequitur, & vivit. *Addi possunt loci similes:* Venite ad me omnes, *Matth. 11. v. 28.* Venientem ad me non ejicio foras, *Ioh. 6. v. 37. &c. Nam concio pœnitentiæ est universalis, & omnibus hominibus dicitur:* Agite pœnitentiam, & credite Evangelio. *Et generalis sententia est?* Omnis, qui credit in Christum, non peribit, sed habebit vitam æternam. *Quæ fundamenta omnia labefactari necesse est, si Photiniana blasphemiæ locus concedatur.*

XIII. *Calamitates, afflictiones, & pœnæ corporales sunt, ut ita loquar, sensibilis concio legis, & malleus, conterens petras durorum cordium, ut peccata agnoscantur, & acta pœnitentia homines convertantur ad Deum.* Deinde *etiam renatis sæpe immittuntur afflictiones, quæ sunt paterna Dei castigatio, quæ multiplicem usum habere potest, ut alibi explicatur. Et vulgatum est dictum: Ecclesia est subjecta cruci. Nam per varias tribulationes oportet nos ingredi in regnum cœlorum, Actor. 14. vers. 22.* Tertio: *Pii sæpe involvuntur publicis calamitatibus, propter certas causas Deo specia-*

tim

tim notas, & ut iram suam adversus impios Deus clarius exerat: ut in obsidionibus, prœliis, captivitatibus, exiliis, inundationibus, incendiis, morbis, epidemiis, &c. Temeraria igitur sententia est, & a Dei clementia, & Christiana charitate aliena, omnes æternum perire, qui in bello ceciderint, naufragiis perierint, incendiis, aliisve similibus casibus absumpti fuerint. Quarto: *Fieri posse, ut etiam malefici ad supplicia rapti, ad Deum convertantur, testatur exemplum latronis cum Christo crucifixi, Luc. 23. vers. 42. 43. Quæ a nobis non ideo dicuntur, ut spe impunitatis homines licentiosius peccent, sed, ne ad desperationem adigantur, quibus a gravissimis peccatis resurgendi gratiam Deus benignissimo largitur, & ut contradicamus illis, qui misericordiæ calumniam struunt benignissimo Domino Iesu Christo, ut Eusebii verbis utar, de veteribus quibusdam similibus hæreticis differentis.*

XIV. *Ex dictis patet, Novatianos & Catharos imitari Photinianos, quicquid prætexant, & de pœnitentia in multis capitibus perperam docere, tum plura peccatorum genera dicant non remitti, tametsi pœnitentia agatur: & negent fidem per Christum peccatorum expiationem: cui proinde fides inniti non possit: potiusque in eo fidem positam esse dicant, ut Christum imitetur: & hanc obedientiam sic perfectam esse posse statuunt, ut pœnitentia opus non habeat homo sanctus & justus in hac vita: ut jam nihil dicam de ipsa eorum obedientia: quam conformari dicunt ad præcepta*

Christi, quæ varia confingunt ipsi præter & contra scripturam, ut videbimus infra ad articulum Augustanæ Confessionis vigesimum, de bonis operibus.

ARTICVLVS XIII.

DE VSV SACRAMENTORVM.

Dictum fuit de novi Testamenti Sacramentis, Baptismo & sacra Domini Cœna, & quæ a nobis requirantur, Sacramenta illa percepturis: (canibus enim & porcis non sunt proiiciendæ margaritæ, Matth. 7. v. 6.) nunc bono ordine sequitur de eorundem salutari usu. Verba articuli illius ita haberent:

De usu Sacramentorum docent, quod Sacramenta instituta sint, non modo, ut sint notæ professionis inter homines, sed magis, ut sint signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui utuntur, proposita. Itaque utendum est Sacramentis ita, ut fides accedat, quæ credat promissionibus, quæ per Sacramenta exhibentur & ostenduntur. Damnant igitur illos, qui docent, quod Sacramenta ex opere operato iustificent, nec docent fidem requiri

quiri in usu Sacramentorum, quæ credat remitti peccata.

I.

Desumptus est hic artic. ex 8. inter 17. D. Lutheri, cujus hæc verba sunt: Bey und neben solchem mündlichem Wort hat Gott auch eingesetzt eusserliche Zeichen / die man Sacrament nennet / nemlich die Tauffe und *Eucharistia*, durch welche Gott neben dem Wort auch den Glauben und seinen Geist anbeut und giebt / und stärcket alle die sein begehren.

II.

Iudicium Caroli V. Cæsaris, & Principum Romanensium.

Tredecimus articulus, inquiunt, nihil offendit, sed acceptatur, dum ajunt, Sacramenta esse instituta, non modo, ut sint notæ professionis inter homines, sed magis, ut sint signa & testimonia voluntatis Dei erga nos. Petendum tamen ab eis erit, ut, quod hic in genere de Sacramentis perhibent, speciatim quoque de Septem Sacramentis Ecclesiæ fateantur, & in subditis suis observari procurent.

Andreas Fabricius Leodius *calumniatur, Vaniloquos istos (confessores intelligit) ita fidem describere, ut non Evangelizare, sed judaizare deprehendantur. Sacramenta signa esse, faciunt divinæ benevolentiæ, inquit, sed sanctitatem aliquam sua natura præstare negant. Postea dicit, Eucharistiam ipsis esse nudum signum: eoque modo justificari*

cari Zvvinglium & Calvinum, in imperialibus comitiis totos condemnatum. Tum differit de opere operato: quod definit opus eiusmodi, quod non tam respicit externam functionem ministri, quam institutionem Christi, occultioremque illam vim, quam Deus adhibet & praestat aquae, oleo, pani, caeteris que rebus, quarum in Sacramentis usus est. Opus vero operantis esse dicit, in quo qualitatum ministri, exterius suam operam accommodantis, ratio habetur. Illustrat exemplo paupercula, Marc. 12. v. 42. quae duo minuta in gazophylacium projecerat. Haec enim plus omnibus dedisse dicitur: nimirum ex opere operantis, hoc est, non secundum rem ipsam, ex sua natura consideratam (ditiores enim aliquot aureos dedisse non est dubium) sed secundum affectum & devationem largientis. Et hinc planum fieri putat, recte & vere dici, Sacramenta justificare ex opere operato. Imo nihil absurdi esse putat, affirmare, quod Sacramenta aliquando sine bono motu utentis justificent. Idque probari statuit exemplo infantum.

Opus operatum.

Opus operantis.

Iohannes a Daventria: Hic articulus, inquit, nihil complectitur incommodi, ideoque ut sincerus a Catholicis agnoscitur. Requirit tamen numerum septenarium Sacramentorum: & gravissime invehitur in Apologiam, quam vocat sentinam spurcitiarum. Unum hoc magnopere commendandum foret, quod in margine addicit: Fidem in omni bono opere necessarium esse: si fidem justificantem intelligeret, non autem nudum assensum, vel fidem, quam vocant, Carbonariam, quae credit

ea,

ea,(tametsi ignorat)quæ credit Ecclesia.

Iohannes Cochlæus *novitatis nomine traducit hunc articulum: sub qua lateat error, quod Sacramenta novæ legis* tantum *sint signa, quæ significent quidem, sed non conferant gratiam iis, qui non ponunt obicem. Deinde parvulos affirmat per baptismum certissime accipere gratiam & remissionem peccatorum* ex opere operato (*hoc est, ex institutione Christi, qui opus baptizandi mandavit & instituit*) *etiamsi per se neque credunt, neque bonum motum cordis per se habent, sed resistunt, quantum possunt, nescientes quid faciant, aut quid circa eos fiat. Sic &* Missam *recte celebratam* ex opere operato *semper bonam dicit, etiamsi non sit bonus sacerdos, qui missam celebrat. Denique blasphemia nos accusat: quod existimemus, quod virtus & gratia Sacramentorum magis dependeat ex bonitate operantis, quam ex opere operato, quod institutum est a Deo. Et virulenta oratione discussionem suam finit.*

Iohannes Hoffmeisterus *se se refert ad ea, quæ supra articulo 9. proposuit: & hunc articulum probat, quoad prima eius membra, modo intelliguntur de adultis. Vere enim,* inquit, *testantur nobis Sacramenta de Dei voluntate, & excitant, multoq; magis confirmant fidem nostram. Et quoniam sine fide impossibile est placere Deo, & accedentem credere oportet,* recte requiritur fides suscipiẽtis: nõ quidem ad veritatem Sacramenti, sed ad fructum suscipientis. *Quare de parvulis disputans, approbat, quod Ecclesia usum communicandi infantes abolevit.*

NB. rit. Et opus operatū *nihil aliud esse asserit, nisi veritatem verborum Christi, & hujus infallibilem promissionem, adeoque ejusdem nunquam violandam ordinationem. Tum de numero septenario Sacramentorum institutā dissertatiuncula:* Ego, *inquit*, neque de Sacramentorum virtute,
NB. neque de ipsorum numero hic cum aliquo rixabor. *Et subiicit justissimam Episcoporum Romanensium reprehensionem, taxans eorum ignorantiam, negligentiam, avaritiam, & Curtisanorum impostūram: adeoque luxum etiam, qui sit in administratione Sacramentorum. Et inprimis indignatur, quod pudeat Episcopos Sacramenta per semetipsos conferre, cum omnia apud ipsos sint venalia.*
NB. *Iam quod ad parochos & Ecclesiastas attinet,* inquit, *vix centesimus quisque de Sacramentis ullam facit mentionem in suis ad plebem concionibus, hic ex ignorantia, ille ex negligentia. Hæc repurgentur, & non erit ullus locus de Sacramentorum vel dignitate vel numero conquerendi. Hæc Hoffmeisterus.*

Alphonsus Virvesius *Philippica* 12. *Sacramentum definit, sacræ rei efficax signum. Vnde postea infert, septem esse Nov. Testamenti Sacramenta, quæ ordine recensēt, & monstrare conatur ex divinis scripturis.* De Sacramentorum *vero* usu & efficacia: *Est quorundam Theologorum opinio,* inquit, *quod Sacramenta ex opere operato, ut dicunt, sine aliquo animi motu in suscipiente conferant gratiam, non ponenti obicem ipsi gratiæ. Quid habet incommodi,* inquit, *hæc opinio? Pro confirma-*

ma-

matione adfert exemplum baptizatorum infantium. Et postea multa profert pro opere operato. De fide *autem nomine Scholasticorum respondet, fidem secludi a praecedenti merito gratiae Sacramentalis, sed non ab actu, aut certe non ab habitu. Requirit etiam intentionem. Et docet, gratiam vel majorem, vel minorem in ipsis etiam Sacramentis contingere posse suscipienti, quo majore vel minore fide ac pietate accesserit ad Sacramenta. Denique recentiores fatetur varie philosophatos de Sacramentorum efficientia:* aliis *dicentibus (ipsius propria verba recito) Sacramenta ipsa causare gratiam, ut ipsi loquuntur:* aliis, *tantum dispositionem quandam in anima susceptori:* aliis, (*quod ipse verius existimat*) *nihil prorsus Sacramentum efficere asserentibus, nisi quod est signum, eatenus efficax, quatenus nunquam illi deest effectus divinae propitiationis: idque non habet ex se, sed quia is, qui promisit, fallere omnino non potest, nec committere, ut Sacramenti pignore, quod ipse interposuit, exhibito, quicquid pollicitus est, non praestet.* NB.

Georgius Cassander *in consultatione hunc articulum & exponi, & recte suppleri posse censet, ex verbis libri, ad compositionem religionis Ratisbonae propositi. Ex quo affirmat, duabus potissimum de causis Sacramenta divina authoritate instituta esse:* una, *ut essent signacula, & velut tesserae quaedam hujus magnae congregationis, quae est Ecclesia:* altera, *ut sint certa & efficacia signa voluntatis & gratiae Dei erga nos,* & proinde non signa, ut tantum signent, sed ut sanctificent, & nos de accepta gratia cer-

certiores efficiant, utque in nobis fidem excitent, & ad mutuam dilectionem, sanctos & Christianos mores provocent, & inhortentur. *Proponit ibidem & commendat tanquam plenissimam Hugonis de S. Victore definitionem Sacramenti:* Sacramentum est materiale quiddam ex institutione significans, & similitudine repræsentans, & ex sanctificatione continens gratiam spiritualem. *Approbat etiam quod in Confessione dicitur*, fidem ad usum Sacramentorum accedere debet: *& affert dictum Augustini: Non interest, cum de Sacramenti integritate & veritate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum: Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nil interest.* De opere operato *suam mentem expossuit in articulo octavo: ubi inter cætera statuit:* adulto, ut digne & utiliter percipiat Sacramenta, opus esse fide, & pia quadam animi affectione. *Nec improbat in adultis illud: Non Sacramentum fidei, sed fidem Sacramenti justificare.*

De numero Sacramentorum *modeste loquitur. Concedit duo esse præcipua salutis nostræ Sacramenta, baptismum & sacram cœnam. Apud vetustiores dicit, nunc duo poni, nunc tria, nunc quatuor. Ante Lombardum non fuisse constitutum certum & definitum numerum. Ipsos etiam Scholasticos existimasse in septem illis non omnia æque proprie Sacramenta vocari. Lombardum denique & Durandum negare per matrimonium gratiam conferri: ac proinde dicere, non esse univoce Sacramentum.*

II. Ex-

III.

Explicatio articuli.

Constat thesi, & antithesi. Membra thesews de fine, & usu, & effectu Sacramentorum, duo sunt: Prius *recitat fines Sacramentorum: tum secundarium sive symbolicum (quem solum finem urgebat Zvvinglius) esse notas professionis inter homines: tum primarium* respectu Dei *offerentis, exhibentis & applicantis, nempe esse signa & testimonia divinæ erga nos voluntatis, sigilla & pignora divinæ gratiæ:* Respectu utentium: *ut fides per illa in nobis tum excitetur, tum etiam confirmetur. Sicut supra artic. 5. dictum fuit, Sacramenta esse instrumenta, per quæ donatur Spiritus sanctus, qui fidem efficit.* Posterius *ostendit, fidem esse necessariam ad salutarem Sacramentorum usum. Etsi enim fides non facit Sacramentum, ut sit: (hoc enim divinæ est institutionis) efficit tamen, ut nobis sit salutare. Quare sine fide potest quidem esse Sacramentum, sed prodesse nobis sine fide non potest.* Antithesis *duos errores damnat:* prior *est de opere operato:* posterior *de usu Sacramenti sine fide.*

IV.

Exegesis & Confirmatio.

I. De nomine *Sacramenti* tenendum est dictum Augustini ad Marcellum Epistola 5. *Instituta a Deo rerum divinarum signa,* inquit, *humani elogii inopia & facilioris doctrinæ causa, a veteribus patribus dicta sunt Sacramenta.* Quorum definitionem dedimus supra artic. 9. 319.

Sacramentum.

II. Cum

II. Cum autem Deus & natura nihil faciant frustra: certum est Sacramenta, quæ sunt divina instituta, ad certos fines dirigi. Finis igitur Sacramentorum vel *generalis* est, & omnibus Sacramentis communis, vel *specialis*, & suus cuique proprius.

Finis Sacramentorum.

Finis generalis vel est primarius, vel secundarius.

Respectu Dei.

III. *Primarius* est *organicus:* nempe *respectu Dei* offerentis, exhibentis, applicantis & obsignantis suam gratiam, remissionem peccatorum, & vitam æternam. Inde Sacramenta vocantur & sunt media & instrumenta gratiæ, signa & testimonia, adeoque etiam sigilla & pignora divinæ erga nos voluntatis.

Respectu utentium

IV. *Respectu* vero *utentium*, ut fides per illa in nobis tum excitetur, tum etiam confirmetur.

V. Quæ quidem fidei tum generatio, tum confirmatio dependet non ex solis symbolis externis Sacramentalibus, sed ex Dei verbo Sacramentum instituentis, ac proinde ex toto Sacramento. Vnde, qui effectus Evangelio tribuitur, negari de Sacramentis non potest, in quibus ipse nucleus Evangelii continetur. Quod adeo verum est, ut negari ab ipso Calvino & Sadeele non potuerit, quorum illum vide lib. 4. Instit. c. 14. §. 17. hunc de spirituali manducatione p. 32.

Instrumentum offerens.

Sigillum obsignans.

VI. Sunt autem duæ distinctæ notiones *offerre* (quod est causæ instrumentalis sive organicæ) & *obsignare*, quod est adjunctum officium Sacramentale. De priore supra confessio dixit artic. 5. quod

per

per verbum & Sacramenta, tanquam per instrumenta, donetur Spiritus sanctus, qui fidem efficit. Et hoc loco recte & vere dicuntur Sacramenta signa & testimonia voluntatis Dei, nempe per illa ipsa propositæ & oblatæ; est enim *obsignatio* rei *præsentis:* eaque obsignari dicuntur, quæ jam habentur. Vnde Sacramenta dicuntur signa & testimonia gratiæ præsentis. Et hinc nata distinctio est, inter signa *significantia* (qualia in V. T. multa fuerunt) & signa, (materialiter, non formaliter voce accepta, hoc est, symbola sive media) *exhibitiva.*

VII. Sunt igitur Sacramenta, (tanquam divina quædam manus) organa sive media, gratiam Dei & Christi beneficia nobis offerentia & exhibentia. Quod sic probatur: Primarij Sacramentorum finis.

1. Quia promissiones divinæ nobis offerunt Dei gratiam. Nucleus autem divinarum promissionum continetur in Sacramentis.

2. Quia per Sacramenta inserimur fœderi Dei, in eoque confirmamur & conservamur: id quod de circumcisione in V. T. *Genes. 17. Rom. 4.* de Baptismo in Novo Test. fuit supra ostensum artic. 9. p. 319. seqq. de agno autem paschali, *Exod. 12. 1. Cor. 5.* de Cœna Domini supra artic. 10. p. 352. seqq.

3. Propria effecta divini instrumenti offerentis & applicantis prædicantur de Sacramentis: ut recipi in fœdus, salvari, ablui a peccatis, &c. Ergo Sacramenta sunt media offerentia, exhibentia, & applicantia, nempe divinam gratiam.

4. Si Sacramenta non sunt organa divinæ gra-

tiæ offerentia, sequuntur absurda: 1. pro infantibus nullum esse ordinatum medium salutis, 2. Sacramenta esse nuda, vacua, & inania signa. 3. & testari de re non existente, hoc est, esse testimonia non veritatis, sed falsitatis, quod absit.

Conferre.

VIII. Obiter hic nota, verbum *conferendi* complecti & δόσιν, & λῆψιν, oblationem simul & acceptionem. Quod enim offertur & præbetur, neque tamen accipitur, non illud collatum dici solet.

Sacramenta sunt signa, testimonia, pignora, Obsignationes.

IX. Sacramenta esse *signa*, *testimonia*, *obsignationes*, & *pignora* divinæ erga nos voluntatis, demonstratur perspicuis sacræ scripturæ testimoniis, *Rom. 4. v. 11.* ubi circumcisio vocatur σφραγὶς *sigillum* justitiæ fidei, *1. Petr. 3. v. 21.* baptismus dicitur ἐπερώτημα interrogatio bonæ conscientiæ ad Deum, *1. Iob. 5. v. 8* dicitur spiritus, hoc est, ministerium Evangelii, & aqua, hoc est, baptismus, & sanguis, hoc e., cœna dominica, *testificari* in terris.

Fines speciales.

X. *Speciales fines* alii sunt Sacramentorum *initiationis*, nempe circumcisionis & Baptismi, videlicet receptio in fœdus Dei, regeneratio & renovatio, insitio in Ecclesiam: alii Sacramentorum *confirmationis*, paschatis & cœnæ Dominicæ, nimirum conservatio & augmentum fidei, & donorum Spiritus sancti. Qui fines in singulis Sacramentis speciatim sunt explicandi. Estque hæc distinctio non exclusive intelligenda, sed comparative.

Fines secundarii.

XI. Fines Sacramentorum *secundarii*, sive minus principales multi dari possunt. Nam 1. Sacramen-

menta sunt nervi publicorũ congressuum. 2. Sunt notæ & tesseræ Ecclesiæ, quibus & tota Ecclesia, & singula Ecclesiæ membra distinguuntur a gentilibus sive paganis. *Sequuntur enim Sacramenta naturam doctrinæ, cui annexa sunt.* Ex quo fundamento concluditur, non leviter peccare nos, qui Sacramenta quærunt & suscipiunt in iis Ecclesiis, ubi non sonat pura doctrina Evangelii, quicquid etiam prætexant. 3. Sunt etiam Sacramenta notæ unitatis & dilectionis: multæque ex iis exculpi possunt doctrinæ de variis rebus. Et non raro occurrunt apud scriptores veteres & recentiores *allegoriæ*, ex Sacramentis extructæ, quæ suo loco, quando tempestive & cum judicio adhibentur, habent suum usum. Non debent autem isti fines & applicationes confundi ab ipsa forma Sacramentorum: quæ ἀπαιδευσία apud eos perpetua est, qui ex metaphoricis, vel allegoricis expositionibus & applicationibus extruunt ἀναλογίαν Sacramentariam, eamque pro forma Sacramentorum venditant. Vide, si libet, Tom. III. Giss. disput. 8. th. 5, & seqq.

XII. De *numero Sacramentorum* expedita res est. Vox Sacramenti in hac singulari, & exquisita significatione est ἄγραφος. Neque usquam in sacris scripturis proposita est plena & accurata generalis definitio Sacramenti: quæ proinde colligenda & formanda est ex iis locis, ubi de Sacramentis, exquisite dictis, agitur. Ex quibus nos confecimus eam, quæ supra artic. 9. p. 319. proposita est. Quæ cum non conveniat, nisi Baptismo & cœna Sacramentorum numerus.

Domini: hæc duo sola vere & proprie dicta N. Testamenti esse Sacramenta asserimus.

Absolutio.

XIII. Quod vero Apologia *Absolutionem* etiam hoc nomine dignatur, causa in promptu est: quia paulo latius illud vocabulum interpretatur, & in primis respicit ad applicationem ad singula individua. Sicut enim promissiones Evangelii referuntur generatim ad omnes credentes, ita in Sacramentis fit applicatio ad singulos homines, quibus illa dispensantur. Nam multi eodem tempore simul possunt audire Evangelium: Sed non baptizantur multi simul & semel, sed unus post alterum: itemque cœna dispensatur singulis, uni post alterum. Eodemque modo privata absolutia singulis, peccata sua confessis, & vera in Christum fide eorum veniam petentibus, certo ordine, nunc huic, nunc isti, nunc illi, in individuo annunciatur. Propter hanc igitur singularem applicationem Apologia dicit, posse Sacramenti nomen etiam Absolutioni concedi: non autem in significatione illa strictissima, quæ tribuitur soli baptismo & sacræ cœnæ.

Sacramentorum septenario.

XIIII. De *Sacramentis cæteris*, quæ Papistæ confingunt, uno verbo respondemus, definitionem Sacramenti illis non competere, propterea nec definitum. Antecedens probatu facilimum. Neque opus hoc loco fusiore refutatione. Dignum tamen est, ut annotetur Papistarum ingeniosum inventum pro numero Sacrementorum septenario. Septem, inquiunt, sunt Sacramenta, quia sunt septem spiritualium malorum differentiæ,

tiæ, quibus septem oportet opponi medicinas: vel quia septem sunt dona Spiritus sancti: vel, quia sunt septem virtutes, quatuor cardinales, & tres Theologicæ. Vel quia septem sunt hominum ordines, 1. intrantium, 2. pugnantium, 3. vires resumentium, 4. resurgentium, 5. exeuntium, 6. ministrantium, & denique, 7. novos milites introducentium. Quidni etiam addunt septem planetas? & septem artes liberales? & septem Ecclesias, *Apoc. 1. v. 4.* & septem spiritus? ibidem & septem sigilla? *Apoc. 5. v. 1.* aliaque similia? Numerus enim septenarius celeberrimus est. Sufficit, ipsos ingenuos Papistas fateri, septenarium illum Sacramentorum numerum neque in scripturis, neque in vera antiquitate inveniri.

V.

Errores Papistarum de usu Sacramentorum.

Sacramentorum virtus.

I. *Intricatissima hac quæstio est* de efficacia Sacramentorum *apud Papistas, si quis conferre velit veteres Scholasticos cum recentioribus scriptoribus. Docuere ex veteribus nonnulli gratiam divinam ita contineri Sacramentis, sicut nardinum in alabastro, sive ut qualitatem aliquam, divinitus elemento inditam, & absolute in eo inhærentem: per quam Sacramentum influens & agens in animam, gratiam iustificationis efficiat. Atque hinc communis illa orta est opinio, Sacramenta Novæ legis iustificare ex opere operato. Bellarminus lib. 2. de Sacramentis cap. 1, & seqq. priorem illam*

sententiam negat habere locum in Ecclesia Romanensi, & speciose pingit suam doctrinam. Sed nobis præter alios testis est Alphonsus Virvesius, cujus verba propria recitavimus, quæ novum Bellarmini colorem non admittunt.

Opus operatum. II. Opus operatum *tale dogma est, qualis est locutio, nempe barbara & monachalis. Quam tamen confirmat Bellarminus novo barbarismo, quia Heb. 13. verbum*: Promeretur: *accipiatur passive. Græce est εὐαρεστῆται, id est, delectatur. Versio igitur illa Latina*: promeretur: *passiva, digna est, quæ patiatur correctionem. Quidni etiam attulit dictum, Gal. 5. Fides per charitatem* operatur? *Nam & hic nonnulli ita ineptiunt, inter quos est Pistorius Apostata, qui passive accipiunt, pro* agitur, & movetur. *Satis de nomine.*

III. *In re ipsa explicanda Bellarminus singularem suam diligentiam approbare voluit. Notandum est*, inquit, *loco supra notato, in justificatione, quam recipit aliquis, dum percipit Sacramenta, multa concurrere: nimirum ex parte Dei, voluntatem ut endire illa sensibili: ex parte Christi, passionem ejus: ex parte ministri, potestatem, voluntatem, probitatem: ex parte suscipientis voluntatem, fidem & pœnitentiam: denique ex parte Sacramenti ipsam actionem externam, quæ consurgit ex debita applicatione formæ & materiæ. Caterum ex his omnibus id quod active, & proxime atque instrumentaliter efficit gratiam justificationis, est sola actio illa externa, quæ Sacramentum dicitur, & hæc vocatur* opus operatum, *accipiendo passive*

(ope-

(operatum) *ita ut idem fit, Sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quod conferre gratiam ex vi ipsius actionis Sacramentalis, a Deo ad hoc institutæ, non ex merito agentis vel suscipientis. Hæc Bellarminus, qui statim subiicit, passionem Christi quidem concurrere, & esse causam meritoriam,* non autem effectivam: *quia non fit actu, sed præterierit, licet maneat objective in mente Dei, &c.* Confer cum istis Bellarminianis, quæ ex ipsis Pontificiis scriptoribus annotavimus supra, & levitatem Cardinalis miraberis: qui negat, quæ manifeste etiam in ipsa praxi in Papatu tradita & usurpata sunt, & postea Lutheri mentem in plerisque misere pervertit, & sententiam nobis affricat, a qua sumus alieniſſimi: id quod luculente potest demonstrari. Et quæ illa fides est, quæ negat passionem Christi esse causam justificationis effectivam? Vide artic. 4.

IV. *Verbum, quod cum elemento Sacramentum facit, non esse concionale, sed consecratorium, disputat Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 19.*

V. *Sacramenta novæ legis conferre gratiam* ex opere operato, *operose probare conatur lib. 2. de Sacram. cap. 3. & seqq. Sed negat idem de Sacramentis veteris legis, lib. 2. cap. 1. In Sacramentis legis veteris,* inquit, *non ipsum Sacramentum proprie operabatur gratiam, sed vel fides & dispositio suscipientis, vel totius synagogæ, vel quid aliud.* Quæ vero diversitatis illius ratio, ut verbum Dei non sit æque efficax in Vet. atque est in Nov. Testamento? Opus operantis.

mento? Num vires divinas non habet, cum prædicatur, auditur, discitur, cogitatur, ut inde gignatur fides? Num maior in Sacramentis efficacia fuit fidei Iudæorum in veteri, quam fidei Christianorum in N. Testamento? Ex quonam tandem fundamento scripturæ probari potest, quod sic audacter affirmant Romanenses? Quæ enim loca a Bellarmino proferuntur, talem sententiam neque continent, neque admittunt, qualem illis affingit Cardinalis, ut eorum inspectio in suis locis, & vera analysis ostendit.

VI. *Alia est gratia, quæ datur ob dispositionem, alia, quæ datur ex vi Sacramenti, inquit ex Biele Bellarm. lib. 2. de Sacram. c. 1.*

VII. *Sacramenta contrario modo se habent ad fidem, ac verbum: non igitur eodem modo operantur Bellarm. lib 2. de Sacram. c. 8.*

VIII. *Sacramenta possunt etiam in lingua ignota dispensari. Ergo non operantur more concionis sed habent effectum suum præter fidei excitationem, ibidem.* Confer cum 1. Corinth. 14. cap.

IX. *Non Sacramentum, sed fidem Sacramenti justificare, negat Bellarm. lib. 2. de Sacram. cap. 10. aut accipit de solo casu necessitatis, pro eo tempore, quo Sacramentum haberi non possit. Vide autem eundem sibi contradicentem, cap. 1. ubi ex sententia omnium Theologorum in 4. dist. 4. docet, Sacramentum etiam sine fide, & pœnitentia posse recipi, non autem rem Sacramenti, id est gratiam.* Hic enim illius dicti sensus est: *Sacramentum* (quod respectu Dei offerentis vere est salutis instrumentum)

non

non salvat (respectu nostri, nisi fide accipiatur: ac proinde) *fides Sacramenti* (oblatam in eo gratiam recipiens) *salvat*. Plane sicut *Hebr.4.v.2.* dicitur, verbum auditum non prodesse, nisi commisceatur fidei auditorum. Malitiose igitur hoc dictum exponunt illi, qui fidem Sacramento sic opponi statuunt, quasi per eam hoc tollatur, omnisque ipsi virtus & efficacia adimatur: cum certum sit, de applicatione respectu nostri dictum intelligi: sicut Cassandrum supra loquentem audivimus: non Sacramentum fidei, sed fidem Sacramenti justificare.

X. *Sacerdotes conficere Sacramentum communis est Papistarum sententia.* Impium autem est tribui ministro illud, quod proprium est Domini. Dispensatores nos vocat Apostolus mysteriorum Dei, *1.Cor.4.v.1.* non confectores.

XI. *Characterem quendam indelebilem a Sacramentis imprimi, itidem communiter docent. Sed nullus de eo apex in scripturis potest monstrari. Et quando patres nonnulli characterem vocant, intelligunt eo nomine ritum vel externam formam Baptismi. Vide Augustinum sermone de gestu cum Emerico: & lib.2.contra Parmen.cap.13. interdum vero gratiam Spiritus sancti, 2.Cor.1.v.21. Eph.1.v.13.c.4.v.30. &c.*

VI.

Errores Calvinianorum de usu Sacramentorum.

Repete, quæ supra dicta sunt artic.5.& 9. ex Zvvin-

Zvvinglio, Grynæo, Piscatore, de negata Sacramentorum efficacia in salvatione: item, baptismum non esse ad salutem necessarium: nec afferre gratiam: denique ex Beza, Calvino & sociis, vocantibus manifestam idololatriam, qua remittendi peccata, & renovandi corda hominum vis ad Sacramenta transfertur, &c.

I. Sacramenti nomen.

Error primus est in ipso nomine *Sacramenti*: quod ipsi accipiunt de re & ceremonia externa tantum: ut idem notet atque signum: cum sit hoc loco intelligendum de *tota actione Sacramentali*.

II. Definitio.

Secundus in definitione, quam formam ex prædicamento relationis. Vnde formam Sacramenti constituunt in σχέσει & habitudine, & analogia, & proportione signi ad signatum, hoc est, in significando, adumbrando, præfigurando, repræsentando. Quomodo confundunt primum ipsa prædicamenta: Quoniam *Sacramenta*, exquisite dicta, sunt *actiones*. Deinde miscent causas, formalem & finalem. Signare enim & testari, ad *finem* pertinet Sacramentorum, (ut confessio perspicue ostendit) non autem constituit Sacramenti *formam*: quæ consistit *in ordinatione divina*, *sive administratione* Elementi sive symboli externi, divinam vocationem habentis, juxta mandatum & institutionem Christi: ut in sacra cœna, in benedicti illius & distributi panis, qui est κοινωνία corporis Christi, manducatione, & benedicti illius & distributi vini, quod est κοινωνία sanguinis Christi, bibitione.

Ter-

Tertius adhuc crassior est eorum error, qui fidem referunt ad Sacramenti formam: affirmantes, Sacramentum, qua Sacramentum, non nisi fide percipi: *de quibus vide artic. 9. errore 9.*

Quartus error Huldrici Zvvinglii, docentis Sacramenta *duntaxat* significare, seu *non aliud quam duntaxat signa* esse: In Epistola ad civitatem quandam Germaniæ; & in libro de vera & falsa religione. Quod quidem omnes eos statuere oportet (quicquid prætexant,) qui totam Sacramentorum vim & proprietatem in significando, repræsentando, & signando ponunt. *Vid. Calvinum in Catechismo Ecclesiæ Genevensis, de Sacramentis. Zwinglium in secunda responsione ad Confessionem Lutheri:* Sacramentalis essentia est, inquit, non vera illa rei alicujus essentia, sed non quicqvam aliud, quam alterius illius & veræ essentiæ signum & repræsentatio est. *Idem in responsione affert:* Sacramenta non aliud sunt, quam sacræ rei signa: *Idem contra Confessionem Lutheri:* Circumcisio, inquit, nequaquam filios Dei fecit eos, qui in Veteri Testamento circumcidebantur: Sed qui jam ante juxta promissionem filii Dei erant, circumcisionem tanquam signum fœderis, in quo erant, recipere solebant, *Vide etiam ejusdem epistolam ad principes Germaniæ scriptam multis locis. Fatetur hoc Ioachimus Curæus in Exegesi fol. 88.* Carolstadium, Oecolampadium & Zvvinglium *nimium extenuasse Sacramenta*, quasi essent solum externa signa, vel notæ professionis, aut repræsentationes Chri-

Christi absentis, tanquam Agamemnonis in scena, &c. *Vide etiam Danielem Tessanum contra D. Marbachium, p. 334. Eadem est sententia Anatomia, & Responsionis Cassellanorum, item Praxis & Medullæ Catecheticæ, dicentis, qu. 128.* panem & vinum adumbrare, sive repræsentare nobis cibum & potum spiritualem.

V. Præterea Zvvinglius affirmat, omnia Sacramenta tam abesse, ut gratiam conferant, *ut ne adferant quidem, aut dispensent.* In Confessione ad Carolum Imperatorem, articulo septimo. Quam sententiam Bezæ, Grynæo, Piscatori, & aliis communem esse supra ostendimus. *Vidi etiam Calvinum in secunda defensione adversus Westphalum.*

VI. Item confundunt Sacramentorum usum, cum ipsa substantia, quam eandem omnibus Sacramentis Vet. & Nov. Testamenti communem faciunt: *Vt præter cæteros docent Anatomici Marpurgenses, pag. 40. 41. &c.*

VII. Item: negant infantes baptizatos habere fidem: de qua re vide art. 9. errore 8.

VIII. Fingunt analogias Scripturæ ignotas, imo contrarias, in quibus formam Sacramenti consistere ajunt: *In baptismo*, sicut aqua, hoc est, ut ipsi loquuntur, exterior baptismus, abluit corpus, ita sanguis Christi, hoc est, interior baptismus, purgat animam. *In sacra cœna*, sicut pane & vino, hoc est, externo signo depellitur fames & sitis corporis, ita corpore & sanguine Christi, hoc est, re interna, sive cœlesti, fide vescitur anima, ut ad vitam spiritualem confirmetur. Communiter omnes:

omnes: *etiam Calviniani Marpurg. in Anatomia, medulla & praxi Catechetica, &c.* Quod tamen secundum ipsorum proprias hypotheses non de fine, sed de forma Sacramenti intelligendum fuerit.

IX. Pareus in Irenico cap.25.pag.178. consensum prædicat Evangelicorum (quo nomine Lutheranos intelligit & Calvinistas) his verbis: docent Evangelici, inquit, quod effectus Sacramentorum sit, confirmare fidem gratuitæ remissionis peccatorum, justificationis, regenerationis & vitæ æternæ propter Christum: & nos magis ac magis incorporare Christo per fidem, & Spiritum sanctum. Item: docent Evangelici, quod tam vetera, quam nova Sacramenta offerant, & in legitimo usu exhibeant, atque obsignent Christum cum suis beneficiis: illa venturum, & languidius: ista exhibitum, & efficacius. Hactenus Pareus: *Quem* primo *remitto ad verba Zvvinglii, errore quarto, & quinto annotata:* Secundo, *ad suam hypothesin de analogia sacramentali:* Tertio, *ad negatam a se substantialem corporis Christi in cœna, cum pane præsentiam, & manducationem:* Quarto, *ad discrimen Sacramentorum Vet. & Nov. Testamenti:* Quinto, *& singulariter quidem, ad dogma de absoluto electionis, & reprobationis decreto. Quia enim in schola Calvini unice ab absoluto decreto electionis dependet, ut quis sit filius Dei, & heres æternæ vitæ: quæritur, quis sit in tali homine usus & effectus Sacramentorum? Vbi falsum testimonium dicit Pareus, si affirmet, eum regenerari per*

per baptismum, & magis Christo incorporari per sacram cœnam. Nam, ex Calvineana hypothesi, esi ille filius Dei a prima conceptione, ante nativitatem, & ante baptismum, nimirum per absolutum Dei decretum: ut proinde dicendum sit, neminem regenerari, hoc est, filium DEI fieri in baptismo: sed tantum jam ante existentes filios DEI solenni illo signo recipi in Ecclesiam: quemadmodum loquentem audivimus Calvinum supra articulo nono, errore secundo.

Contra, de reprobis *quid sentiendum? His enim neque datus est Christus, (si Calvinianis credendum sit) neque pro illis passus est, neque ipsis sacramenta instituit: quis ergo in illis sacramentorum finis, usus, & effectus erit? Et non dubitas, Paree, jactare consensum tuum in doctrina de usu Sacramentorum cum Lutheranis? Annon pudet dicere, Christum illis offerri & exhiberi atque obsignari in Sacramentis, quibus negant Calviniani Christum esse destinatum? promissum? datum? imo quibus negant sacramenta esse instituta? & quos negant habere Sacramenta? Talia qui dicit, veræ & sanctæ concordiæ studiosus non est: quicquid prætexat de pace Ecclesiarum sancienda. Veræ enim pacis fundamentum est veritas: & in hac consensio, pax Christiana est.*

VII.

Photinianorum doctrina de usu Sacramentorum.

I. Sacramentorum, ut a nobis hactenus explica-

plicata sunt, neque nomen, neque rem sive definitionem admittunt Photiniani: faciunt tamen & ipsi mentionem tum baptismi, tum Cœnæ Dominicæ. Nam mandata Christi sic distinguunt, ut alia dicant esse moralia, alia ceremonialia. Et de Cœna Domini quidem consentiunt omnes, quod sit ceremonia sive ritus, a Christo mandatus, & ad finem mundi observandus. De baptismo non item: quem multi eorum a Christo institutum esse negant. Ostorodus admodum lubricus est in eo argumento: ex cujus sermone colligi facile potest, si per ipsum staret, intermittendum esse inter Christianos istam ceremoniam.

II. Deinde Sacramentorum usum primarium simpliciter negant: idque propter suam hæreticissimam hypothesin, qua negant Christi pro peccatis nostris satisfactionem. Frustra enim de meriti Christi applicatione disputatur, ubi meritum ipsum plane tollitur. Idemque judicium est de fidei confirmatione & obligatione, quia tollunt fidei fundamentum, hoc est, promissionem de peccatorum remissione, per & propter Christi obedientiam, nobis conferenda.

III. Vrgent & hanc rationem: quod res externa & corporalis non possit agere in animum hominis. Requiri enim ajunt, aliquam inter agens & patiens proportionem, quæ ostendi nulla possit inter elementa illa, sive res corporales aquam, panem, vinum, & mentem hominis.

IV. *Meminerint autem piæ mentes, in Sacramen-*

mentis sive mysteriis divinis, frustra urgeri proprietates rerum naturales, cum illa tantum dependeant a divina instituentis voluntate. Quare res illæ externæ ita sunt æstimandæ, uti sunt divinæ institutionis verbo involutæ, & circumdatæ: Hoc est, omnis Sacramentorum efficacia, virtus & operatio referenda est, non ad naturalem elementorum qualitatem, sed ad ipsum Deum, cujus sapientiæ visum est, per ista media res tantas in nobis efficere, ut nimirum per baptismum regeneremur, & renovemur, & per sacræ cœnæ usum reficiamur, & sustentemur ad vitam æternam: id quod manifestissimis scripturæ testimoniis confirmavimus: quibus opponere argutias & commenta humani cerebri tam est Christianis hominibus indignum, quam est Photinianis, nil nisi scripturam (quam tamen iniquissime tractant) ingeminantibus frequens & familiare. Non hominis ratio, sed Christi lingua sequenda est: Est fallax ratio, at verax Christi os que manusque.

ARTICVLVS XIV.
DE
ORDINE ECCLESIASTICO.

Dictum fuit de Ecclesia, & depositio in ea Sacramentorum thesauro: nunc de ministris, qui ea bona dispensant, sequitur, & eorum ordinatione: ut obiicere desinant adversarii, non esse in Ecclesiis Confessorum legitime

gitime vocatos & ordinatos pastoris. Verba articuli sic habent:

De ordine Ecclesiastico docent, quod nemo debeat in Ecclesia publice docere, aut Sacramenta administrare, nisi rite vocatus.

I.

Summa hujus articuli recte potest colligi ex articulo D. Lutheri inter septendecim duodecimo: quem supra recitavimus articulo septimo, ubi vide.

II.

Iudicium Caroli Cæsaris & Principum.

Quod articulo 14. confitentur, inquiunt, neminem debere in Ecclesia verbum Dei & Sacramenta administrare, nisi rite sit vocatus: intelligi debet, eum rite vocatum, qui secundum formam juris, juxta Ecclesiasticas sanctiones atque decreta, ubique in ordine Christiano hactenus observata, vocatur, non secundum hæreticam vocationem, seu plebis tumultum, aut quamlibet aliam in ordinatam intrusionem, nec vocatus sicut Aaron. In hac itaque sententia Confessio acceptatur. Admonendi tamen sunt, ut in ea perseverent, ut neminem neque pastorem, neque concionatorem, nisi rite vocatum, in ditionibus suis admittant.

Andreas Fabricius Leodius, *convitiatur, nulla parte magis laborare Confessores, quam ut sublato*

ordine Ecclesiastico rem Christianam confundant & pervertant: erecto nimirum altari contra altare, & cathedra adversus cathedram. Neque hoc contentus, etiam calumniatur eos omnes, qui baptizati sunt, seu viri sunt, seu mulieres, sacerdotes creare & facere. Multaque similia evomit, indigna quae huc transscribantur.

Iohannes a Daventria: *Hic articulus*, inquit, *recipitur a Catholicis viris, & a se mutuatum agnoscunt. Quare nihil habet incommodi, quod examinetur. Vtinam sic omnes essent ab Ecclesia mutuati, sane non periclitaretur tot tumultibus religio Germanica, non essent in uno Germaniae angulo tot schismata.*

Iohannes Cochlæus: *Hic articulus*, inquit, *in Confessione nihil incommodi habet, quantum ad verba spectat: sed quantum ad sensum verborum, & ad publicam practicam attinet, magnum est inter nos & illos Chaos. Nos enim rite vocatos eos dicimus, & intelligimus eos, qui ad sacros ordines a Catholico aliquo Episcopo admissi & legitime deputati, sacro deputantur ministerio, & ejus authoritate ad publicum munus recipiuntur & investiuntur. Illi vero rite vocatos dicunt eos, qui a seculari domino & magistratu deputantur, vel ad concionandum plebi, vel ad officium pastorale, sive legitime ordinati & consecrati sint, sive non. Nam & laicos ad huiusmodi munia recipiunt, qui nullos prorsus sacri ordinis gradus ab ullo Episcopo Catholico susceperunt. Hoc nos maxime detestamur, quia contra scripturam, & contra leges, & Ca-*

Canones faciunt, qui sic præficiunt Ecclesiis infames Apostatas, uxoratos sacerdotes, & indoctos laicos. Deinde invehitur in P. Melanchthonem, & negat, Episcopos Romanenses conari delere verbum Dei, & truciaare recte & vera docentes.

Iohannes Hoffmeisterus *principio durus & rigidus est, & vociferatur, esse hodie, qui non sint rite vocati, nec canonice ingressi, & concionentur non Christi, sed suum Evangelium, textores, calcearii, imo lenones & carnifices. Postea resumpto animo stylum vertit in suos.* Da bonos pastores, inquit, & habebis oves meliores. *Peccatum est quidem hac in re plurimum ab adversariis (confessoribus:) at nihilominus peccatum est ab Episcopis nostris,* & hactenus gravissime peccatur, dum numerantur potius ordinandi, quam examinantur: & quantum quis nummorum habet, tantum etiam habet favoris apud quosdam. *Quæ hic premo, prudens lector intelligit. Nolim enim hic referre, quales Episcopos, Decanos, Canonicos, Pastores, &c. nobis subinde* intrudat *potius, quam ordinet Romana curia. Tandem his verbis concludit: Pia synodus dispiciet, inquit, &, ut arbitror, consulte hic agit, ne vel* sævitiæ Episcoporum, *vel temeritati adversariorum ullus locus pateat.*

Alphonsus Virvesius: *Articulus, inquit, quartus decimus vestræ Confessionis, ita est a vobis positus, ut nihil in eo desiderari posse videatur: ita per Philippum explicatus, ut nihil pene habeat cum Catholica veritate commune. Postea tractat de legitima*

vocatione, quam totam ad Episcopos suos devolvit, hoc usus, inter alia, argumento: Cum Ecclesiam, inquit, sine nobis habere non possitis, qui potestis rectam ministrorum vocationem & ordinationem habere: &c.

Georgius Cassander *in articuli hujus explicatione multa utiliter monet, quæ videntur extorpenda. Disputat primum, an ordo dici debeat Sacramentum. Et nihil ait se legere, in conventu Ratisbonensi huic articulo oppositum: tantum requisivisse Eccium, ut explicaretur, in quibus ordinibus sit adhibenda manuum impositio:* Tum affirmat, Apostolorum tempore inter Episcopos & presbyteros nullum fuisse discrimen: *quod tamen postea observari consueverit, ordinis servandi, & schismatis vitandi gratia.* Vbi obiter monet, an Episcopatus inter ordines ponendus sit, inter Theologos & Canonistas non convenire. *Adiicit & illud, primitivam Ecclesiam solos habuisse diaconatum & presbyteratum: Et ordines quinque minores jam esse prorsus confusos. Tum ita scribit: Illud ad omnem, quæ de hoc articulo existere possit, controversiam præcidendam inprimis conducturum puto, si multitudo illa & turba* inutilium sacerdotum *minuatur, neque alii eligantur, vel ordinentur, quam quibus ad ministerium Ecclesiasticum opus est, hoc est, præter Episcopos per singulas civitates amplores & territoria (diœceses vocant) presbyteri seu pastores, qui singulis Ecclesiis, (quæ nunc parochiales vocantur) præsint, cum uno aut altero coadjutore, qui alibi Capellani, alibi visitatores dicun-*

dicuntur, qui & in officiis Ecclesiasticis diaconorum vices obire poterunt, ut jam fere receptum videmus: Item: Illud cavendum erit, ut idonei tantum ad Ecclesiæ ministerium, & potissimum verbi divini prædicandi munus, eligantur, *qui non verbis tantum, sed etiam exemplis populo præire possint: & non ea, quæ recte docere videntur, contraria actione destruant & evertant. Denique his verbis concludit: Nec minus illi accusandi sunt, inquit, qui* inani titulo inflati, *eoque ad dominatum quendam, vel etiam ad cupiditatem & avaritiam abutentes, neglecto, quod Ecclesiæ debent, officio, hominibus etiam non malis, huic Ecclesiastico ordini detrahendi, & ab eo deficiendi occasionem dederunt.*

III.

EXEGESIS.

Membra articuli tria sunt. 1. Ordinem Ecclesiasticum esse necessarium. 2. Consistere in docendo publice Evangelio, & administrandis Sacramentis. 3. Ad eum non admitti debere, nisi rite vocatos.

Legitime vocati.

I. Nemo igitur in Ecclesia docere utiliter & ad ædificationem potest, nisi legitime sit vocatus & missus, dicente Apostolo: Quomodo prædicabunt, nisi missi fuerint? *Rom. 10. v. 15.* Ac proinde ferendi non sunt, sed tanquam fures & lupi vitandi & abigendi, quicunque absque vocatione sese ingerunt & obtrudunt Ecclesiæ, *Hier. 23. v. 21. Matth. 7. v. 15. Ioh. 10. v. 8.* Neque probari potest aut debet *Anabaptistarum confusio*, qui faciunt copiam quibusvis sine justo discrimine docendi.

Anabaptistica confusio.

Debent enim in Ecclesia fieri omnia ordine & decenter, *1. Cor. 14. v. 33. & 40.* Neque huc quicquam facit, quod Christiani generatim dicuntur *sacerdotes, 1. Petr. 2. v. 9. Apoc. 1. v. 6. & cap. 5. v. 10.* Est enim illud *sacerdotium spirituale*, quod consistit in offerendis hostiis spiritualibus, *Rom. 12. v. 1. Heb. 13. v. 15.* Et nusquam in N. T. Ecclesiæ ministris tribuitur nomen *sacerdotum:* quia nimirum sacerdotium Leviticum in Christo est consummatum. Vnde neque sacrificio, proprie dicto, in N. T. locus restat. Et Deus ipse discrimen in Ecclesia ostendit, ut alii sint *doctores*, alii *auditores*, & discipuli, *1. Cor. 12. v. 29. Eph. 4. v. 11.*, & alibi passim. Quare mera calumnia est Papistarum, objicientium, a nobis tolli discrimen pastorum & ovium. Interim illud notamus, perperam ab ipsis nomen *clericorum* solis rasis & unctis tribui, cæteros *laicorum* nomine venire. Etenim D. Petr. *1. Ep. 5. v. 3.* expresse senioribus, gregem Domini pascentibus, præscribit, *ne dominentur cleris*: quo nomine totam Ecclesiam, quæ est Christi hereditas, intelligi, quilibet cordatus perspicit. Tredecies illa vox κλῆρος in N. Test. invenitur: ex quibus locis nullus est, ubi sensu Pontificio accipi eam oporteat.

NB.

Clerus.

II. Porro penes quem sit *jus & potestas vocandi* ministros Ecclesiæ, altius considerandum est. Vbi clara voce affirmamus, verum Ius vocandi Ecclesiæ ministris ipsum Deum sibi vendicare. *Nulla igitur vera vocatio, quæ non a Deo fiat, & ad Deum referatur.* Vocat autem Deus tum immedia-

Ius vocandi.

mediate, tum mediate. *Immediata vocatio* (extraordinaria etiam dici solet) quæ fit ab ipsomet Deo, non ab hominibus, neque per hominem, *Galat.* 1. *vers.* 1. Quam quidem Deus aut ipsemet, sine internuncio, ut Mosi, *Exod.* 3. *vers.* 4. & Eliæ, 1. *Reg.* 17. aut per Prophetam, vel Apostolum aliquem declarat, ut Aaroni per Mosen, *Exod.* 4. *vers.* 14. Elisæo per Eliam, 1. *Reg.* 19. *vers.* 19. aut per sortem, ut in electione Matthiæ, *Actor.* 1. *vers.* 14. Hanc vocationem semper extraordinaria quædam divina dona & testimonia comitantur, quæ sunt tanquam sigilla divinæ doctrinæ. Et habet ea conjunctam virtutem, ut ab ipso Deo dirigatur, a quo profecta est. Vnde fit, ut simpliciter fides habenda sit doctrinæ illorum, qui sic vocati sunt: Quia ab ipso Deo immediate inspirantur, & docentur, 1. *Petr.* 1. *v. ult.* Habuit hæc vocatio potissimum locum, vel in Ecclesia constituenda, vel eadem repugnanda ab erroribus falsorum doctorum. Neque est, ut hodie quis tales doctores, a Deo immediate vocatos & missos, expectare debeat. Proinde repudiari debet mirifica illa, quam nonnulli fingunt, extraordinaria vocatio, quæ ex Dei immediato intrinseco afflatu proficiscatur: Et acquiescendum est in mediata (quam & ordinariam vocamus) vocatione: quam & Apostoli per Spiritum sanctum nobis præscripsere, & primitiva Ecclesia constanter retinuit, & propagavit. Vocatio immediata.

III. Est autem *mediata vocatio*, quæ fit per ordina- Vocatio mediata.

dinaria media, nempe per homines idoneos adid constitutos, certo ordine & legibus verbo Dei expressis, *1. Tim. 3. v. 1. Tit. 1. vers. 5. Actor. 6. v. 3. & seqq. &c.* Quanquam autem ea fit hominum ministerio, est tamen *vere divina*, & ipsum Deum authorem habet: qui & vere per illam est efficax in Ecclesia, *1 Cor. 3. v. 5. 6. & 1. Tim. 4. v. 16.* Deus enim est, qui in Ecclesia constituit non tantum Apostolos (immediate vocatos) sed & doctores (mediate vocatos) *1. Cor. 12. v. 28. Eph. 4. v. 11.* Et Spiritus sanctus est, qui mundum arguit (ministerio verbi) de peccato, *Iohann. 16. v. 8.* Vnde Timotheus, cui Paulus commendaverat ministerium Ecclesiæ per impositionem manuum presbyterii, *1. Tim. 4. v. 14. 2. Tim. 1. v. 6.* & alii Ephesinæ Ecclesiæ ministri ordinarii, a Spiritu sancto dicuntur esse constituti, *Actor. 20. v. 28.* Atque hinc est, ut Christum audire vel rejicere dicatur, qui ministros Ecclesiæ audit vel reiicit, *Luc. 10. v. 16. Actor. 7. v. 52.* Solus ergo Deus est Dominus ille messis, qui extrudit operarios in messem suam, *Matth. 9. v. 38.*

Deus vocat per Ecclesiam.

IV. Vtitur autem in ordinaria vocatione non ministerio angelorum, sed ministerio Ecclesiæ suæ, cui Christus, tanquam sponsæ suæ, commendavit claves regni cœlorum, *Matth. 18. v. 17. 18.* & verbum & Sacramenta, *Rom. 3. v. 2. cap. 9. v. 4.* Vnde totum ministerium est Ecclesiæ, *Eph. 4. v. 12. 1. Cor. 3. v. 21.* Et Pastores dicuntur Ecclesiæ ministri, *1. Cor. 3. v. 5.* Cum autem Ecclesia suis membris constet, *Rom. 12. v. 5. 1. Cor. 12. v. 12.* & in quosdam hominum ordines sive classes distinguatur: Quæritur:

ritur: *Sitne totius Ecclesiæ vocare ministros, an quorundam dunt axat Ecclesiæ membrorum?*

V. Sunt in Ecclesia Doctores & auditores, sive Pastores & oves: aut, si mavis, *presbyterium* & populus: *Populus* autem dividitur in magistratum & subditos. *Presbyterii* nomine intelliguntur non tantum ministri verbi, sed etiam illi, qui ab Ecclesia ad functiones Ecclesiasticas constituendas sunt deputati: quos seniores, præpositos, & consiliarios Ecclesiæ, adeoque senatum Ecclesiasticum, vel consistorium spirituale appellamus.

VI. Nulli ex his ordinibus soli jus vocandi ministros Ecclesiæ competit, sed toti Ecclesiæ: cui datæ sunt claves regni cœlorum. *Matth. 18. v. 17. 18.* & cujus est discernere sinceros Doctores a seductoribus, & audire sanam doctrinam, & fugere errores, *Matth. 7. v. 15. Galat. 1. v. 8.* Quam vocandi rationem Apostoli & ipsi usurparunt, & aliis observandam præscripserunt, *Actor. 1. v. 13. cap. 6. v. 3. 5. 14. vers. 23. 1. Cor. 16. v. 3. 1. Tim. 3. v. 7. cap. 5. v. 22.* Eademque in Ecclesia primitiva diu mansit: quæ judicavit omnes illas electiones irritas, quæ ἄνευ λαοῦ συνέσεως, id est, ut vertit Cyprianus, sine conscientia & assensu populi factæ essent. Vnde sunt isti Canones dist. 62. *sint a plebe expetiti, a clericis electi, Episcoporum judicio ordinati.* Item: *Qui futuri sunt sacerdotes, ab Episcopis postulentur, teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, & consensus plebis, &c.*

VII. Vbi frustra sudat Bellarminus, ut persuadere aliud nobis possit: quem vel unicus locus

solidissime refutare queat: *Dispicite fratres*, inquiunt Apostoli ad Ecclesiam, *Actor. 6. v. 3. ex vobis viros septem, idoneo testimonio ornatos, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos præficiamus huic negotio.* Firmum ergo manet, quod diximus, *totam Ecclesiam* habere jus illud vocandi, & constituendi ministros Ecclesiæ. *Solis ministris verbi non convenit ea facultas:* quia nefas est, ministrum sibi sumere partes Domini. Doctores autem & pastores sunt ministri Ecclesiæ, *2. Cor. 1. v. 24.* non Domini, *1 Petr. 5. v. 3. Solus magistratus vocare ministros Ecclesiæ non debet*, quia discrimen est inter regna politica, & regnum Christi, *Iohann. 18. v. 36.* Vocatio autem pertinet non ad jus politiæ, sed ad regnum Christi. Quare excusari magistratus illi non possunt, qui invitæ Ecclesiæ, & justas contradicendi causas habenti, ministros obtrudunt. *Neque promiscuæ multitudini id juris concedendum est:* quia in Ecclesia bono ordine fieri omnia debent, & vitari confusiones, *1. Cor. 14. vers. ult.* Neque democratica est, ut neque monarchia, Ecclesiæ in his terris gubernatio, sed aristocratica.

Ordinatio.

VIII. Addendum etiam aliquid est de ordinatione; quæ est vocationis confirmatio: nempe publica & solennis testificatio, qua vocatio ejus personæ, quæ ordinatur, in conspectu Dei, & nomine ipsius, declaratur esse legitima, pia, & divina. Quam quidem ordinationem præire debeat accuratum examen, quo ordinandi explorentur progressus in doctrina, & dona ministerio necessaria,

saria, & vitæ integritas, *Actor.6.v.3. 1.Tim.3.v.2. cap.5.vers.22. Tit.1. vers.5.&c.* Est ergo hæc ratio, hic ordo, atque modus vocandi, & ordinandi ministros: ut, *qui studium suum atque operam vel sponte, vel vocatus, offert Ecclesiæ, per ordinarios examinatores exploretur in doctrina & moribus: tum si dignus reperiatur, honesto testimonio ornatus sistatur Ecclesiæ (quam refert presbyterium) cujus si consensus accedat, publico ritu ordinetur & confirmetur, publicisque precibus Deo commendetur.* Adhiberi solet huic ordinationi *manuum impositio.* Qui ritus imponendarum manuum ex Veteri Testamento, *Genes.48.v.14. Lev.1.vers.4. Num.27.v.18. 23. Deut.34.vers.9.* desumptus, & ab Apostolis, ex Christiana libertate, usurpatur, *Actor.6.v.6. cap.13.v.3. 1.Tim.4.v.14. cap.5.v.22. 2.Tim.1.v.6.* in nostris Ecclesiis observatur: qui multa utiliter monere potest. Impositio manuum.

IX. Ordinem inter ipsos etiam Ecclesiæ ministros recte observari statuimus. Nam & Deus ipse ordinem inter eos fecit donorum varietate & differentia, ut alii sint Apostoli, alii Prophetæ, Evangelistæ, Doctores, Pastores, Diaconi, ut recenset Apostolus, *Ephes.4.v.11.* Et opus est propter ἐυταξίαν inter Ecclesiæ ministros ordinem servari, ne oriantur confusiones, *1.Cor.14.vers.ult.* Denique ad unitatem servandam aliquid facit ista ordinis observatio. Contra ἀναρχία plurimorum malorum mater est. Sic autem ordines ministerii studiose observamus, ut tamen negamus, certo Ordo ministrorum.

certo eos & necessario numero, vel a Deo esse præscriptos, vel ab Apostolis usurpatos, verum pro ratione circumstantiarum cuiusque Ecclesiæ constitutos, & constituendos. Neque ordinis illa ratio ad primatum quendam sive dignitatis, sive authoritatis, multoque minus potestatis in Ecclesia Christiana constituendum torqueri debet. Hoc enim prætextu Romanæ hierarchiæ tyrannis paulatim ita crevit, ut coerceri & tolli, nisi cœlesti & divina vi, nequeat.

IV.
Errores Pontificii.

I. *Post Concilium Tridentinum sess. 7. Bellarminus & alii vehementer disputant, ordinationem (cui adhibent unctionem & insufflationem) esse vere ac proprie Sacramentum.* Cum tamen accurata Sacramenti definitio ei non conveniat. A veteribus autem nonnullis vocari Sacramentum in lata significatione non negamus: neque de eo est controversia.

II. *Manus impositionem ad essentiam Sacramenti ordinis pertinere, affirmat Bellarminus libr. de Sacramento ordinis cap. 9.* Deficit autem in probatione. Vide quæ diximus, §. 8.

III. *Duplicem hujus Sacramenti effectum punit, e. 10. 1, Potestatem spiritualem perpetuam, in cujus signum dicit imprimi characterem. 2. Gratiam gratum facientem, qua possint ordinati rite fungi suo munere.* Quæ ex divinis scripturis probari non possunt.

IV. *Et*

IV. *Et septem numerat ordines lib. 1. de Cleric. cap. 11. Septem duntaxat, inquit, ordines (proprie loquendo) numerantur, videlicet, sacerdos, diaconus, subdiaconus, acoluthus, lector, exorcista & ostiarius.* Quorum ordinum neque nomina omnia, neque res in scripturis reperiri possunt. Estque apud ipsos Pontificios scriptores tanta de illis varietas, ut certi nihil de iis videatur statui posse. Cuius rei testis esse potest ipse Bellarminus, qui licet in fingendis distinctionibus fere perpetuo laboret, non tamen potest conciliare diversas suorum authorum opiniones. Illi autem vere sunt ridiculi, qui Christum ipsum per omnes illos ordines transisse comminiscuntur. *Sacerdos fuit, inquiunt, quando consecravit Eucharistiam, & seipsum obtulit in ara crucis. Diaconus, quando distribuit Eucharistiam. Subdiaconus, quando lavit discipulorum pedes. Acoluthus, quando dixit: Ego sum lux mundi. Exorcista, quando expulit daemonia. Lector, quando legit Esaiam in synagoga. Ostiarius, quando ementes & vendentes ejecit e templo.* Porro si quis hodiernam praxin apud Romanenses intueatur, fateri cogitur, officia & ministeria illorum ordinum in foedissimum abusum conversa esse. Sacerdotes enim illorum sacrificuli sunt. Diaconi & subdiaconi servi idololatriæ. Acoluthi facti sunt ceroferarii: ineptissima plane vocis interpretatione. Exorcistæ sunt incantatores & magi. Lectores sunt sine mente sonus. Ostiarii sunt thesaurarii. Vbi vero manet interea verum & legitimum ministerium verbi & Sacramentorum?

cuius

cujus unius maxima, adeoque unica semper erat ratio habenda. Sunt igitur ordines illi Pontificii valde inordinati: qui proinde in Ecclesia, ubi omnia ordine & decenter fieri debent, locum habere non possunt.

V. *De rasura, tonsura, unctione, aliisque similibus ineptiis jam dicere non libet. Caput rei videamus.*

VI. *Ius & potestatem vocandi & mittendi Ecclesiæ ministros assignant summo suo Pontifici Romano: strenue negantes, legitime vocatum vel missum dici posse, qui ipsius authoritate vocatus non fuerit.*

Sed unde probant? Nam totus liber Actorum Apostolicorum, & Epistolæ Apostolicæ fortiter contradicunt. Neque fando auditum est in Orthodoxa Ecclesia, Evangelii præcones esse ministros Papæ, sicut dicuntur ministri Ecclesiæ. Et ostendimus luculentis argumentis, vocationem etiam mediatam referri ad ipsum Deum, qui Ecclesiæ jus illud tribuit, ut ministros vocare & ordinare possit. Papam autem Ecclesiæ nomine intelligere velle, est ex tota republica amplissima facere unum aliquem singularem hominem. Quid dicemus de Ecclesiis orientalibus? quæ Papam nequaquam vel pro Christi vicario, (quo non indiget) vel successore Petri, (qui talis, qualis Papa est, nunquam fuit) vel capite visibili Ecclesiæ (quæ præter Christum caput aut fundamentum aliud non habet) agnoverunt.

VII. *De discrimine inter Episcopum & presbyterum.*

terum (quale fingunt Pontificii) Cassandrum supra produximus, diserte testantem, Apostolorum tempore id fuisse nullum. Idemque diversis locis ostendit Hieronymus ex fundamentis Apostolicis, ad Titum c.1. & in Epistola ad Oceanum. Ipse Apost. Act. 20. c. quos v.17. vocarat presbyteros, *eosdem v.28. nominat* Episcopos. *Sic Tit. 1. v.5. cum dixisset constituendos esse* presbyteros, *statim subiicit, v.7. quales esse debeant* Episcopi: *ostendens manifestissime Episcopos eos esse, quos presbyteros antea nominarat. Suum ergo discrimen, quod longe maximum esse dicunt Pontificii, in scripturis monstrare non possunt.*

VIII. *Negant communiter, Lutheranes prædicantes (quos vocant) habere legitimam & Apostolicam vocationem, & ordinationem. Nimirum quia non habent characterem Romanensem.*

Prædicantes vel prædicatores.

Respondeo breviter, prædicantum nomine nihil posse dici dignius, honestius, & gloriosius; cum ipse Dei filius in Paradiso Evangelium *prædicaverit*, & Patriarchæ, & Prophetæ, & Iohannes Baptista, & Deus in carne manifestatus, ipsiusque Apostoli & discipuli. Honorificum igitur illud nomen (in ipso etiam jure Canonico celebratum) non aversamur, sed magnifacimus, certo persvasi, unum Evangelicum prædicantem verum, fidelem, & diligentem, longe Deo esse gratiorem, & Ecclesiæ Christi utiliorem, mille missificantibus. Quod ipsum etiam *missificantium* nomen scripturæ divinæ ignotum est: officium vero neque a Spiritu sancto præscriptum, neque

Missificantes.

neque a Christo, vel Prophetis, vel Apostolis unquam usurpatum legitur.

Vocationem vero prædicatorum Evangelii clara voce dicimus divinam esse ab ipso Deo profectam, nempe mediate, hoc est, per ordinarium Ecclesiæ presbyterium, de quo supra docuimus §. 3. Vbi non movemus vociferationibus continuis, de solius Papæ jure & potestate vocandi, & ordinandi Ecclesiæ ministros. Constat enim in Iudæa multas fuisse plantatas Ecclesias, & in iis constitutos presbyteros, cum nullum adhuc Papam Roma vidisset. Et ne sim longior, plusquam anile est, affirmare velle, totius mundi Ecclesias in Novo Testamento unius Romani Pontificis authoritate plantatas, & iis pastores datos fuisse.

Sed illud restat enodandum de *D. Lutbero*, fueritne legitime vocatus, & ordinatus: Omnino. At *vocatus est, inquit, & ordinatus authoritate Pontificia.* Concedam sane. Sed ecce, duo sunt in Ecclesia Pontificia, quæ sunt, quam diligentissime distinguenda: pretiosum, & vile.

Pretiosum. *Pretiosum* est, quicquid a Deo authore est, nempe *verbum Dei* in scripturis Canonicis Prophetarum & Apostolorum consignatum, & *Sacramenta*, baptismus, inquam, & sacra Domini cœna, & quicquid ad illa juxta Dei verbum pertinet. Hoc igitur modo etiam vocatio ad ministerium Ecclesiæ, & ordinatio, pertinet ad pretiosum.

Vile. *Vile* est, quicquid aliunde in Ecclesiam invectum est, sive ad dogmata spectet, sive Sacramenta,

ta, sive gubernationem Ecclesiæ. *Lutheri* igitur *vocatio* a Deo est, hactenus, quatenus est ipse missus ad prædicandum Evangelium, & dispensanda Sacramenta, juxta ipsius Christi institutionem. Quia vero præter illa multa alia, tum vocationi, tum ordinationi, pro ejus temporis consuetudine, adhæserunt, quid aliud dicemus, quam fuisse pretiosum quidem thesaurum, sed multo luto, scoriisque contaminatum? Plane, ut baptismus, in Ecclesia Pontificia collatus, verus est, & integer baptismus, cui nihil deest, multa autem in eo supersunt, quæ si resecentur, ad pristinum nitorem redit: ita quicquid in Lutheri vocatione & ordinatione fuit pretiosum, nempe divinum, & conforme divinæ institutioni, id omne & totum constanter ille amplexus est & retinuit: sordes autem, quas Papa Romanus adsperserat sanctissimo illi instituto, quamprimum ex Dei verbo per Spiritus sancti illuminationem agnovit, abstersit & rejecit. D. Lutheri.

Vbi non est, ut obtricias, ordinatum fuisse eum, ut doctrinam Pontificiam doceret, & Sacramenta Romanensia ad nutum Papæ administraret.

Nam Christus in mundum ablegaturus Apostolos, ea docere jussit, quæ ipse (*non Papa Romanus, qui tum nullus erat*) mandavisset eis. Vt igitur ad docendum Evangelium vocati sunt & missi Apostoli, & quilibet alii in primitiva Ecclesia pastores, doctores, presbyteri, & ministri: ita alia vocatio in Ecclesia Christi locum habere non debet, quam ad prædicandum Evangelium Iesu Christi, cujus hæc summa est: *Agite pœnitentiam,*

& credite Evangelio. Quomodo veriſſime affirmamus, qui Chriſti verbum non docet, & Chriſti Sacramenta ſecundum ipſius inſtitutionem non adminiſtrat, fruſtra prætexere divinam vocationem. Negari autem illud non poteſt, qui Chriſti quidem verbum & Sacramenta retinet, multa autem admiſcet de ſuo, graviſſime quidem peccare, cœleſtem theſaurum humanis ſordibus & inquinamentis contaminando; nequaquam tamen perire ipſum divinum theſaurum putandum eſt, ut maxime ſit totus luto humanorum commentorum oblitus, ut conſpici vix poſſit. Quemadmodum igitur, qui ab auro argentoque ſcorias ſeparat, non aurum & argentum amittit, vel corrumpit: ita vocatio & ordinatio D. Lutheri tum demum pulcherrime eluxit, cum ab ea rejicerentur ſcoriæ Romanenſes, idque ſolum remaneret, quod conforme eſſet, & homogeneum divinæ inſtitutioni. De qua re pauca hæc propoſuiſſe hoc loco ſufficiat, cum alibi totum hoc argumentum fuſe pertractetur. Summa eſt: Definitio divinæ vocationis, ex verbo Dei extructa, convenit vocationi Lutheri. Ergo Lutherus divinitus eſt vocatus ad prædicandum Evangelium, & adminiſtranda Sacramenta a Chriſto inſtituta. Et quis neget, divinum, & toti mundo admirabilem, effectum vocationis illius Lutheri, cauſam aliam, quam divinam, habere poſſe?

V.

Errores Calvinianorum.

I. Ordinem in Eccleſia valde turbant quidam Cal-

Calvini discipuli, fingentes & usurpantes *medium* quoddam vocationis genus, *de quo Ant. Sadeel tum alibi, tum in responsione ad fidei professionem a Monachis Burdegalensibus editam ad art. 51. p. 403. 404. & ad art. 61. & seqq. pag. 527. & pag. 548. edit. Genev. Anno* 91. Beza de sua in Galliam vocatione interrogatus, respondebat, se neque mediatam, neque immediatam, sed extraordinariam vocationem habere docendi in Gallia. Et audio, inquit *D. Chemnitius part. 3. loc. Theol. de Ecclesia cap. 4. p.* 144. illos Genevæ hunc morem servare, ut aliquos in Theologia instituant, postea in Galliam docendi causa mittant. Sed qualis est vocatio, talis est etiam successus. De Origine certe dicunt, eum sine vocatione se ingessisse in officium docendi, & inde factum esse, quod in tot errores sit prolapsus. Hactenus D. Chemnitius.

II. Pugnant cum hoc articulo illi Zvingliani, qui contemnunt τὸ χειροτονῆν ab ipsis Apostolis, & primitiva Ecclesia, & celeberrimis Conciliis diligentissime commendatum: adeoque Ecclesia invita Cathedram occupant. Act. 14. v. 23. 2. Cor. 8. v. 19.

III. Qui ordinem tollunt inter Ecclesiæ ministros: Et honores publicos & titulos rejiciunt, ut Carolstadius, & alii, qui titulum Doctorum publice & solenniter susceptum abjecerunt.

IV. Quæ Hadrianus Saravia Calvinista noviter disputavit de diversis ministrorum Ecclesiæ gradibus non affero *(liber excusus est a Iohanne Wechelo, Anno* 91.) cui sese opposuit publico

scripto Theodorus Beza. Neque Puritanos attingo, & qui ipsos tuentur.

V. Videant etiam ICti, Medici, & Philosophi, suas professiones egressi, quam vocationem prætexere velint suis scriptis anonymis, quibus turbant Ecclesiam, & veritatem Evangelii clarissimam oppugnant. Quos cum nominum suorum pudeat, quo spiritu agitentur, colligi facile potest, *Ioh. 3. v. 20 21.*

VI.

Photinianorum sententia de ordine Ecclesiastico.

Magna apparet affinitas Photinianorum cum Anabaptistis (quorum hypocrisin studiose imitari dicuntur ab illis, qui eos familiarius norunt) in hoc argumento. Nam Catechesis Racovienſis tametsi personas, quibus Ecclesia constat, distinguit in eas, quæ præsunt, & alias, quæ dicto sunt audientes pag. 299. tamen expresse negat, divinam missionem ad officium Ecclesiasticum requiri, p. 305. *Nullo modo*, inquit, *ii, qui docent in Ecclesia, & ordine tuendo & conservando invigilant, opus habent, ut singulari aliqua ratione mittantur.* Id quod Ostorodus in instit. Germanica cap. 42. fusius persequitur, & Faustus Socinus in tractatu de Ecclesia, in solutione scrupulorum. Inter cætera Ostorodus, p. 538. ita scribit: Es kan ein jeder lehren/ wenn er schon nicht darzu gesand ist: Sintemal solches nicht verboten ist/ noch irgend eine Gefahr in sich hat. Item: Ist derhalben nicht nöthig/

nöthig / daß man gedenckt / als wann einer unrecht thät / so er von sich selber / das ist / ohne Sendung / das Lehrampt auff sich nimbt: Sintemahl ein solch Werck auß der rechten Christlichen Liebe herkompt. Et pag. 440. Ist derhalben nicht nöthig / daß / so ietziger Zeit iemand das Evangelium prediget / ja wenn ers schon nicht durchauß verstünde / (gleich wie auch Apollos von Anfang) er gesand sey / viel weniger aber / daß er seine Sendung beweisen müsse. Summa igitur est, non opus esse vocatione sive missione ad officium Ecclesiasticum.

II. Cui anabaptistico furori quia sententia Apostolica, *Rom. 10. vers. 15.* e diametro repugnat: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* & ipsius Dei apud Hieremiam c. 23. v. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Sophistice hoc modo eludere conatur Ostorodius, p. 437. ut dicat, neutrum locum ad rem quicquam facere: Quia nimirum apud Hieremiam de iis sit sermo, qui jactitabant se esse Prophetas, a Deo missos, ut novi aliquid, idque singulare, populo annunciarent: Paulus vero de suo tempore loquatur, cum adhuc nova esset & inaudita Evangelii doctrina, ac proinde res ipsa postularet, ut, qui eam essent annunciaturi, missionem suam docere possent. Cum igitur hoc nostro tempore nihil novi afferatur, sed antiqua illa Evangelii doctrina propagatur, opus non esse concludit singulari vocatione sive missione.

III. Idque confirmari putat exemplis eorum,

qui a morte Stephani, hinc inde dispersi, Evangelium prædicarunt, *Actor. 8. v. 4. cap. 11. v. 19. ut Philippi, Actor. 8. v. 15. & Apollo, Actor. 18. v. 24. & seqq.* Adducit etiam argumentum a baptismo, quem dicit posse a non vocato dispensari: ubi rursum de Philippo scribit, prædicasse eum Evangelium, & baptizasse, sine missione vel vocatione, *Actor. 8. v. 12. pag. 441.*

IV. *Respondemus breviter sententiam apud Hieremiam & Paulum esse generalem, sine ulla restrictione: nempe, neminem currere, Prophetare, prædicare debere, nisi a Deo vocatum & missum. Cujus regula fundamentum est: quia Deus ipse est, qui per prædicationem verbi sui sibi colligit Ecclesiam. Et minister Dei dici non potest, quem Deus non misit. Nemo enim sui ipsius legatus est, sed sui domini, 2. Corinth. 5. v. 20.* Non enim potest homo accipere quicquam, nisi datum ipsi fuerit de cœlo, *ut de hoc ipso argumento gravissime respondebat Baptista, Iohann. 3. vers. 27. Et Hebr. 5. v. 4.* Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo. *Repete, quæ dicta sunt de ministerio verbi & Sacramentorum supra artic. 5. & qua in hoc articulo 14. §. 3. annotavimus, de vocatione mediata. Quæ omnia, ut evadant apertissima, confer cum ista regula praxin Ecclesiæ totius in vetero & Novo Testamento, Hebr. 6. v. 1. & seqq. quæ evidenter ostendit, ordinem ab ipso Deo præscriptum esse ejusmodi, quo non nisi vocatis ministris in Ecclesia locus relinquatur. Quid? Christus in cœlum evectus Ecclesiæ suæ ministros dedisse dicitur,* ex

ex Psalm.68. v.19. Ephes.4. v.11. num isto tantum primo seculo? ut jam amplius non det? Finemne habent divinæ promissiones de gratiosa Christi præsentia in Ecclesia? de efficacia per verbum & Sacramenta? Dicam breviter: Quisquis in Ecclesia docet non vocatus & missus a Christo, invadit alienam possessionem, fur est, & latro, venit in nomine suo, non Dei, Christi minister non est, verbum Christi non habet, imo ne quidem Ecclesiæ dici minister debet, quem ipsa non vocavit, turbator est boni ordinis, & causa confusionis, quæ non a Deo est, sed a diabolo, cujus servum esse necesse est, quicunque Dei minister non est.

V. *Sed propius accede, Ostorode: Dictum D. Pauli*: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? *restringis ad primum tempus prædicati novi Evangelii. Crasse igitur tibi ipsi contradicis, quando contraria (ex tua mente) exempla adducis de Philippo, & Apolline, & aliis, ex Actis Apostolicis. Tota enim historia libri Actorum Apostolicorum antecessit tempus scriptæ Epistolæ ad Romanos, uti constat. Hæc contradictio palpabilis est. Deinde falsum est, Philippum caruisse divina vocatione, qua describitur, Actor.6. v.5.6. Vbi ne excipias istam vocationem respexisse aliud officium, nempe diaconatus, vers.1. repono exemplum Stephani ex eodem diaconorum ordine, v.8. cujus in docendo virtutem Spiritus sanctus magnopere commendat, v.10. & seqq. Et vocatur Philippus ille Evangelista, Actor. 21. vers.8. ab officio prædicati Evangelii. De* Apolline *res itidem plana est, ex 18. vers.24. & seqq. ubi dicitur*

vir eloquens, potens in scripturis, edoctus viam Domini, & fervens Spiritu, qui docebat diligenter ea, quæ sunt Iesu: *sciens tantum baptisma Iohannis, hoc est, informatus in schola Iohannis Baptistæ, neque hactenus Apostolorum familiaritate usus. Plenius igitur eruditebatur ab Aquila & Priscilla, v. 26. Vnde tantum profecit*, ut multum contulerit his, qui crediderunt per gratiam, v. 27. *Imo D. Paulus ipsum ita commendat, 1. Cor. 3. v. 6. ut eum sibi tanquam collegam adjungat*: Ego plantavi, *inquit*, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit. *I nunc, Osiorode, & nega, Philippum & Apollo fuisse divinitus vocatos & missos: itemque Apollo satis intellexisse doctrinam Evangelii.*

VI. Convertere hominem *est sane opus Christianæ charitatis, laude dignissimum, sed non debet illud evertere ordinem, a Deo ipso constitutum. Cumque homo non nisi organice, seu tanquam instrumentum, convertere alium dici possit, Deus autem principalis sit conversionis causa: planum evadit, nisi a Deo vocatum & missum non posse tam divinum effectum consequi. Deinde distinguendum est officium* publicum *docendi in Ecclesia a* privata *informatione: quæ non debet illi opponi, sed sunt subordinata. Sic pii parentes etsi publice non annuntiant Evangelium, domi tamen docent suos liberos privatim, & informant in studio pietatis. Vnde liquet, nos non prohibere mutua officia Christianæ charitatis: sed Osiorodum confundere privatam institutionem, cum publice docendi in Ecclesia munere.*

VII. Sa-

VII, Sacramentorum dispensationem *pertinere ad Ecclesiæ ministros, planum est ex Christi verbis, Apostolis munus suum commendantis, Matth. 28, v. 10. Marc. 16, v. 15. 16. ubi connectit prædicationem verbi, & dispensationem baptismi; Eandem ordinem in Ecclesia Christiana semper observatum historia testantur: ut nihil dicam de Testamento Vetero. Huic igitur divinæ ordinationi non sunt opponenda exempla extremæ necessitatis. Casus enim necessitatis (loquar de necessitate vere dicta) a communi lege eximuntur, neque eandem evertunt. Ubi igitur res ita habet, ut aut homini sit sine baptismo moriendum, aut sit ille conferendus a persona privata: affirmamus, in hoc casu satius esse, ut Christiana persona privata officium sacrum baptizandi subeat, quam ut homo tam necessario & salutari Sacramento privetur. Hinc tamen ordini communi nihil decedit, ut omnes sani fatentur: ac proinde hoc quoque effugium Ostorodium juvare non potest.*

ARTICVLVS XV.
DE
RITIBVS ECCLESIASTICIS.

IN Ecclesia Dei omnia fieri debent bono ordine, decenter, & ad ædificationem. Quod ut recte observatur in doctrina verbi, & Sacramentorum dispensatione, quod officium in Ecclesia primarium est: ita non minus circa

circa ritus externos & ceremonias operæ danda est, ut decorum observetur, fiantque omnia non ad destructionem, sed ad ædificationem. Qua de re sic proponit artic. 15:

De ritibus Ecclesiasticis docent, quod ritus illi servandi sint, qui sine peccato servari possunt, & prosunt ad tranquillitatem, & bonum ordinem in Ecclesia, sicut certæ feriæ, festa, & similia. De talibus rebus tamen admonentur homines, ne conscientiæ onerentur, tanquam talis cultus ad salutem necessarius sit. Admonentur etiam, quod traditiones humanæ, institutæ ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis, adversentur Evangelio & doctrinæ fidei. Quare vota & traditiones de cibis & diebus, &c. institutæ ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis, inutiles sunt & contra Evangelium.

I.

Articuli hujus sententia decerpta est ex articulo D. Lutheri 17. Cujus sunt hæc verba: Daß man die Ceremonien der Kirchen/ welche wider Gottes Wort streben/ auch abthue/ die andern aber frey lasse seyn/ derselbigen zu gebrauchen/ oder nicht/

nicht/ nach der Liebe/damit man nicht ohne Vrsach leichtfertige Ergernüß gebe / oder gemeine Frieden ohne Noth betrübe/ꝛc.

II.

Sententia Caroli Cæsaris & Principum de hoc articulo.

Dum, inquiunt, articulo 15. confitentur, ritus illos Ecclesiasticos observandos esse, qui sine peccato servari possunt, & prosunt ad tranquillitatem, & ad bonum ordinem in Ecclesia, accepta tur. Admonendique sunt, ut ritus Ecclesiastici, tam universalis Ecclesiæ, quam qui in qualibet provincia usque ad nos pie & religiose sunt custoditi, ipsi principes & civitates in suis dominiis & districtibus faciant observari. Et si qui ex illis fuerint intermissi, ut eosdem restituant, atque omnia, juxta pristinam formam in Ecclesiis suis fieri ordinent, disponant, atque cum effectu subditis præcipiant. Appendix tamen illius articuli omnino tollenda est, cum falsum sit, constitutiones humanas ad placandum Deum & satisfaciendum pro peccatis institutas, adversari Evangelio, uti de votis, usu ciborum, & similibus posterius latius declarabitur.

Andreas Fabricius Leodius *articulum hunc putat promanasse ex thesi Lutherana, quod sola fides ad salutem sufficiat: inde enim consequi ait, ritus Ecclesiasticos ad salutem minime requiri. Postea vehementer invehitur in abrogationem rituum Romanensium, quorum multos recenset, & aliquos*

& aliquos quorundam patrum authoritate nititur stabilire. Denique de variatione hujus articuli multa odiose commemorat, & ut seducti redeant in viam, exhortatur.

Iohannes a Daventria *morsum annotavit in priore hujus articuli parte, (nimirum quosdam ritus citra peccatum servari non posse:) quo e medio sublato, nihil a vera fide alienum docere articulum affirmat. Deinceps multis convitiis proscindit Lutherum, ejusque coniugium, quantum potest, exagitat, brevi ostensa via eradicandi omnes hæreses & sectas, nimirum, si obtemperetur Pontificis in causis fidei. Apud Episcopos,* inquit, *est authoritas definiendi ea, qua debent sacerdotes populum docere. Denique prolixum instituit examen Apologiæ, quod totum hic retexere brevitatis studium non sinit.*

Iohannes Cochlæus *multa circa hunc articulum reprehensibilia esse conqueritur: scopum ejus dicens consistere in falso & diabolico illo, de sola fide, dogmate, & in malitioso calumniandi studio, atque etiam in hac falsa suppositione, quod cultus Dei, qui non est verbo Dei in scripturis expressus, non valeat. Vbi in prima acie ponit argumentum sua opinione firmissimum: nimirum, Deo acceptum fuisse cultum, quo coluerunt eum sanctissimi homines. Abel, Noe, Abraham, Isaac, & Iacob: qui nullas tamen habuerint scripturas de illo cultu. Addit alterum de ceremonia diei dominicæ, de qua nullum extet in scripturis præceptum. Tum incipit detonare in Lutherum & Philippum, & non dubi-*

dubitat vocare calumniam, quod scripserit Lutherus, ceremonias Papisticas institutus ad justificandum, & promerendam gratiam. Ceremoniæ enim nostræ, inquit, *non sunt principaliter institutæ ad justificandum; aut ad promerendam gratiam, aut ad satisfaciendam pro peccatis, aut ad remissionem peccatorum per eas consequendam, ut falso* (imo verissime: ut ex responsione Cæsaris patet) *nobis centies imputant Confessio & Apologia ista, sed potius ad cultum & laudem Dei, in gloriam & honorem Christi, ad venerationem & memoriam Dei genitricis, & omnium sanctorum, &c. Cætera consumit in oppugnanda Apologia.*

Vnum hic monendum: quod negat, scripturas fuisse Patriarcharum tempore Puerile? Non enim de figuris sive apicibus literarum quæritur: sed de ipso Dei verbo, quod tunc piis illis partibus divinitus revelabatur, & per ipsos in publicis congressibus proponebatur & docebatur: postea autem a Mose & Prophetis in literis relatum fuit.

Iohannes Hoffmeisterus: *Articulus hic*, inquit, *decimus quintus, qui est de ritibus Ecclesiasticis, non improbatur. Requirit tamen candorem. Et recte monet, finem ceremoniarum esse, ut omnia honeste & ordine suo pulchre in Ecclesia fiant. Ostendit etiam discrimen inter traditiones, quæ præsulum negligentia, aut avaritia in Ecclesiam irrepserunt, & alias, quæ ut plurimum in Ecclesia observantur. Negat etiam traditiones esse necessarias ad salutem. Et concedit, superstitionem a traditionibus removendam. Præterea approbat dictum Capitonis*

nis (ut & nonnulla Philippi, & aliorum) a constitutionibus omnibus, quatenus aut conscientiam obligant, aut pro cultu habentur, liberatos nos esse affirmantis. Tandem: Nos fatemur ingenue, inquit, *magnum certe esse numerum ceremoniarum,* NB. *& humanarum traditionum in Ecclesia, quæ vel immutari, vel porro aboleri queant.* Ad piam synodum pertinet hoc negotium, sic repurgare, ut abolita omni superstitione Deus vere in Spiritu & veritate colatur. *Ego nolim vel superstitioni, vel impietati patrocinari. Omnia suo loco & tempore ponantur. Hæc ille.*

Alphonsus Virvesius *Philippica* 14. *præmissa distributione traditionum humanarum, quarum alias facere ad placandum Deum affirmat, alias negat, aggreditur Philippum Melanchthonem, ejusq; examinat quædam argumenta, ita quidem prolixe, ut longior, quam verior, refutatio dici recte possit.*

Georgius Cassander *proponit* ex *Philippo tria genera constitutionum humanarum.* Primum, *cum præcipitur aliquid, quod non potest sine peccato præstari, ut de propagatione missarum, cultu sanctorum. Vbi fatendum esse scribit, tum in instituto cœlibatus, tum in celebratione missarum, tum etiam in cultu sanctorum, quædam irrepsisse, quæ correctionis indigent, &c.* Secundum *est de rebus adiaphoris, quæ habent utilem finem politicum. Vbi saniores omnes consentire putat, de talibus ritibus monendos esse homines, ne conscientia onerentur, tanquam talis cultus sit ad salutem necessarius.* Tertium *genus est de rebus indifferentibus,*

bus, quibus accedit opinio cultus meriti, aut necessitatis: quæ opinio accedens ex adiaphoris facit impias, quare illas violandas ait, ut opinio illa corrigatur. Hoc tertium genus ad secundum referri posse Cassander existimat, si nimirum falsa opinio illa detrahatur. Tum de jejunio *disputans ex Biele monet, præcepta Ecclesiæ positiva non eodem modo obligare, quo præcepta divina vel naturæ. Et quod dicitur jejunium valere ad satisfaciendum pro peccatis, scribit referendum tantum esse ad pœnas temporarias. Vbi commendat Erasmum, dicentem recte jejunium & delectum ciborum ad duo valere, primum ad domandam corporis lasciviam, deinde ad placandum iram divinam, ut cum videt nos de nobis ipsis pœnam sumere, ipse remittat vindictam. Probat etiam, quod confessio Saxonica habet: Non vituperamus jejunia, sed superstitiosas opiniones & laqueos conscientiarum in traditionibus.* Et nonnullis interjectis: Diffitendum non est, inquit, nonnullos fuisse hominis superstitiosos & imperitos, qui his salubberrimis constitutionibus ad salutem hominum factis, ad tyrannidem & laqueum conscientiarum abusi sunt, qui gravissimi abusus cura Episcoporum & Ecclesiæ præfectorum corrigi debent. *Atque etiam ex vulgo multi fuere, qui in externa harum traditionum observatione justitiam & fiduciam collocarunt, neglectis interim veræ & internæ pietatis, quibus illæ servire debebant, officiis. Neque defuere, qui præposteræ æstimatio-*

tione has traditiones præceptis divinis non modo æquare, sed præferre sunt ausi, ita ut propter eas graviora legis præcepta, ut charitatis & misericordiæ, neglexerint, & earum quatunque de causa transgressionem violatione divinorum mandatorum graviorem judicarint: quæ certe traditiones hoc modo servatæ, mandata hominum dici possint, & in eos recte torqueri, quod Christus inquit Pharisæis: populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Et denique: Erasmus, inquit, alicubi conqueritur, idque fortasse non immerito, totam fere religionem hactenus redactam fuisse ad cerēmonias, & vigorem Evangelicum propemodum per eas fuisse antiquatum, &c.

III.

EXEGESIS.

Constat duabus partibus hic articulus: thesi & antithesi.

I. *Thesis* affirmat 1. ritus in Ecclesia habere locum. 2. Eosdem describit, tum a qualitate interna, ne sint impii, sed tales, ut sine peccato possint observari: tum a fine, nempe utilitate duplici, nimirum tranquillitate, & bono ordine. 3. Exempla subiicit, nempe certas ferias, & festa (hoc est, solennes festivitates) & similia. Vbi cautio additur, ne onerentur conscientiæ ritibus illis, quasi sint ad salutem necessarii.

II. *Antithesis* generatim damnat traditiones humanas, quibus affingitur opinio meriti: additis exemplis votorum & traditionum de cibis & diebus, &c.

III. De

III. De ceremoniis sive ritibus Leviticis in V.T. hic disputari nulla cogit necessitas. In Novo autem Testamento ceremonias vocamus ritus, gestus, atque actiones externas, quæ pro temporum & locorum ratione in Ecclesia libere usurpantur, ut decenter & ordine, atque ad ædificationem omnia fiant. Ceremonia.

IV. Distinguuntur igitur a ritibus, ad ipsa dogmata spectantibus, ut sunt actiones Sacramentales: in quibus libertas locum non habet, sed adhiberi eos semper oportet, juxta Christi institutionem.

V. Ceremoniæ aliæ referuntur *ad doctrinam*, ut Psalmi sive cantiones, lectiones, exhortationes, interrogationes, preces, confessiones & gratiarum actiones: aliæ *ad disciplinam*, ut commodus ordo in dispensatione Sacramentorum, solennia jejunia, dies supplicationum &c.

VI. *Finis* earum triplex est, 1. Decorum. 2. ordo. 3. ædificatio. Qui fines, ubi non respiciuntur, ceremonia sive constitutio Ecclesiastica dici non meretur, sed humana traditio. Recte hic observatur regula: *Christianarum ceremoniarum moderatrix esto fides & charitas.* Docet enim fides, quid liceat: monet charitas, quid prosit. Danda igitur opera, ne in ceremoniarum observatione vel quicquam decedat fidei, vel lædatur charitas. Nulla igitur danda causa scandalo. Sed discernendum tamen inter scandalum acceptum & datum. Et ubi casus viget confessionis, nihil quicquam est veritatis hostibus concedendum: eoque

tempore nihil est pernitiosius, atque Christiana constantia indignius, simulatione & dissimulatione. *Galat. 2.*

Feriæ. VII. *De feriis sive festivitatibus* hæc pauca annotamus: esse eas triplicis generis. *Primum* est dies dominica, quæ propter memoriam resurrectionis Domini nostri Iesu Christi Sabbato Iudaico successit. Hac ordinarie apud Christianos celebratur divinus cultus: ita tamen, ut si magna urgeat necessitas, in diem aliam transferri sine peccato ad tempus possit.

VIII. *Secundo* sunt solennes festivitates Salvatoris, concepti, nati, circumcisi, in templo oblati, a mortuis resuscitati (ubi includitur passio) ad cœlum evecti, itemque visibiliter effundentis Spiritum sanctum: Quibus omnibus recte etiam additur festa dies SS. Trinitatis. Quæ quidem festivitatum distinctio multum facit, ut alias utilitates omittam, ad firmiorem officii & beneficiorum Christi memoriam in nobis conservandam, & recolendam.

IX. *Tertio* sanctorum quorundam celebratur memoria, ut Deo agantur gratiæ pro beneficiis per illos Ecclesiæ præstitis, & ut ipsorum fides, constantia, Confessio, cæteræque virtutes ad imitationem aliis proponantur.

X. De externo templorum ornatu tenemus regulam, *si abfit impietas, superstitio, levitas, & referatur ad decorum, ordinem, & ædificationem, adhiberi recte posse.*

IV. Er-

IV.
Errores Papistarum.

I. *Generatim docent Pontificii multas esse traditiones in Ecclesia necessario admittendas, quæ in scripturis divinis non habeantur. Vnde has arguunt imperfectionis.* Cui errori opponenda sunt clarissima testimonia scripturæ, Deut. 4. & 12. Numer. 15. Prov. 30. Esa. 8. Ezech. 20. Luc. 16. Ioh. 5. Actor. 20. 2. Timoth. 3. Apoc. 22.

II. *Speciatim de ceremoniis has nobis exhibet propositiones Bellarminus lib. 2. de Sacramentis in genere c. 31.* 1. *Ceremonias aliquas, inquit, Christus vel Apostoli instituerunt, quas ex nulla scriptura, sed ex sola traditione habemus, ut Sacramentum Chrismatis, ut Eucharistiam jejuni suscipiamus, signum crucis, &c.*

2, *Aliquæ ceremoniæ vim habent spiritualem. Vbi de signo crucis disserit, quod tribus modis terreat dæmonas.* 1. *Ex apprehensione ipsorum dæmonum.* 2. *Ex devotione hominis.* 3. *Ex opere operato.*

III. *Potest Ecclesia instituere novas ceremonias, non quidem ad justificandum impium, sed ad alios effectus spirituales: qui ordine recenset & explicat.*

IV. *Ceremonia ab Ecclesia instituta non possunt omitti sine peccato, etiam citra scandalum. Vbi recenset dispensiones in Ecclesia ortas ob ceremonias legales, de die paschatis, de ritu baptismi, de delectu ciborum, de temporibus jeiuniorum, de diebus festis, peregrinationibus, vigiliis, cereis, &c.*

V. *Ceremoniæ non sunt res indifferentes, sed sunt res utiles,* meritoriæ, *& pars quædam cultus divini.*

VI. *Sapientissime institutum est, ut in Ecclesia Latina Latine Sacramenta administrentur. Vbi tamen excipit matrimonium, in quo, propter mutuum consensum exprimendum, concedit usum sermonis utrique parti noti: Alias autem requiri putat ad ministerium Sacramentorum linguam non vulgarem: incommodum enim esse dicit ea uti, propter quatuor rationes, quas recitat.*

VII. *De immoderata festorum dierum frequentia testatur praxis: & in quibusdam horrenda idolatria & superstitio, ut in festo corporis Christi: &c. deploranda est.* De quibus omnibus nihil hic addo, quam quæ supra ex Cassandro & Erasmo fuerunt commemorata. Sufficere enim ea moderatis ingeniis possunt.

V.
Errores Calvinianorum.

Dies festi.

I. *Zwingliani* nonnulli e diametro huic articulo contradicunt, quantum ad solennes festivitates & ferias, quas omnes sustulerunt e medio, solum diem Dominicum observantes: ubi tamen etiam ordinaria Evangelia, antiquitus bono & utili consilio per totum annum certo ordine dispositæ, removent, continuum quendam textum Biblicum, nulla habita temporis & historiarum sacrarum ratione, interpretantes. Quomodo & tranquillitatem Ecclesiæ, & bonum ordinem turbari, res ipsa

ipsa ostendit. *Danæus Eth. Christ. l. 2. c. 2. f. 171. 172. edit. Gen. Anno* 1562. Divis, inquit, sanctis & defunctis dies festivitatesque consecrare, *plane idololatricum est & damnatum.* Vnus enim Deus colendus est. Item: Dies istos (Christo ipsi sacratos: ut natalem diem: & Epiphaniæ, & Resurrectionis & ascensionis,) neque colere aut observare necesse est: aut etiam operæ pretium. *Vide etiam Calvinum in 2. defensione adversus Westphalum, p. 913. col. 1. edit. Genev. Anno 97.*

II. Vt nihil hic dicam *de imaginibus* Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, & picturis historiarum, & revelationum sacrarum, &c. quæ tamen non coluntur, sed tantum inserviunt memoriæ, & externo ornatui: sicut erant imagines in templo Salomonis. *Cassellani in antiqua fide Cattorum, p.* 89. Domi privatim, inquiunt, licet habere imagines Apostolorum: Quamprimum autem constituuntur in templo, exerces per illas idololatriam. *Itane in parietibus idololatria est, quam in corde ponit scriptura, 1. Cor. 8. v. 4. Ezech. 14. vers. 7.* Imagines.

III. Plerique etiam omnes Calviniani rejiciunt, & damnant ritum, antiquitus in Ecclesia receptum & usitatum, circa distributionem benedicti panis in Eucharistia: obtrudentes nobis, sub opinione divini mandati, & necessitatis, *præfigurativam quandam sive representativam fractionem panis*, hoc est, comminutionem in particulas, in ipsa media S. cœnæ dispensatione, sicut etiam effusionem vini: sed tamen ita, ut neque inter se consentire, Panisragium repræsentativum.

neque certi & firmi quippiam concludere possint, similes plane vulpibus Simsonis, de quibus, *Iudic. c.15.v.4.5.*

In numero. Nam I. *Alii* dicunt, unum panem requiri, qui in tot comminuatur fragmenta, quot sunt communicantes. *Alii plures* partes admittunt minores, modo non integri dentur communicantibus, sed in particulas prius dividantur. *Vbi nota calliditatem & versutiam Zvvinglianorum eorum, qui integrum quidem rotundum panem porrigunt agrotis communicantibus, sed dum ori admovent, digitis confringunt, ne integer, sed comminutus, accipiatur. Qua arte simplicioribus Christianis imponere se posse putaveruut: magnum in ea re myrsterium ponentes.*

In instrumento. II. Digitis comminuendum panem docent alii, non cultro scindendum, *Anatomia Marpurg. pag. 90. alii* ante administrationem Sacramentalem scindunt cultro in portiones longiusculas, quas postea frangunt, & porrigunt comedentibus, ut viva praxis ostendit apud multos Calvinistas: neque exempla defuerunt in vicinis Marpurgo locis.

In definitione. III. Hanc unius panis in plures partes comminutionem, quam a solo Sacramenti dispensatore publice fieri oportere censent: *alii* dicunt esse de ipsa S. cœnæ ratione & essentia, nempe forma, *ut Bucan. Pisc. Cassellani in Antiqua fide Cattorum, pag. 108. &c. Alii* negant pertinere ad essentiam, sed vocant partem integrantem, ut Pareus, Cassellani in responsione sua: Anatomia Marpurgensis,

sis, & M. Goclenius, & a seipso totus alius factus in prioribus & posterioribus disputationibus. Et *alii* quidem dicunt, esse partem principalem, & summe necessariam, *ut Anatomia, p.* 9. 11. 28. &c. *alii* partem minus principalem, ut M. Goclenius. Rursum *alii* vocant ritum necessarium: quos etiam ipsos defendi putat posse M. Goclenius. Denique Beza eam confert venustati faciei, cui opposuit omissionem fractionis, tanquam aliquem nævum in facie, cui subscribit *Anat. Marp. p.* 131.

In qualitate.

IV. Vnde *alii* sine hac fractione dicunt cœnam esse non posse, ut Piscator, &c. *Alii* esse quidem veram cœnam, sed non integram, verum mutilam: M. Goclenius, Anatomia, Cassellani. Vnde dicunt similem esse cœnam illam homini, aure, pede, manu, vel brachio carenti: ut Marpurgenses & Cassellani: *alii* deminuto Thaleto, ut pastor Hasungensis Angelocrator, postea per aliquot annos Superintendens Marpurgensis. *Alii* literis vel sigillo, in quo sit rimula, vel parva fissura, ut Antiqua fides Cattorum Cassellis edita, p. 106.

In fine.

V. Hanc fractionem panis inservire ajunt, non distributioni inter communicantes (*Anatomia Marpurgensis vocat fallatiam non causæ, p.* 93. Verum reclamat M. Goclenius *disput. 7. thes.* 31) sed præfigurationi sive adumbrationi fractionis corporis Christi in cruce. Quam fractionem corporis Anatomia Marpurgensis intelligit proprie, p. 165. Cæteri Metaphorice; quos ridet Anatomia, & Metaphoram explodit. Vtrisque in faciem

contradicit *P.Ramus l.4. de Theol. c.8.* Partitio fit panis fractione, inquit; non illa quidem significance ullam corporis Christi fractionem, ut Beda arbitratur: Nec enim Christi quicquam fractum est, ut Iohannes testis est, cap.19.vers.33. sed simpliciter exprimente partitionem, unde singulis pars daretur. Hactenus Ramus; cui quid M. Goclenius respondere velit, mature secum deliberet. Nam premi hic Calviniſtas multis & magnis difficultatibus res ipsa docet. Quia enim Christi corpus non est in partes fractum sive comminutum, docente *D.Iohan.c.19.v.33.* ex Typo agni Paschalis *Exod.12.v.46.& Num.9. v.12.* mirabiles parturiunt Sacramentariæ illius analogiæ applicationes. *Alii* diserte negant, analogiam consistere in comminutione in partes, *ut Anatomia Marpurg.pag.162. & Cassellani pag.84.* *Alii* sic applicant: Vt panis frangitur proprie; ita corpus Christi fractum est suo modo, Piscator: *Cui affinis est M.Goclenius in disp.7.* de similibus & analogia Sacramentali. *Alii* hoc modo: Vt panis frangitur in partes; ita anima Christi est divisa a corpore. *D.Schonfeldius & Palatini, & Antiqua fides Catorum, p.109.* *Alii* aliter. Vt panis frangitur, ita corpus Christi patitur, vulneratur, moritur, &c. Cassellani, & Anatomia passim: & his adblanditur M. Goclenius.

Vini effusio.

IV. *De vini effusione* novæ sunt turbæ. *Alii* enim dicunt, sicut vinum effunditur ex poculo in os; ita effusus est Christi sanguis in terram, Cassellani, Anatomici, M.Goclenius *disput.7. &c.* *Alii*, sicut vinum seperatim bibitur post comestum panem:

nem; ita sanguis Christi est separatus a corpore, & effusus in terram. Rursum *alii*, sicut vinum ex urceo, sive cantharo effunditur in calicem; ita sanguis Christi est effusus ex ejus latere. Vbi, ut Christiano populo spectaculum illud effusionis sanguinis Christi quam evidentissime ob oculos ponatur, jubent Suermeri quidam ex altiore spatio effundere vinum in calicem, ut per illam fusionem, & fluxionem vini effusio sanguinis Christi quam clarissime exprimatur. De quo toto argumento, quia publicum editum est scriptum luculentum, ex quo cætera, quæ huc pertinent, repeti possunt, ad illud lectorem remittendum puto.

V. Adscribam locum ex Ludovico Lavatero de ritibus & institutis Ecclesiæ Tigurinæ fol. 13. Post orationem, inquit, sic celebratur cœna. Iesus in nocte, qua tradebatur ad mortem, accepit panem (*hic accepit pastor panem azymum in manus*) cumque gratias egisset, fregit ac dixit: Accipite, comedite. Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Hoc facite ad commemorationem meam. (*Hic simul præbet pastor ministris, ad dexteram & sinistram stantibus, panem, qui illum reverenter accipiunt, & ad mensam stantibus porrigunt.*) Similiter postquam facta fuit cœna, accepit & poculum: (*Hic accipit pastor poculum in manus*) gratias egit & dixit: Bibite ex isto omnes (*simul porrigens poculum ministro ad dextram, qui etiam adstantibus porrigit.*) Hic calix Nov. Testamentum est in meo sanguine. Quotiescunque, &c. Posthæc per totam Ecclesiam ministri azymum pa-

nem in catinis circumferunt, & accipit quisque sua manu particulam de exhibito pane, & postea reliquam partem dat proxime assidenti. Deinde sequuntur alii ministri cum poculis & cantharis, ac præbet alius alii poculum dominicum: atque sic omnes de uno pane, & de uno poculo participant, &c. *Fol. 14. pag. 2.* In parochiis, quæ carent diaconis, pastores omnia illa soli recitant. Deinde singuli, qui communicare volunt, ad mensam in templo positam accedunt, viri primum, deinde mulieres magnaque reverentia panem ex *ministri manu acceptum* manducant, ut de vino bibunt: Aliquando *ipsi ministri in os accedentium panem inserunt, & poculum ori admovent.* In quibusdam Ecclesiis viri, gladiis depositis propter significationem, accedunt. Hactenus Lavatherus.

VISVM EST APPENDERE EPISTOLAM Hieronymi Zanchii, ad Ottonem a Grünrad de Fractione Panis, *in gratiam Calvinistarum Marpurgensium, ut videant sua ἁμαρτήματα, & corrigant. Excusa ea habetur inter alias Hanoviæ apud Guilielmum Antonium, Anno* 1609.

SHeri sub noctem, frater observande, redditæ mihi fuerunt literæ tuæ, datæ hujusce mensis tertio, quæ cum aliis multis de causis fuerint pergratæ, tum maxime, quod in tota ista regione puram Evangelii doctrinam prædicari intellexi, ritusque omnes puros retineri, unam duntaxat panis fractionem desiderari in administra-

ſtratione cœnæ Dominicæ: totum hoc valde libenter legi, & gratulatus ſum vobis, atque gratulor ex animo, quod nihil præterea deſideretur. Illud vero non parum dolui, atque doleo, quod ſcribis, non deeſſe, qui dubitent, & anxie etiam diſputent, *num bona conſcientia communicare poſſint, cum ea Eccleſia, in qua ritus iſte omittitur*. Video enim diabolum ſemper ſui ſimilem eſſe, ut ubi hæreſes ſeminare non poteſt, ibi curet ſaltem quoquo modo, leviſſimis etiam de cauſis ſchiſmata, quibus Eccleſiæ perdantur, excitari: proinde diligenter ſimul & prudenter reſiſtendum eſt Satanæ non ſolum apertis conatibus, ſed doloſis etiam artibus atque inſidiis, quæ prætextum quidem habent pietatis, ſed revera ad piarum Eccleſiarum everſionem ipſius Diaboli aſtu ſtruuntur. Eſt igitur contra nobis in id omnibus viribus incumbendum, ut Eccleſiarum ædificatio promoveatur: quando huc etiam omnia ſpectant, quæ Chriſtus Dominus noſter egit, paſſus eſt, inſtituit, docuit: *tantum abeſt, ut propter diverſitatem unius in cœna ritus, illiusque non ita neceſſarii, ut ſi abſit, ſubſtantiam cœnæ tollat: faciendum ſit aliquod ſchiſma*; id quod certe ab illo cum primis fieret, qui propterea ſuam operam Eccleſiæ, ad quam legitime vocatus eſt, denegare, ſuumque miniſterium deſerere vellet.

Quæris igitur a me frater cariſſime: Primum quidem. *Num privatus aliquis cum ea Eccleſia, in*

in qua de omnibus articulis fidei pure docetur, & in qua blasphemum dogma Vbiquitatis aperte rejicitur, sed quæ fractionem panis non habet, ita consociare se debeat, ut sacris symbolis, quæ præter cætera fidelium quoque conjunctionem testantur, in ea utatur. Deinde: *Num minister verbi, si doctrinæ professio libera ei relinquatur, propter omissum fractionis ritum, quem alibi usurpavit; bona conscientia possit operam suam denegare Ecclesiæ, in qua vel nulla, vel lenta spes fuerit, introducendi hanc ceremoniam.* Addis, *quidnam in universum de fractione hac panis sentiendum sit, & in ea vel admittenda vel omittenda, qualis se se debeant gerere ministri, & magistratus politicus.* Hæ sunt, quas mihi proposuisti, quæstiones.

Optassem quidem alio tempore, quam hoc incommodissimo, quo totus occupatus sum in convasandis libris, meaque suppellectile, ut ante diem nativitatis juxta mandatum P. E. L. qui 6. hujus tres Theologos ideo missos fecit, quia, ut ait, Calviniſmum profiteamur, migrare ex ædibus possim: Quia tamen, quod petis, nil habet, meo quidem judicio, difficultatis, neque tibi quippiam denegare possum, viro pio, docto & amico; idcirco, quod in tanta rerum turbatione, & negotiorum multitudine possum, illud tibi præstare conabor, illius dicti haud immemor, *cum non potes, quod vis, velis, quod potes.*

Ad postremam igitur, priori loco, breviter respondeo quæstionem: Diligenter dandam esse, tum ministris, tum Magistratui operam, ut panis fra-

fractio in Ecclesiam postliminio revocetur, tum quia Christus & Apostoli, & deinceps vetus Ecclesia eam usurparunt (sunt vero exempla Christi & Apostolorum, in cultu & moribus imitanda) tum, quia non parum facit ad mysterium Cœnæ illustrandum: hoc est, & ad passionem mortemq; Christi annunciandum, subque oculos Ecclesiæ proponendam, & ad κοινωνίαν, quam habemus cum Christo, & inter nos pulchre repræsentandam. Cum enim ex uno visibili pane, in varia frustula fracto, omnes ideo corporaliter edimus, ut simul etiam unum atque eundem Christum, panem cœlestem, pro nobis fractum, omnes spiritualiter percipiamus, oreque Spiritus ac fidei comedamus: ad vivum repræsentatur toti Ecclesiæ κοινωνία, qua unum existentes cum Christo, Cœnæ participatione magis ac magis in unum corpus cum ipso & tota Ecclesia coalescimus, juxta illud: *Vnus panis, unum corpus multi sumus. Omnes enim unius panis participes simus.*

His ergo potissimum de causis, quæ hactenus, autore Satana, hoste capitalissimo nostræ cum Christo & inter nos conjunctionis, exulavit ab Ecclesia Fractio panis, ea modis omnibus ut restituatur, elaborandum est. Ratio autem & via, qua *cum fructu* redire possit, *non in nudo magistratus mandato* consistit, sed in *doctrina potissimum*, qua ministri eam ab authoritate & exemplo Christi, ab honesto & utili, persuadeant Ecclesiæ, doceantque ad veram perfectamque Ecclesiarum reformationem pertinere; semper enim proficiendum

endum esse in melius, neque pudere nos debere hujus mutationis: quoniam, ut pie simul vere scribit Ambrosius, ad Valentinianum Imperatorem,

Epist. 32. *Nullus pudor est ad meliora transire.* Neque enim introducenda est fractio, *invita, & reclamante majori Ecclesiæ parte;* ne hanc ob causam *scbisma* fiat aliquod, & *dum volumus frangere panem,*

NB. *frangamus simul & dissipemus corpus Ecclesiæ;* quod certe non probatur Apostolo, dum jubet omnia fieri *ad ædificationem* Ecclesiæ? & in hunc finem institutum esse ministerium potestatemque *non* esse ministris datam *ad destructionem, sed ad ædificationem:* præeat ergo doctrina & persuasio necesse est, *ne quid per tyrannidem fiat, & evertatur Ecclesia. Neque enim tam necessaria est fractio panis, quam conservatio integri corporis Christi,* quod est Ecclesia; *& præpositus est zelus, qui cum ruina Ecclesiæ conjunctus est.*

NB.

Quid vero (ut ad alteram veniamus quæstionem) si minister doctrinam de fractione panis non possit Ecclesiæ persuadere, num propterea potest salva conscientia, operam suam ei denegare? Quasi vero Prophetæ in Israel, quia non poterant populo persuadere, ut abjecto idololatrico cultu, verum restituerent, idcirco suos unquam deseruerint stationes: quanto minus hoc licet ministro legitime ad aliquam Ecclesiam vocato, ideo facere; quia fractionem panis, *in qua tamen substantia cultus divini, Cœnæ Dominicæ, non consistit,* impetrare non potest? Dum licet verbum Dei libere prædicare, errores refutare, vitia argue-

guere; non licet ministro suum deserere ministerium; ad hoc enim vocatus est, ut doceat, quæ Deo placent suadendo: quæ displicent, reprehendendo ac refutando. Sed ut hoc demus, inquies, de ministerio verbi: nondum tamen absoluta est quæstio. Quæritur enim, *num Cœnam quoque, in qua panis non frangitur, bona conscientia possit, & aliis administrare, & sibi ipsi sumere?* Quidni? NB. Illud enim bona conscientia facimus: *quod faciendo, nullum apertum Dei mandatum transgredimur.* Quodnam autem mandatum Christi violatur a ministro, qui illud, de quo est quæstio, agat? *Certe si tale quid expresso mandato Christus cavisset, ne fieret, bona conscientia præstare non posset. Sed illud ego non video. Video quidem quid fecerit ipse, quid etiam Apostoli; nec ignoro sequenda esse Christi exempla; sed apertum hac de re mandatum non lego;* sicut lego porrectum panem esse accipiendum & edendum, Cœnam in recordationem mortis Christi esse celebrandam, conscientiam cuique suam esse probandam. Cur ergo hoc apertum negligam præceptũ. ne *quod apertum non est* transgrediar? Sed fac & NB. illud de fractione esse præceptum: *quomodo tamen demonstrabis, mandatum Christi esse, ut frangatur panis in mensa coram toto cœtu, non autem satis esse, si fractus & divisus in mensam offeratur?* Certe ad hoc *ut distribuatur, perinde est, si vel extra mensam vel in mensa frangatur*: quanquam ad repræsentandam Christi passionem, non ita se res habeat.

Est

Est enim *ille prior fractionis usus, per se necessarius*; quia edi non potest a multis panis ille, nisi fractus: *alter vero non ita necessarius, ut substantiam Cœnæ omissus tollat, & ut sine ipso celebrari illa non queat.* Idipsum enim fit, ad quod instituta est fractio, alia ratione, nempe verbo, quo aperte prædicatur, in Cœna nobis exhiberi corpus Christi, quod pro nobis traditum est.

Ac licet patres non ignorarint alterum usum propter autoritatem Apostoli: qui sic habet: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*, plerique tamen omnes senserunt in hoc cum primis, juxta veterem Hebræorum consuetudinem, „ qui magnos panes adferebant in mensam, *fractam* „ *fuisse a Domino Iesu panem, ut fractus dividi ac* „ *distribui posset inter multos. Ergo ad hunc præci-* „ *puum usum quod attinet, perinde est, si fractus ad-* „ *feratur; atque si allatus integer frangatur.* Quare cum duplex sit fractionis usus, & primus necessariusque retineatur, alter vero culpa non ministri, sed Ecclesiæ aut magistratus obtineri non possit, num minister priorem etiam negliget, quia posteriorem habere non potest? Quid hic habes, pastor, scrupuli, cum per teipsum non stet, quin etiam alter usus, qui ex præsenti fractione coram tota Ecclesia oritur, locum habeat in Ecclesia? præsertim cum tibi liceat semper protestari toti Ecclesiæ, te non ideo sine fractione ministrare & sumere Cœnam, quod hunc probes ritum, sed quod malis cum Ecclesia tua infirma infirmari, quam aut schismatis alicujus esse autor, aut ipsam Eccle-

Ecclesiam Cœna Dominica defraudare: quando etiam Apostolus nonnunquam haud dissimilia faciebat, quo schismata evitaret, & unitatem Ecclesiarum conservaret. Certe neque ipse, cum esset apud Gentes, Iudaicas ceremonias observabat; cum tamen venit Hierosolymam, ne discipuli, qui erant ex Iudaismo, legis alioqui plusquam par erat observantiores, turbarentur, sequutus consilium Iacobi & presbyterorum, admisit purificationem in templo. Neque est, cur quispiam hoc Apostoli factum improbet, cum ipse illud idem narret: tanquam opus non malum; imo laude dignum propter caritatem, & studium fraternæ concordiæ. Non igitur valet; *Alibi semper usus sum fractione panis: Ergo hic, citra illam neque exhibebo alis, neque mihi sumam cœnam Domini.* Oportet enim pastorem ad infirmitatem suarum ovium propter ipsarum salutem se ipsum accommodare: & omnibus omnia fieri, *quantum per verbum Dei licet*, ut omnes lucrifaciat. *Non possum enim videre*, (ut ante etiam dicti) *quo verbo Dei caveatur, ne minister ullo modo cœnam administret, nisi in mensa frangatur panis.* Præterea, Annon hoc etiam fuerit damnare *omnes Ecclesias, quæ Evangelium amplexa, præsentem tamen fractionem non habuerunt, neque etiam nunc habent?* Annon hoc quoque fuerit fovere errorem, olim Donatistarum, & nunc Anabaptistarum, qui ideo communionem nobiscum nolunt, & ita ab Ecclesiæ unitate recedunt: *quia non omnia apud nos perfecta reperiuntur, sed multa desiderantur?* Er-

Act. 20.

Act. 24.

NB.

go quia non expedit, non debet minister suam operam denegare Ecclesiæ, aut abstinere a Cœna; quia frangere panem non permittitur, præsertim cum per ipsum non stet, sed per Ecclesiam, quin frangatur, & nulla culpa in ipso hæreat.

Credo ex iis manifestum quoque & perspicuum esse factum, quid ad primam quæstionem responderi debet: qua quærebatur, *num bona conscientia possint fideles ad mensam Domini accedere, in qua panis non frangetur. Cum Christus nullo mandato me ab illa arceat*, neque culpa in me hæreat ulla, quamobrem non frangatur: ibi vero *nihil desit ad substantiam veræ Dominicæ Cœnæ*; ita ut a fidelibus vere percipiatur corpus & sanguis Domini; liceatque mihi de mea fide ministro, vel etiam presbytero, protestari; mihi quidem non probari ritum hunc ex pontificatus reliquiis retentum, cupereque verum ritum restitui, non ob id tamen velle me ab Ecclesia hac, vel a participatione Sacramenti abstinere, cum tota doctrina pura sit, & substantia etiam Sacramenti integra maneat, ita ut nihil ibi præter fractionem panis desideretur; quidni bona conscientia accedam? Neque exempla desunt piorum & doctorum virorum, nostri etiam temporis, & nostræ doctrinæ, quibus meam sententiam confirmem. *Martyr* piæ memoriæ, præceptor meus, cum in Anglia adhuc retinerent dogma de manducatione orali, neque frangerent panem, sed nebulis illis Pontificiis uterentur, non tamen dubitavit accedere parochum,

rochum,& protestatus de sua fide,petere, ut se ad Cœnam Domini admitteret, id quod etiam concessum ei fuit. Certo etiam scio, non solum ipsum Martyrem, sed etiam *Calvinum* hujus fuisse sententiæ, nempe ubi dogma ubiquitatis non obtineat, sed simplex illa Lutheri sententia, ibi posse nos bona conscientia Cœnam Domini sumere, modo præcedat fidei nostræ confessio, ac protestatio, nosque sub illis admittantur: tanti faciebant unionem Ecclesiarum: quanto magis ergo hoc ibi licet, ubi nulla plane dissensio est in doctrina,sed tantum fractio panis desideratur? NB.

Audio *Iohannem* etiam *a Lasco* honestæ memoriæ virum, non minus pietate & eruditione, quam sanguine illustrem Cœnam sumsisse Witebergæ cum Philippo Melanchthone; ubi non frangebatur panis. Non dubito, quia etiam isti præclari viri, bona id fecerint conscientia. Ad summam: *Non est deserenda substantia propter aliquot accidentia male cohærentia: Neque principalia*, ut loquuntur, *propter accessoria*; neque amici corpus contemnendum est *propter vestimentum, non usque adeo illi* conveniens: neque medicina ægroto respuenda, quia in poculo exhibeatur stanneo; neque panis famelico, quia offertur, *non cultro scissus, sed fractus manibus: cur ergo quis respuat panem Dominicum: quia non frangitur in mensa, sed fractus, seu in frustula paratus, adfertur in mensam?* Cur itidem pastor malit populum suum privari hoc salutari cibo, quam ea ratione præbere, quæ simpliciter

non probetur: cum ille nolit alio modo & ritu accipere? Imperitus sane medicus fuerit, & sui ægroti parum amans, qui nolit ei aliquid *in modo salutem* percipientiæ medicinæ gratificari. Hæc sunt, quæ habui ad propositas mihi a te quæstiones, frater observande, in hac nostra rerum turbatione, & in tam parvo temporis spatio, respondere. Precor Dominum, tollat omnia ex Ecclesiis dissidia; quo unum tantum habeamus verum pestorem, Dominum nostrum Iesum Christum, cui laus & gloria in sempiternum. Vale frater carissime, tuisque Generosis & Illustribus Dominis Comitibus Nassovienſibus, atque inprimis mihi semper observandissimo Illustri D. Comiti Iohanni, salutem plurimam meo dicas nomine; atque ut me meosque amicos commendatos habeas, rogo. Iterum vale. 13. Decemb. 1577. Heidelb.

H. Zanchius Tuus.

VI.

Photinianorum sententia de ritibus Ecclesiasticis.

I. Multa habent in hoc argumento Photiniani communia cum Calvinianis & Anabaptistis, ut de demolitione imaginum, de fractione panis adumbrativa in Cœna Domini, de diebus festis, &c. Id inprimis notandum, ipsam Cœnam Domini eos referre ad ceremoniam, quatenus hæc opponitur legi morali, ut supra vidimus artic. 10. Et in classe adhuc inferiore ponunt baptismum, ut dictum est art. 9. De ritu item celebrandi sacram Cœnam

nam ex Ostorodo, c. 38. art. 10. monuimus, quod Photiniani sedentes celebrent: neque concedant, ægrotis domum deferri: atque improbent, si panis a ministro ori sumentis ingeratur, multoque etiam magis, si genibus flexis accipiatur. Quæ, aliaque similia, prolixa refutatione opus non habent, cum judicari facile ex supra monstratis fundamentis possint.

II. Pertinet huc quæstio de proprietate Novi fœderis, quam assignabo ex Catechesi Racovienſi, p. 133. *Q. Quæ proprietas est Novi fœderis:* Resp. Ea, quod plane spirituale sit, neque in ullis rebus externis, verum in interioribus sit positum. Porro ritus exteriores, vulgo, ceremoniæ vocatæ, spirituales non sunt, quippe cum exteriorem faciem respiciant. Quare nisi de eiusmodi re quapiam expressum, in novo fœdere extet mandatum, nullo modo eam in novo fœdere servandam esse credendum est, &c.

Confer hoc fundamentum cum argumentis Carolostadianis: & lege librum D. Lutheri contra cœlestes Prophetas, ita fiet, ut quo Spiritu etiam hic agitentur Photiniani facile deprehendas.

ARTICVLVS XVI.
DE
REBVS SEV ORDINATIONIBVS CIVILIBVS.

DE Ecclesia, ejusque gubernatione hactenus dictum fuit: sequitur de politico ma-

gistratu, qui nutritius Ecclesiæ esse debet, Esa.49. vers.23. *De quo statu cum impie & proverse sensissent Anabaptistæ & Libertini, adeoque sese ei opposuissent: Confessores ex scripturæ fundamentis ostendunt, quid sit de eo habendum, & quam sint ipsi alieni a profanis Anabaptistarum opinionibus. Taxant etiam monachos, qui admodum tenuiter de hoc vitæ genere docuissent, idque imperfectionis nomine traduxissent, quasi in eo nemo salvari possit. Verba articuli ita habent:*

De rebus civilibus docent, quod legitimæ ordinationes civiles sint bona opera Dei, quod Christianis liceat gerere magistratus; exercere judicia, judicare res ex imperatoriis & aliis præsentibus legibus, supplicia jure constituere, jure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, jusjurandum postulantibus magistratibus dare, ducere uxorem, nubere.

Damnant Anabaptistas, qui interdicunt hæc civilia officia Christianis. Damnant & illos, qui Evangelicam perfectionem non collocant in timore Dei & fide, sed in discernendis civilibus officiis:

ciis: quia Evangelium tradit justitiam æternam cordis: Interim non dissipat politiam aut Oeconomiam sed maxime postulat conservare, tanquam ordinationes Dei, & in talibus ordinationibus exercere charitatem. Itaque necessario debent Christiani obedire magistratibus suis & legibus: nisi cum jubent peccare. Tum enim magis debent obedire Deo, quam hominibus, *Act. 5.*

I.

Desumptus est hic articulus ex articulo 14. inter septendecim D. Lutheri, qui sic habet: Daß in deß/ biß der HErr zu Gericht kompt / und alle Gewalt und Herrschafft auffheben wird / soll man weltliche Oberkeit und Herrschafft in ehren haben/ und gehorsam seyn/ als einem Stand von GOtt verordnet/ zu schützen die Frommen/ und zu steuren den Bösen / daß solchen Stand ein Christ/ wo er darzu ordentlich beruffen wird/ ohne Schaden und Fahr seines Glaubens und seiner Seelen Seeligkeit/ wol führen / oder darinn dienen mag.

II.

Caroli Cæsaris, & Catholicorum (Romanensium) Responsio.

Decimus sextus articulus, inquiunt, de magistratibus civilibus libenter acceptatur, tanquam consentaneus non solum juri civili, verum etiam juri Canonico, Evangelio, sacris literis, & univer-

sæ normæ fidei. Quin Apostolus præcipit, ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, *Rom.13.* Laudanturque principes, quod damnant Anabaptistas, omnes ordinationes civiles dissipantes, & Christianis prohibentes magistratus, atque alia civilia officia, sine quibus nulla respublica feliciter administratur.

Andreas Fabricius Leodius *Confessores principes, & Lutheranicos, quos vocat, concionatores miris modis exagitat, & calumniatur, rusticos a Luthero inflammatos ad seditiones.* Qua in re quod a D. Luthero de rebus spiritualibus scriptum fuit, ipse ad Politicam gubernationem trahit. *Et concludit, Confessores esse deportandos, vel gladio feriendos, vel in ignes conjiciendos.* Quod disputandi genus sibi usurpet, qui eo delectatur.

Ioh. a Daventria *hunc articulum a Catholica Ecclesia nihil discrepantem, libenter ait recipere orthodoxos. Arguit autem Confessores alicujus inconstantiæ: quod nimirum hic observandas esse doceant humanas traditiones, quas antea damnarint.* Quasi vero templum & curia non sint distincta. *Trahit etiam illud in perversam consequentiam, quod hic præcipitur obedientia erga magistratus. Inde enim infert, etiam in Ecclesia obediendum esse decretis maiorum.* At vero in curia lex Imperatoris viget: in Ecclesia solum verbum Dei

Dei attendi oportet. *Tum de monachis quædam adiicit, & de discrimine inter præcepta & consilia, itemque de ultione injuriarum. In quibus putat Lutherum sibiipsi contradicere.* Cujus verba, de diversis proposita, perperam ipse accipit, tanquam de re una eademque intelligenda.

Iohannes Cochlæus *itidem querelas effundit, quemadmodum male habet, statum politicum, quem laicalem ipse vocat, præferri statui monachorum. Quod recte fieri negat argumento practico: Quandoquidem,* inquit, *multi reges & principes, atque magna & opulantia & nobilitatis viri, mundi hujus actus & negotia deferentes ad monasteria, vitæ contemplativæ gratia, pia devotione transierunt. Neque dubitat Lutherum arguere, quod hunc articulum non approbaverit. Et commendat suos monachos a rerum communione: quia nimirum amicorum omnia sint communia.*

Iohannes Hoffmeisterus *dicit, Confessores hanc doctrinam de magistratu & civilibus officiis ab Ecclesia esse mutuatos, quæ quidem opposita sit Carolstadianis & Anabaptistis, quos per calumniam vocat illorum discipulos. De monachis scribit, eos superiorum legibus aut potestatibus non adversari, sed existimare, se tutos fore sub eorum authoritate & potestate. Attingit etiam aliquid de Evangelicis consiliis, in quibus Philippi accusat inconstantiam.*

Alphonsus Virvesius *Philippica* 15. *Catholicum esse testatur, quicquid in hoc articulo est confessum. Sic enim ipse loquitur. Deinceps de consiliis*

filiis Evangelicis quadam tractat, & monachorum communione: itemque seditione rusticorum, cujus culpam reiicit in Lutherum & Philippum.

Georgius Cassander *articulum hunc omnibus modis probandum esse docet, & de officio & potestate civilis magistratus in rebus Ecclesiasticis ita disserit, ut mediam viam teneat, reprehensis illis, qui ab omni procuratione rerum Ecclesiasticarum principes & magistratus removent, itemque istis, qui totam Ecclesiasticam administrationem principum magistratus civilis potestati subiiciunt. Quam ad rem fundamenta ostendit & in scripturis, & in historiis Ecclesiasticis, & legibus civilibus. Obiter etiam annotat propria sacerdotum officia, nempe praedicare, & Sacramenta administrare.*

III.

EXEGESIS.

I. *Thesis* hujus articuli approbat & confirmat politicum magistratum, ejusque praecipua officia recenset & commendat.

II. *Antithesis* damnat Anabaptistas, & vitam monasticam: simul requirens subditorum, erga magistratum suum & leges, obedientiam in omnibus, excepto uno casu, nempe cùm jubent peccare. Tum enim Deo magis est obediendum, quam hominibus. *Act. 5.*

Definitio nominis. III. Magistratus Latinis dicuntur quasi magistri, id est, moderatores ac duces: Graecis ἀρχαὶ & ἄρχοντες, id est, imperantes, παρὰ τὸ ἄρχειν, quod est imperare ac edicere. D. Paulus *Rom. 13. vers.*

v. 1. appellat potestates, & *v. 4.* ministros Dei. Psalmista vocat deos, *Psalm. 82. v. 1. & 6.* q. d. terrestres deos, sive Dei in terris legatos & quasi vicarios. Vnde Iosaphat judicibus a se constitutis: *Videte*, inquit, *quid faciatis. Non enim hominis exercetis judicium, sed Domini: & vobiscum est Dominus in negotio judicii, 2. Paral. 19. v. 6.*

IV. *Magistratus est potestas a Deo ordinata, & armata gladio, ut sit custos divinæ doctrinæ, & bonarum legum, ad conservandam pacem in hominum societate.* Definitio magistratus.

V. Genus in definitione est: *potestas a Deo ordinata:* hoc est, cujus author est Deus. Vnde vocatur minister Dei, *Rom. 13. v. 4. Et v. 2. Non est potestas, nisi a Deo. Quæ autem sunt potestates, a Deo ordinatæ sunt. Et Iohann. 19. v. 11. Non haberes potestatem adversus me ullam*, inquit ad Pilatum Christus, *nisi tibi datum esset desuper.* Vbi notandum discrimen inter potestatem legitimam, & violentiam sive tyrannidem. Etsi enim etiam tyrannorum potestas a Deo est, nempe tanquam justo judice, per tyrannos peccata populi puniente: Sicut Dominus apud Oseam *cap. 13. v. 11. Dedit tibi*, inquit, *regem in furore meo. Et Iob. 34. v. 30. Qui regnare facit hominem hypocritam propter offendicula populi: Prov. 28. v. 2. Propter peccata terræ multi principes ejus, &c.* Tamen tyrannis sive violentia non approbatur a Deo: sed Deus pro admiranda sua sapientia dirigit malitiam illam tyrannorum, præter & contra ipsorum cogitationem ad finem utilem & sibi placentem.

VI. Por-

Extraordinaria vocatio magistratus.

VI. Porro vocat Deus & constituit magistratum, vel extraordinarie, vel ordinarie. *Extraordinarie*, quando ipse immediate excitat, vel per Prophetas ordinat magistratus, & heroicis donis instruit: quomodo vocat Mosen, Othonielem, Gideonem, Samsonem, Davidem & alios, *Exod. 3. Iudic. 3 6. 13. 1. Sam. 16.* *Ordinarie* vocat, tum per hereditariam successionem, ut reges Iudaicos sive tribus Iudæ: & hodie plerosque principes Imperii Romani; tum per suffragationem populi, sive totius, sive optimatum.

Ordinaria.

Anabaptistarum sophisma.

VII. Vbi *Anabaptistarum sophisma* refutandum est, dicentium, ut angeli alii boni, alii mali sunt; ita magistratus sive ministros Dei alios esse bonos, alios malos. Malitia enim certe a Deo non est, sed ab ipsis. Magistratus autem, hoc est, status ille vitæ, est Dei ordinatio. Quare vocare magistratum, hoc est, statum sive ordinem illum, malum, est Dei ordinationem calumniari. Neque ferendum est, propter vitia personarum, & ἀταξίαν hominum, ipsam bonam Dei ordinationem maledictis incessi. Qui elenchus accidentia in plerisque Anabaptistarum argumentis occurrit. Quibus recte etiam opponuntur exempla magistratus Veteris Testamenti: quæ in hoc tertio cum praxi Novi Testamenti omnino conveniunt. Non enim probari potest, externum regnum in Novo Testamento plane sublatum iri: quod etsi distinctum est a regno Christi spirituali, tamen non est ei contrarium, sed potest utrumque simul consistere: quemadmodum Christus dicit: *Date Deo, quæ Dei sunt,*

sunt, & Cæsari, quæ sunt Cæsaris, Matth. 22. v. 21. Imo reges debent esse nutritii Ecclesiæ. *Esa. 49. v. 23.*

VIII. Et frustra, adeoque præter omnem rationem, clamat Anabaptista, obedire quidem magistratui posse & debere Christianum, non autem aliis imperare. Nam si obedire magistratui est per se, & natura sui, bonum & justum: ratio dari nulla potest, cui imperare sit per se, & ratione sui, malum & injustum. Vnde Christus non jussit deponere magistratum eos, qui in hoc vitæ statu ad fidem Christi leguntur conversi, *Matth. 8. v. 5. c. 9. v. 18. Actor. 8. vers. 27. c. 10. v. 1. cap. 13 v. 7. Rom. 16. v. 23.* Et D. Paulus 1. *Tim. 6. v. 2.* generalem proponit doctrinam: Qui *fideles* habent *dominos*, inquit, non contemnant, quia fratres sunt, sed magis serviant, quia fideles sunt & dilecti: qui beneficii participes sunt. Vbi *fides & dominium* in uno eodemque homine copulantur. Adversa igitur sive contraria non sunt, sed tum diversa.

IX. Non juvat Anabaptistas Christi exemplum, qui non passus est se regem constitui, *Ioh. 6. v. 15.* Nam ipsi regnum non detrectabant in urbe Monasterienſi, Anno 1535. de quo vide Sleidanum lib. 10. Et ministros Ecclesiæ non decet una manu Evangelium tenere, altera vibrare gladium & bombardam. Quæ esset confusio ordinum sive statuum a Deo ipso distinctorum.

X. *Forma* seu specifica differentia est in definitione; *Armata gladio*, nempe divinitus, *Rom. 13. v. 4. Non sine causa gladium gestat. Dei enim* Forma magistratus.

mini-

minister est, vindex in iram ei, qui male agit. Differt igitur a magistratu patria potestas, quæ non est armata gladio: itemque ministerium Evangelii, de quo Apostolus 2. *Cor. 10. v. 4. Arma militiæ nostræ*, inquit, *non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes &c.*

Officium

XI. *Officium magistratus* notatur: *ut sit custos divinæ doctrinæ, & bonarum legum.* Officium igitur magistratus duplex est: illud spectat *ad Ecclesiam*, *hoc ad rempublicam.* Ecclesiæ nomine

In Ecclesia.

etiam intelligo Scholas, in quibus pietas, literæ, & artes humaniores docentur: quæ sunt seminaria Ecclesiæ. Etsi enim magistratus ipse non docet Dei verbum in Ecclesia, neque Sacramenta administrat (illa enim pertinent ad Ecclesiæ ministros: & officiorum confusio concedenda non est:) tamen diligenter curare debet, ut idonei ac sinceri doctores Ecclesiæ & scholis præsint, qui recte instituant auditores suos de cultu divino, & vera pietate: exemplo *Salomonis*, 1. Reg. 5. *Ezechiæ*, 1. Reg. 18. *Iosiæ*, 2. Reg. 23. *Iosaphati*, 2. Paral. 17. *Constantini Magni, Theodosii, Martiani, &c.* quos constat ex historiis ad tollendas religionis controversias synodos indixisse, iisque non interesse tantum, sed etiam præesse voluisse.

XII. Possunt autem officia magistratus erga Ecclesiam ita distribui, ut spectentur vel in *ipsa religione*, vel in *rebus externis.*

Respectu religionis.

XIII. Religionem voco tum ipsam divinam doctrinam, & Dei cultum, tum ceremonias & ritus

tus divinitus institutos. Hanc religionem puram & veram amplectetur ipse magistratus, & alias commendabit. Commendabit, inquam, tum ut omnes subditi abjecta idololatria & superstitione eam sequantur, tum ut pura conservetur & propagetur ad posteritatem. Quod ut fiat, opus est, ut idonei pastores Ecclesiis, & Doctores scholis præficiantur.

XIV. *In rebus externis* cura magistratus erga Ecclesiam versatur, tum in extruendis & conservandis ædificiis, in quibus possint haberi Christianorum conventus, & in constituendis reditibus, unde Ecclesiarum & scholarum ministri, itemque pauperes & pii exules, queant sustentari: tum in gubernanda externa disciplina, & coercenda petulantia eorum, qui detrectant obedientiam ministerio debitam. Quæ pœna levior est in iis, qui vel ex ignorantia, vel aliorum seductione peccant: gravior in illis, qui prævaricantur malitiose, ut in hæreticis inprimis & blasphemis. Etsi enim ad fidem cogi nemo debet, externa tamen disciplina conservanda est, ne liceat petulantibus hominibus turbare ordinem Ecclesiæ, & disciplinam Christianam. In rebus externis.

XV. Vtrum autem liceat gladio sævire in hæreticos, nonnulli disputant. Nos propter solam hæresin, quam privatim quis fovet, quenquam plectendum capite non putamus: cum ejus supplicii neque argumenta; neque exempla ulla proferri pos- De pœna hæreticorum.

possint ex libris Novi instrumenti (alia enim sub Mose ratio fuit, *Deut. 13.*) neque pia vetustas illud statuerit. Aliud est, si heretici moliantur aut excitent seditiones, vel publice evomant blasphemias in Deum; ubi juste quidem puniuntur tanquam seditiosi & blasphemi: in quantum autem sunt heretici, tenemus illud Apostolicum: *Hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devita sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est & delinquit quasi proprio judicio condemnatur. Tit. 3. v. 10.*

Magistratus officium in republica.

XVI. Officium magistratus *erga rempublicam* est, ut sit custos bonarum legum. *Leges bonas* appello honestas & salutares, congruentes cum decalogo & æquitate naturali. Quas magistratus, si ante latæ sunt, confirmabit: aut si reipublicæ salus requirit, novas sancier; conformes divinæ legi. Non enim magistratui fas est ferre leges divinæ legi adversantes, vel quoquo modo derogantes. Vbi liberum est magistratui, quasdam leges forenses Mosaicas (quatenus scil. ille ex ipsa æquitate promanant) ad rempublicam suam transferre: non propter Mosis authoritatem, quæ nos non obligat, sed propter consensum cum decalogo, & æquitate naturali.

XVII. Versabitur ergo magistratus in legibus tum condendis & confirmandis, tum exequendis. Quæ executio spectatur in præmiis distribuendis iis, qui sectantur virtutem, & pœnis infligendis illis, qui student improbitati, seu, ut loquitur Apostolus, in laude bonorum, & vindicta malefactorum,

rum, 1. *Petr. 2. v. 14. & Rom. 13. v. 3. Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est, tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui male agit.*

XVIII. Quare magistratus exercebit tum iudicia secundum leges, tum bella adversus hostes.

XIX. Iudiciorum ratio & processus peti debent ex libris Iurisconsultorum.

XX. Bellum autem suscipiet & geret magistratus adversum eos, qui judicio submittere sese nolunt, & nisi vi & armis in officio contineri non possunt. Quare bellum suscipiendum est non nisi justa de causa, & postulante necessitate.

XXI. Causa justa est, quæ refertur ad Dei gloriam, & reipublicæ salutem: pro lege & pro grege, pro aris & focis.

XXII. Necessitas hic intelligitur summa, cum alia ratione non potest incolumis conservari respublica, nisi bellum suscipiatur. Absit igitur temeritas. Et semper ante oculos versetur illud Poetæ: *Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.* Ubi vero ipsa necessitas, & justitiæ ratio ad bellum quasi protrudit, facto a piis precibus exordio, forti animo pugnandum est, commisso Deo belli eventu.

XXIII. Distinguitur bellum in defensivum, & offensivum, uti vocant: illud est, in quo nos adversus vim illatam defendimus, hoc, quo hosti prio-

res arma inferimus. Anabaptistarum argumenta, quæ & iudiciis, & bellis opponunt, laborant Elencho accidentis, & non distinguunt inter spiritualia & externa, itemque proprie dicta, & metaphorice sive allegorice.

XXIV. *Causa finalis* magistratus notatur: Conservatio pacis in hominum societate. *Pacis* autem nomine intelligenda quoque sunt commoda pacis: quemadmodum scriptura, 1. *Reg. 4. v. 25.* loquitur: *Habitabat Iuda atque Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, & sub ficu sua.* Huc pertinet illud Apostoli, 1. *Tim. 2. v. 2. Orandum est pro regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & honestate.*

XXV. Ex dictis colligitur, quid a subditis magistratui debeatur: nempe tum honor & reverentia, tum obedientia. *Reverentia* quidem ut patri patriæ, defensori & conservatori, quæ habet adjunctas preces assiduas pro ipsius salute, *1. Tim. 2. v. 2.* itemque candorem in excusandis humanæ fragilitatis lapsibus & infirmitatibus. *Obedientia* vero ut Domino, *Rom. 13. v. 7. 1. Petr. 2. v. 17.* Quæ obedientia requirit, ut subditi exæquantur mandata magistratus, & pendant ei tributum & vectigal, *Rom. 13. v. 6. 7.* Cujus obedientiæ finis est pietas & honestas, 1. *Tim. 2. v. 2.* contra quam, si quid a magistratu præcipiatur, potius Deo, quam hominibus obediendum est, *Actor. 5. v. 29.* Sic enim danda sunt Cæsari, quæ sunt Cæ-

Cæsaris, ut etiam Deo dentur, quæ sunt Dei, *Matt. 22. v. 21.* Neque in gratiam ullius hominis quicquam est faciendum impie, aut quod pugnet cum publica honestate. Sed tamen illud Petri etiam notandum est, 1. *Epist. 2. vers. 18. Subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & æquis, sed etiam σκολιοῖς pravis, sævis & asperis.* Patienter itaque ferenda sunt onera dura & gravia, si qua imponuntur a magistratu, nec ob illa movendæ turbæ, aut excutienda obedientia. Etsi enim injustum est, a magistratu premi subditos, a quo expectanda erat defensio: tamen pietatis & patientiæ est, moderato animo sustinere pressuram, & orare Deum, ut inclinet cor magistratus ad saniora consilia: Sicut Hieremias jubet orare captivos Iudæos pro Babyloniis, *Ierem. 29. v. 8.*

IV.

Errores Papistarum.

I. *Magistratum verbis quidem extollere nonnunquam solent, sed reipsa parum curant. Papam enim suum vel ipsi Imperatori auteponunt, qui certa officia præstare ipsi teneatur: adeoque potestatem illi assignant, Imperatores & reges deiiciendi & removendi, quod ostendunt exempla Leonis tertii Græci, Hilderici Franci, Henrici quarti, Ottonis quarti, a Pontificibus Gregorio VII. & Innocentio quarto depositorum. Et in recenti memoria sunt exempla excommunicatorum Henrici quarti Galli,*

& reipublicæ Venetæ : qui tamen postea recepti sunt, & restituti. Barradius non dubitavit Pontificem Romanum vocare currum Dei, qui totum orbem portet. Et tribuunt ipsi utrumque gladium, hoc est, geminum officium spirituale & temporale. Neque ipse tantum nemini subjectus est, sed & suos Episcopos, & totum clericatum exemit potestati magistratus politici. Inprimis autem Iesuitæ eam sibi libertatem usurpant, ut ne illis quidem principibus fidelitatis iuramentum præstare velint, in quorum vivunt ditione, & fruuntur defensione. Imo potius, quam sint in magistratus, principes & reges crudeles, qui ipsorum voluntati adversantur, testari possunt Gallia & Anglia, & varia scripta de hoc argumento in lucem edita. Non veretur scribere Emanuel Sa, rebellionem Clerici in regem non esse crimen læsæ maiestatis : hac adjecta ratione, quia clericus non sit subditus regi. Ita Bellarminus lib. 1, de Pontif. Rom. cap. 7. reges ait præesse hominibus Christianis, non ut Christianos, sed ut politicos. Nam ut Christiani, inquit, oves sunt, pastoribus Episcopis subjecti. Vide etiam lib. 5. c. 6. & 7. Et lib. 3. c. 17. Hinc clerici immunitatem sibi asserunt a publicis oneribus, & tributa negant magistratibus. Summa, magistratum docent esse statum ejusmodi, in quo difficulter salvari quis possit : unde multi apud ipsos abdicato magistratu in monasteria ingrediuntur, ut cœlum promereri possint. A cura constituendæ religionis rejiciunt magistratum : cui ne libertatem quidem concedunt legendi divinas scripturas. Subditos a jura-

juramento Papa absolvit, quo sunt magistratui adstricti, si ita sibi videatur. Taceo, quod Papa Imperatorem calcarit pedibus: quod pedes osculandos prabeat principibus: quod laudibus in cœlum evebat regicidas. Quæ omnia satis perspicue ostendunt, magistratus nomen apud Papistas interdum in honore haberi, ipsum vero magistratum contemni. In judiciis constituendis Papa suos Canonicos prafert legibus Imperatoris. Et curiam a cruore dictum quidam volunt; quæ notatio parum commendat officia, quæ in curia geruntur. De militia gerenda sic Leo Papa Epistola ad Rusticum 90. al. 92. de pœnitentia dist. 5. C. 3. Contrarium, inquit, est omnino Ecclesiasticis regulis, post pœnitentiæ actionem redire ad malitiam secularem: cum Apostolus dicat: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Unde non est liber a laqueis diaboli, qui se militiæ mundanæ voluerit implicare.

V.

Errores Calvinianorum.

I. Oppugnant hunc articulum (Spiritu Anabaptistico) Herbornenses, asserentes, leges Mosaicas forenses in usum revocandas esse, in Republica Christiana, a quibus discedere nefas esse dicunt, ita quidem, ut nonnullas Imperatorum Romanorum leges repudient eo nomine, quod cum Mosaicis non consentiant. *Dei*, inquiunt, *semel latam* (in lege judiciali sive forensi Mosaica) *de delictis puniendis sententiam ab homine mutari,*

impia temeritatis esset. In qua sententia Franciscum Iunium se dicunt imitari. De quo periculoso errore sæpius etiam admoniti a Theologis & politicis, pertinaciter tamen suam θέσιν φιλάττειν pergunt.

II. Deinde considerari hic debent historiæ Gallicanæ, & Belgicæ, annorum proxime elapsorum quadraginta & amplius : In quibus admodum multa occurrent, quæ cum hoc articulo conciliari non possunt. Neque tantum de factis loquor, verum etiam de sententia & judicio Calvinianorum doctorum, facta illa approbantium & defendentium.

III. Quodammodo etiam huc pertinet, quod Beza, & quidam alii (ex spiritu mansuetudinis) docuerunt, magistratibus dandam operam, ut hæreticos auctoritate sua legitime judicatos, *capitali pœna* coerceant potius, quam Ecclesia detrimentum accipiat : Beza contra Holderum & Iacobum Andreæ, pag. 121. Antonius Fayus, in vita Bezæ. Danæus in Ethic. Christ. *lib. 2. c. 13. fol. 199 fac. 2.* Bucanus *loco 49. p. 777.* Franc. Iunius in defensione secunda de S. Trinitate adversus Samosatenianos, Heidelbergæ edita, *Anno* 1591. *p. 40. & c.* quem sequuntur & probant Herbornenses in notis ad expositionem Catecheticam, *pag. 147. & seqq.*

VI.

Photinianorum doctrina de ordinationibus civilibus.

I. De ordine Politico Catechesis Racovienſis ho-

honorifice videtur loqui, pag. 136. ubi fatetur, magistratum esse a Deo, *Rom. 13.* & subjicit, posse ipsum Christianum gerere magistratum: addita tamen hac cautione, si modo in ipso capessendo & administrando ita se gerat, ne quid contra leges & Christi mandata delinquat. Commendat etiam pag. 165. officium subditorum erga magistratus, & magistratus erga subditos. Ac denique pag. 170. 171. licere ait, per magistratum jure agere, & injurias persequi: ita tamen, ut absit ultio.

II. Eodem modo Ostorodus cap. 28. pag. 182. docet, magistratum esse a Deo, eique in omnibus parendum, quæ non pugnant cum expresso Dei verbo: ita quidem, ut si maxime aliquid præceperit Deo contrarium, tamen nefas sit, excitare seditionem. Concedit etiam pag. 183. Christianum posse gerere magistratum, & esse regem: modo nihil faciat contra mandata Christi.

III. *Sed esse hæc mera ludibria verborum, ad decipiendos simpliciores concinnata, paucis ostendo, ex ipso Ostorodo, qui pag. 185. annotat*, præcepta Christi non permittere, ulli hominum adimere vitam. *Vnde argumentum formatur ejusmodi.* Negato officio magistratus proprio, ipse magistratus tollitur. Atqui officium magistratus proprium, nempe gladio punire sontes juxta leges, negatur in Schola Photiniana de homine Christiano. Ergo hactenus non potest Christianus gerere magistratum.

IV. Vidit hujus argumenti firmitatem Ostorodus: ac proinde negat, p. 184. magistratum geri non posse sine sanguinis effusione. Nimirum quia sint alii modi animadvertendi in sontes.

V. *Quod vanum esse effugium, vel ipsa gladii appellatio arguit, Rom.* 13. Locum igitur illum Ostorodus negat proprie, ut verba sonant, accipiendum, se per tropum, ut gladius notet pœnam & severiorem coercitionem. Quod si maxime ipsi, ex hypothesi, concedatur, non tamen excipietur sive excludetur pœna capitalis: ad quam designandam quam proxime appellatio gladii accedit. Sic enim D. Paulus: *Non sine causa gladium portat*, inquit, *Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui male agit.* Ex quibus verbis eruuntur hæc axiomata: 1. *Ipse Deus gladium accinxit magistratui.* 2. *Magistratus debet vindicare scelera.* 3. *In vindicandis flagitiis magistratus est minister Dei.* 4. *Deus ipse per magistratum punit nocentes.* Hoc igitur fundamentum evertere Photiniani non possunt: quæ peccata capitalem pœnam merentur, ea puniri a magistratu oportere secundum leges.

VI. Deinde lex divina, *Genes. 9. v. 6. Quicunque effuderit humanum sanguinem, per hominem fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo:* mortalis est, ac proinde tolli non potest. Idque præter cætera est evidens ex annexa ratione: ex qua fluit hæc propositio: *Quisquis est conditus ad imaginem ipsius Dei, ejus effundere sanguinem nemo debet, aut si effuderit, rursum ejus san-*

sanguis per magistratum effundetur. Atqui omnis homo est conditus (in Adamo) ad imaginem ipsius Dei: quæ imago per peccatum quidem amissa, sed per Christum reparata est. Ergo hominis effundere sanguinem nemo debet, aut si effuderit, rursum ejus sanguis per magistratum effundetur. Confer verba Christi, *Matth. 26. v. 52. & Apoc. 13. v. 10. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Vbi accipere gladium dicuntur, qui privato ausu rapiunt gladium, eoque abutuntur. Constricti igitur hic tenentur Photiniani. Nam si in homicidas (& quosdam maleficos) animadvertere debet magistratus, ut omnino debet, quia est vindex in iram, *Rom. 13. vers. 4.* præscriptam habet divinam legem, quam violare nefas est.

VII. Pertinet etiam appellatio *gladii*, ad descriptionem belli: in quo justa vindicta exercetur adversus publicos hostes, qui legibus & judiciis coerceri sese non patiuntur. Quod jus naturale esse ostendit Abraham, arma sumens pro redimendo fratris filio Lotho, *Genes. 14. v. 14.* Sophisticum igitur est, jus belli naturale referre ad leges forenses Mosaicas. Idque Baptista luculente confirmat, præscribens militibus certas vivendi regulas, *Luc. 3. v. 14.* ipseque Christus & Apostoli, homines militares beneficiis afficientes, quorum nemini tamen interdixerunt suo statu, *Matth. 8. v. 5. Iohann. 4. v. 46. Actor. 10. v. 1. cap. 28. v. 8.* Confer etiam parabolam Christi, *Luc. 14. v. 31. & seqq.* Quare Ostorodus Christo, & Apostolis contradicit, ipsiq;

juri naturali repugnat, dum bellum simpliciter improbat, & bona conscientia geri a magistratu posse inficiatur, pag. 170.

VIII. Imo negat etiam licere latronem, propriæ vitæ conservandæ gratia, interficere, pag. 175. Longe satius est, inquit, pag. 176. & tutius, ad retinendam coram Deo bonam conscientiam, ab altero occidi, quam occidere alterum. Nimirum, Osiorode, juxta legem naturæ: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris:* & ipsius Dei vocem: *Dilige proximum sicut teipsum.*

Annon injustissimum est, vitam tuam te prodere latroni sive piratæ? bonum civem subtrahere reipublicæ, ut in ea latrones dominentur? multos bonos eidem periculo objicere, a quo poterant per te liberari? Taceo absurda infinita, quæ inde consequuntur.

IX. Ex dictis patet, Christianum non posse gerere magistratum ex hypothesi Photiniana, qua negant licere infligere pœnam capitalem sontibus, & gerere bellum adversus hostes.

Nunc *de judiciis* agendum: in quibus dicunt licere persequi injurias, si absit ultio. Audiamus hic interpretem Osiorodum, capite vigesimo sexto, pag. 168. *Quod de imploratione magistratus diximus*, inquit, *non intelligimus nisi de illis, qui foris sunt, hoc est, qui non sunt fratres nostri sive consortes fidei. Nefas enim est, Christianum agere contra fratrem coram fratre, idque probari dicit 2. Cor. 6. pag. 169.*

X. Quid audio? Ergo Christianus magistratus, offi-

officium judicandi non exercebit nisi in extraneos: Christiani igitur experiri judicio non poterunt. Et quid superest in magistratu Christiano, quod nomen officii magistratus tueri possit? Tolle enim a magistratu leges & arma: & habebis σκελέτευμα quoddam, imo cadaver sine capite & brachiis. Itane, Photiniani, illudere placet Deo & hominibus, ut magistratum a vobis in honore habere dicatis, quem exutum omni sua dignitate & potentia propinatis deridendum omnibus?

XI. Nihil vos juvat disputatio Pauliana. 1. *Cor.* 6. ubi agitur *de magistratu infideli* recteque affirmat Apostolus, & nos cum ipso, indignum esse professione Christiana, propter res & actiones externas, mutuas deferre querelas ad Magistratum infidelem. Nostra vero quæstio est *de magistratu Christiano*. Disparitas igitur maxima est. Quidni enim homo Christianus pio suo magistratui modeste commendet causam justam atque honestam, seque defendi petat contra petulantiam atque injuriam aliorum? Sed in re manifestissima non est opus pluribus verbis: cum certum sit, magistratum esse Dei ministrum, & judicium exercere ipsi Deo, ad justitiam firmandam, & conservandam pacem in civili societate, 2. *Paral.* 19. *v.* 6. Neque tamen excusamus homines rixosos, qui litem ex lite ferunt, sed requirimus justam moderationem, & suave temperamentum justitiæ & charitatis, sicut Germani eleganter dicunt,

des Manns Freund/der Sachen Feind/ hoc est, procul abesse debet odium personæ, & vindictæ studium, ipsaque causa ex suis meritis judicari.

ARTICVLVS XVII.
DE
EXTREMO IVDICIO.

IVdicium magistratus politici pertinet ad hoc seculum: in quo multa prætereuntur, multa perperam fiunt, & multi damnantur innocentes, alii nocentes absolvuntur: recte igitur subiicitur doctrina universalis judicii in fine mundi. Et voluerunt Confessores retundere calumniam. Erat enim doctrina Evangelica apud exteras nationes diffamata, quasi non tantum inveheret rerum omnium confusionem & ἀταξίαν, verum etiam negaret extremum judicium. Verba articuli ita habent:

Item docent, quod Christus apparebit in consumatione mundi ad judicandum, & mortuos omnes resuscitabit, piis & electis dabit vitam æternam, & perpetua gaudia, impios autem homines & diabolos condemnabit, ut sine fine crucientur.

Damnant

Damnant Anabaptistas, qui sentiunt hominibus damnatis ac Diabolis finem pœnarum futurum esse. Damnant & alios, qui nunc spargunt Iudaicas opiniones, quod ante resurrectionem mortuorum pii regnum mundi occupaturi sunt, ubique oppressis impiis.

I.

Articulus hic desumptus est ex 17. D. Lutheri, qui sic habet Tom. V. Germanico Ienensi, fol. 16. Daß unser HErr Jesus Christus an dem Jüngsten Tage kommen wird / zu richten die Lebendigen und die Todten / und seine Gläubigen erlösen von allem Ubel / und in das ewige Leben bringen / die Unglaubigen und Gottlosen strafen / und sampt den Teuffeln in die Hölle verdammen ewiglich / &c.

II.

Iudicium Cæsaris & Principum.

Articuli decimi septimi Confessio acceptatur, quoniam ex symbolo Apostolorum, & ex sacris scripturis tota novit Ecclesia Catholica, Christum venturum in novissima die ad judicandum vivos & mortuos. Iuste ergo & hic damnant Anabaptistas, qui sentiunt hominibus damnatis & diabolis finem pœnarum futurum esse, qui sibi quædam Iudaica fingunt regna piorum ante mortuorum resurrectionem in hoc præsenti seculo, ubique oppressis impiis.

An-

Andreas Fabricius Leodius *tametsi probare articulum cogitur, arrodit tamen Confessores, tanquam non satis candide progredientes. Et in suspicionem illud trahit, quod in appellatione Petri & Pauli non præponatur nomen sancti:* Fortasse quia nefas videtur, pontificem Romanum nominare sine prænomine sanctissimi.

Iohannes a Daventria. *Et hic articulus Catholicus est, inquit, & Evangelio consonus, & nulla prorsus indiget censura. Vtinam Dominus daret illis spiritum, ut semper Catholice sentirent.*

Iohannes Cochlæus: *Cum articulus iste, inquit, nihil habeat incommodi aut reprehensionis, neque in Confessione, neque in Apologia, libenter eum in omnibus comprobamus.*

Iohannes Hoffmeisterus *postquam approbasset articulum, ita subiicit: Potuissent etiam, inquit, hoc loco merito illi condemnari, qui ita credunt Christum ad judicium venturum in consumatione seculi, ut ipsius interim vero corpore & sanguine in cœna dominica careamus. Intelligis quos velim. Sed hæc alias.*

Georgius Cassander: *Articulus decimus septimus, inquit, de secundo Christi adventu, nullam inter partes controversiam habet.*

III.

EXEGESIS.

I. *Thesis* est, de consumatione seculi, & Christi ad judicium apparitione, & resurrectione mortuorum, itemque electorum æterna beatitudine, impiorum vero infernali cruciatu.

II. *An-*

II. *Antithesis* damnat Origenis errorem in Anabaptistis, de fine pœnarum infernalium. Item judaizantes Chiliastas, de piorum regno mille annos duraturo ante resurrectionem mortuorum. Quorum prolixiore expositione & declaratione supersedemus, quoniam consentientes habemus omnes, quantum quidem in genere attinet ipsum judicium.

IV.

De erroribus Papistarum.

In multis autem circumstantiis gravissime errant Pontificii, qui signa, ultimum judicium antegressura, ita describunt, & de Anti-Christi adventu sic docent, ut verum esse non possit, quod Christus dixit, de die illa & hora neminem scire, Marc. 13. v. 32. Nimirum illi audent certum consumationis seculi tempus determinare. Docent enim Anti-Christum regnaturum tribus annis cum dimidio, & praterea decem aut duodecim diebus: adeoque concludunt 45. dies futuros a morte Anti-Christi usque ad diem judicii. Vide Blasium Vegam in Apocalypsin, Pererium in Danielem, & Gregorium de Valentia tom. IV. disp. 11. qv. 2. Qui est error primus de tempore. De loco *etiam judicii communiter docent, fore vallem Iosaphat. Itemque tradunt conflagrationem mundi antegressuram esse judicium. Vbi alii nugantur, ignem, quo mundus sit conflagraturus, fore ipsum ignis elementum: alii fore purgatorium, qui probos & justos non sit necaturus, sed purgaturus. Vide Valentianum tomo IV. & Hieronymum Natalem in annotatio-*

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn821778757/phys_0597 DFG

tionibus & meditationibus Evangelicis. Negant autem vel cœlos, vel ullum elementum in mundi fine perituru̇m: quæ sunt verba Blasii Vegæ in Apocalypsin. Valentianus phrasin scripturæ sic accipit, ut cœli dicantur perire, *hoc est, non amplius moveri, atque agere in hac inferiora. Ita Ribera in Apocalypsin scribit, mare non fore amplius, fluidum, sed consolidatum: quia pisces in eo non sint futuri. Ne quid desit, adjungunt Christo judici Mariam, sive ut matronam, sive ut liberatricem. Vide Hieronymum Natalem, Possevinum, Osorium, Barradium, & alios. Unde hæc nata ad Mariam precatio?* In terribili die judicii, ab æterna damnatione me libera, &c.

V.

Errores Calvinianorum.

I. Directe quidem huic articulo non contradicunt *Zovingliani*; sed tamen in explicando vocabulo *Electorum*, gravissime errant, affirmantes, quosdam homines absolute ad vitam æternam electos esse, reliquos absolute reprobatos, sine respectu ad Christi intercessionem & satisfactionem, itemque fidem vel incredulitatem. *Vide Bezam in omnibus tractatibus de prædestinatione. Calvinum lib. 3. instit. cap. 21 22 23. & tract. de prædest. Bucanum, pag. 390. Perkinsium de prædestinatione. Piscatorem disput. de prædest. hes. 79. Rudimenta Theolog. Hebornens. lib. 2. p. 57. Keckermannus systemat. Theol lib. 3. cap. 1. pag. 299. 301.* Et quomodo derogent Christo, ut homini, divinam potentiæ

tentiam in judicii executione, constare potest ex iis, quæ supra artic. 3. allata fuerunt.

II. Deinde, ubi de causa immediata damnationis quæritur, negat Theodorus Beza *in Colloq. Momp. p. 548.* & qui ipsum sequuntur, *propter solam incredulitatem, damnari impios*, contra luculentissimum ipsius Christi dictum, *Iob. 3. v. 18.* Qui credit in ipsum, non judicatur: *Qui vero non credit, jam judicatus est, quoniam non credit in nomen unigeniti filii Dei.* Quæ est vox totius Evangelii, *vide Iob. 16. v. 9.* Ideo autem Calvinistæ illud negant, quia itidem negant, Christum esse datum & missum illis, qui damnantur, & pro iis satisfeciisse. Sicut Beza cum sociis in *Colloq. Momp. p. 514. in respons. ad thesin. 7. de prædestinatione:* Et certe nobis, inquit, intolerabilis vox vestra visa est, Christum esse mortuum pro damnatis. Dicit igitur *pag. 548. Colloq. Mompelg.* Peccatum esse unicam causam æternæ damnationis. *Quod de meritoria causa non negamus. Sed tamen certum est, remissionem peccatorum habere omnes, qui in Christum credunt: Qui vero incredulus est filio, non videbit vitam, & ira Dei manebit super ipsum, Iohann. 3. v. ult. Vt igitur sola fide justificamur, nempe Christo apprehenso: ita quicunque non credant, ideo damnantur, quia Christum per incredulitatem repudiant, in quo uno est peccatorum remissio, vita & salus. Distinguenda igitur est causa meritoria, ab instrumentali, sive organica: ut alibi fusius docetur.*

VI.
Photinianorum doctrina de extremo judicio.

I. Ad quatuor potissimum capita referri videntur posse, quæ apud Photinianos occurrunt ad præsens argumentum pertinentia. Primum est de mortalitate naturæ humanæ. Secundum de animarum statu post mortem. Tertium de resurrectione corporum nostrorum. Quartum de damnatione impiorum.

II. De primo docet Cathechesis Racovienſis pag. 18. hominem natura nihil habere commune cum immortalitate: propterea quod ab initio de humo formatus, ac proinde mortalis creatus fuerit. Cui sententiæ cum multa scripturæ dicta opponantur, ut ea facilius eludere possit, discrimen facit p. 11. inter mortalitatem, & mortem ipsam. Sed hoc eorum argumentum ex professo tractat Faustus Socinus, & Christophorus Ostorodus. Vterque aliquot profert rationes, ut demonstret, hominem etiam ante lapsum fuisse mortalem: quarum nonnullæ etiam a Pelagianis, & Pontificiis usurpantur; quam facile dissolvemus, si veritatis fundamentum ante monstraverimus.

III. *Homo conditus fuit ad Dei imaginem*, Genes. 1. & 2. *Quæ imago fuit conformitas cum Deo in sanctitate & justitia*, Ephes. 4. v. 24. Coloss. 3 v. 9. 10. *Quam per peccatum amissam Christus nobis reparavit, ut æternum cum ipso vivamus.* Rom. 5. v. 15. & seqq. cap. 8. v. 29. 2. Cor. 3. v. ult. Phil. 3. v. ult.

Su-

Sumus ergo a Deo conditi ad vitam æternam, non ut eam immediate possideremus, sed ut peracto in Paradiso corporalis hujus vitæ curriculo ad eam transferremur. Quare mors neque a Deo est, neque ab humanæ naturæ integræ insita quadam qualitate: sed a diaboli, hominem seducentis, malitia, & hominis voluntaria, per abusum liberi arbitrii, a Deo aversione. Quod totum D. Paulus solide concludit, Rom. 5. cap.

IV. Nunc videamus argumenta Ostorodi 1. *Immortales non possunt gignere liberos. Protoplasti debebant gignere liberos. Ergo non fuere conditi immortales*, *pag.* 268. *Resp.* propositio vera est de vita cœlesti, *Luc. 20. v. 36.* Fallax de vita terrena: in qua viget verbum illud Domini: *Crescite & multiplicamini.* Terminus ad quem creationis fuit vita æterna: medium, vita in hoc mundo, ut genus humanum multiplicaretur: ut patet, tum ex Gen. primo capite, tum ex instauratione per Christum facta.

V. Argumentum 2. *Protoplasti nutriebantur cibo & potu. Immortales iis non habent opus. Ergo protoplasti conditi sunt mortales. Resp.* Recurrit idem error. Et notanda homonymia in voce *immortalis*: quæ aliter accipitur de homine ante lapsum, aliter de homine beato in cœlis. Homo ante lapsum erat immortalis, hoc est, poterat non mori, nimirum: si perstitisset in sua integritate, & mediis, a Deo concessis, ordinate usus fuisset, in cœlo est homo immortalis: hoc est, non potest mori, propter summam, ad quam

pervenit, perfectionem. Liquet hinc, pravam esse collectionem a statu sive conditione cœlesti ad conditionem mundanam.

VI. Ratio 3. *Homo natura habet corpus animale. Hoc vero est mortale, 1. Cor. 15. v. 42. & seqq. Ergo homo natura mortalis est. Resp.* Nota & hic homonymiam. *Mortalis* dicitur dupliciter. Primum κατ' ἐξ, de eo, qui potest mori: Et hic protoplasti etiam ante lapsum erant mortales, hoc est, mori poterant, nimirum, si peccarent, quod & ipsum (peccare) eos potuisse, tristis eventus ostendit. Deinde *mortalis* dicitur, simpliciter & per se, qui internum habet in sese moriendi principium: quo sensu falsum est, protoplastos ante lapsum mortales fuisse. D. Paulus autem in loco allegato opponit *animale*, ut est in hac natura corrupta, & *spirituale*. Quod illustratur ex verbis Dei, lapso Adamo pœnam denunciantis: *Pulvis es*, inquit, *& in pulverem reverteris, Genes. 3. v. 19.* Erat utique ab initio ex pulvere factus Adam: Sed non redigendus in pulverem, nisi peccasset. Est enim mors stipendium peccati, *Rom. 6. v. ult.*

VII. Ratio quarta. *Homo est terrenus, factus ex terra. Idem autem Paulo sunt, terrenum esse, & mortalem esse, 1. Corinth. 15. v. 47. & seqq. pag. 269. Resp.* Opponit & confert D. Apostolus Adamum, (non simpliciter ut hominem a Deo conditum, sed ut stipitem humani generis, & quidem respectu lapsus) & Christum: ut cuilibet integrum textum perpendenti planum evadit. Vbi si voles per Adamum intelligere hominem integrum ante la-

te lapsum, totus locus scatebit absurditatibus. Confer cap. 5. ad Romanos, & omnia erunt clarissima.

VIII. Ratio quinta. *Christiani sunt mortales: Et tamen Christus destruxit opera diaboli, 1. Ioh. 3. v. 8. Ergo mors est naturalis: Alias sublato per Christum peccato, mors habere locum non posset, pag. 269. Resp.* Credentibus mors non amplius est pœna peccati exquisite dicta, & respectu termini ad quem, sed janua ad vitam. *Iohann. 5. vers. 24.* & dulcis somnus, & grata quies propter gloriosam, quæ expectatur, resurrectionem. Nam certo ordine Christus salutem nobis procuravit, eandemque certo ordine applicat: nec immediate in cœlum evehit, sed luctandi relinquit materiam; ut victoribus corona gloriæ imponatur. 2. *Tim. 4. v. 7. 8.*

IX. Ratio sexta, *si Adam ante lapsum fuisset immortalis, frustra illi data fuisset arbor vitæ. Posterius pugnat cum sapientia Dei. Ergo Adam fuit conditus mortalis. Resp.* Argumentum inverto: Quia arbor vitæ data fuit Adamo, debuisset & potuisset illius vitam conservare. Quod tam verum est, ut ipse Deus dicat, *Genes. 3. v. 22.* Ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & *comedat, & vivat in æternum.*

X. Socinus addit etiam septimam rationem, *Omnes causa mortalitatis æque fuerunt, in natura Adami ante lapsum, atque nunc sunt*, Bellarminus hoc argumento utitur, ad quod Socinus alicubi alludit: *In homine est naturalis pugna contrariarum qualitatum: Vnde naturaliter sequitur*

dissolutio, &c. Respondeo ad utrumque eadem opera. Qualitates naturales in Adamo ante lapsum non hostiliter invicem pugnabant, sed temperatissima crasi conspirabant in conservationem totius: ab eaque temperamenti æqualitate nunquam fuisset longius discessum, dum rectitudinem & harmoniam in omnibus homo servasset. Vnde nullus morborum metus, nullum ægritudinis ullius periculum imminere potuisset. Summa, fuisset, ut in omnibus animæ viribus, ita etiam corporis qualitatibus & functionibus, pulcherrima harmonia, & consensus naturæ amicissimus. Interna igitur morbi sive mortis causa fuisset nulla. Neque vero externa vis metuenda erat in dominio illo super omnes creaturas: Vnde concludimus, in homine integro, recto ordine cibo potuque, & arbore vitæ utente, & ab externis injuriis, quibusvis libero & probe custodito, neque morborum, neq; mortis violentiam quicquam valuisse: sed morbos & mortem esse stipendia peccati. Gen. 2. & 13. Rom 5 6. c. &c.

XI. Vana est exceptio Socini & Ostorodi, ex distinctione *mortalitatis & mortis*. Dicunt comminationem divinam, Genes. 2. vers. 17. *Quacunque die manducaveris ex arbore vetita, morte morieris:* Et dictum Apostoli, Rom. 5. v. 22. *Mors per peccatum venit in mundum*: non intelligi de naturali mortalitate (von der natürlichen Sterblichkeit) sed de ipsa morte, & necessitate moriendi. Vana, inquam, est ea exceptio. Nam, si natura fuisset

set mortalis Adam, fuisset ipsi naturaliter moriendum, etiamsi non peccasset, ut ex argumentis Photinianis necessario consequitur. Atqui mors est stipendium peccati. Rom. 6. vers. ult. & peccatum intravit in mundum, cap. 5. vers. 12. Tolle igitur peccatum ex natura humana, & mors in ea nullum jus, & nullum locum, habebit. Quare homo, a Deo conditus ad immortalitatem, natura mortalis non fuit, sed per peccatum factus est mortalis, & morti, morbisque mortis satellitibus, obnoxius: quemadmodum Theodoretus non male verba Dei Gen. 2. vers. 17. exposuit: Morte morieris, hoc est, mortalis eris, & singulis diebus mortem expectabis.

XII. Caput secundum: *De statu animarum humanarum post mortem*, & parce admodum & obscure loquuntur Photiniani, ut plenam eorum sententiam deprehendere difficulter valeamus. Videntur sentire, totum hominem, quando moritur, extingui corpore & anima. Et pios quidem ad æternam vitam resuscitatum iri docent: impios a. vel non suscitandos, vel suscitatos, & a Christo judicatos, iterum in nihilum redigendos: adeoque ipsos etiam diabolos æternum delendos, & prorsus perdendos. Legi potest Socinus adversus Volanum, Smalzius de divinitate Christi, & Ostorodus in *Institut. cap. 41. & 42.* ubi tale ponit discrimen inter *mortem*, & *infernum*, ut per infernum, dicat, intelligi statum sive conditionem mortuorum, pagin. 415. &

infernum nuſpiam ſignificare diabolos: ſiquidem nondum diabolo quicquam ſit negotii in inferno, ibid. Quia vero, ut dixi, nondum ſatis notum eſt, quidnam de hac quæſtione conſtanter teneant Photiniani, expectanda eſt eorundem plenior reſolutio, antequam refutatio inſtituatur.

XIII. Caput tertium. *De reſurrectione mortuorum* docet Oſtorodus, carnem & ſanguinem (quo nomine ſubſtantiam intelligit humani corporis) hereditatem regni cœlorum non poſſeſſura, pag. 389. Valde igitur inique judicat de articulo ſymboli: *Credo reſurrectionem carnis:* quem ſic interpretatur, non ipſam carnem reſuſcitatum iri, ſed id, quod fuerit caro: ſimili ſenſu, quo Chriſtus dixerit, meretrices & publicanos præceſſuros Phariſæos in regnum Dei, *Matth. 21. v. 31. pag. 394.* Atque hinc negat, Chriſtum jam habere carnem & ſanguinem pag. 390. quem tamen fatetur in vero ſuo corpore reſurrexiſſe, pag. 393. ut nimirum potuerit a ſuis diſcipulis agnoſci. Negat autem (quod referens horreſco,) corpus Chriſti a reſurrectione fuiſſe immortale: idque putat ſatis conſtare ex cicatricibus, duas corpori immortali tribui perquam abſurdum ipſi videtur, pag. 393. 394. Et hac in re diſcrimen ponit inter reſurrectionem Chriſti (quo ad modum ejus) & noſtram. Sententiæ vero ſuæ fundamentum quærit in 1. *Cor. 15. v. 47. & ſeqq.*

XIV. Reſpondeo breviter, 1. *Animalis* caro & ſanguis peccato onerata & corruptioni obnoxia, cœlum non poſſidebunt: ſed caro & ſanguis *gloriſi-*

rificata. Qualitas enim mutabitur, non abolebitur ipsa substantia. Idque fortissime adstruit D. Paulus, diserte dicens, v. 42. 43. 44. *illud ipsum* (non aliud numero) *corpus, quod seminatur, excitatum iri*: ut aliis argumentis opus hic non sit, quæ multa afferri possunt. Credimus igitur resurrectionem *carnis* illius ipsius carnis, quæ in pulverem redacta, *Genes. 3. v. 19.* omnipotente voce Christi in vitam revocabitur. *Iob. 5. v. 28. cap. 6. v. 54. 1. Thess. 4. vers. 14. & seqq.* Nam illi ipsi, qui fuere mortui, resuscitabuntur (non alii,) sistendi ante tribunal Christi: ut referat unusquisque ea, quæ fiunt per corpus, prout gessit, sive bonum, sive malum, 2. *Cor.* 5. *v.* 10. Confer insignem locum, *Iob. 19. v. 25. 26. 27.* Scio ego, quod redemptor meus vivat. &c. Futura quidem sunt corpora nostra *spiritualia*, hoc est, ornata dotibus spiritualibus, ut nulla remaneat lucta sive pugna carnis adversus Spiritum, qualis fuit in hac vita: sed tamen corpora non convertentur in substantiam spirituum; Sic enim corpora esse desinerent. Apostolus vero diserte vocat *corpora cœlestia*, 1. *Cor.* 15. *v.* 40. *&* v. 44. Seminatur, inquit, corpus animale, surget *corpus spirituale.* Corpus igitur numero idem in hac vita animale est, in altera erit spirituale, incorruptibile, & gloriosum, ut expressis verbis demonstrat Apostolus v. 42. 43. 44. Quem clarissimum textum Apostolicum sophistications Photinianæ obscurare non poterunt, ne dum evertere.

XV. 2. *Veritatem naturæ humanæ in Christo ascen-*

ascensus in cœlum non sustulit. Quem jam non novimus *secundum carnem*, 2. Cor. 5. v. 16. h. e. juxta carnales cogitationes, quales diu foverant de Christo Apostoli, secuti judaicam de regno Messiæ mundano opinionem: sed tamen veneramur verum Deum & verum hominem, fratrem & dominum nostrum, expectantes rediturum de cœlo, sicut eundem viderunt Apostoli euntem in cœlum, *Actor.* 1. v. 11. Confer descriptionem filii hominis, *Apoc.* 1. v. 13. *& seqq. & Matth.* 25. v. 31. Et in primis considera sacræ cœnæ institutionem, in qua expressa fit mentio *carnis & sanguinis* Christi, etiam post adscensionem ad cœlos, 1. *Cor.* 11. v. 24. 25. Quæ verba Photiniani sic misere trahunt, torquentque, ut re ipsa ostendant, unum se hoc agere, ut ad præconceptas suas opiniones scripturas sacras quoquo modo inflectere, & accommodare queant.

XVI. 3. Quod obiiciunt *de cicatricibus in corpore Christi*, quas monstravit Apostolis: respondet vere pia antiquitas, Christum a resurrectione edisse & bibisse cum Apostolis κατ' οἰκονομίαν, secundum dispensationem, (non ex quadam naturæ indigentia, aut necessitate,) ut veritatem resurrectionis demonstraret. Eodem igitur fine etiam cicatrices ostendit: ut manifestum est ex c. 19. Iohannis v. 25. 27. Quare plusquam impium est, hinc inferre velle, corpus Christi a resurrectione non fuisse immortale, contra luculentissimam & gravissimam disputationem Apostolicam, Rom. 6. ubi vers. 10, dicitur Christus peccato mortuus *semel.*

Et

Et v.9. *Christus resuscitatus ex mortuis*, inquit D. Paulus, *jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur.* Qui sic? *Quia per mortem destruxit eum, qui mortis habebat imperium, Hebr 2.v.14.* Quæ igitur impietas est, victorem mortis glorioſissimum, & de morte triumphantem, *Coloss.2.v.15.* appellare mortalem? Annon hoc est una litura deire planissime omnem mortis Christi virtutem & efficaciam? Increpet te Deus, Satana!

XVII. Locus Apostolicus, *1.Cor.15.* de resurrectione mortuorum propria luce radiat, ut alieno lumine novæ interpretationis (depravationis inquam) Photinianæ carere omnino possit. Ineptissimus enim est Ostorodus, negans p.389. *corpus spirituale* posse habere carnem & sanguinem: quia nimirum, quicquid de carne est, caro est, hoc est, mortale & corruptibile. Nam D. Paulus connectit in hac locutione duo: 1. *Corpus*, 2 *spirituale*: nempe substantiam & qualitatem. Substantia manet eadem: Corpus, Qualitas mutatur. Seminatur enim *corpus animale:* Surget autem *corpus spirituale.* Vides tam vere corpus appellari, quando est animale. Porro, quid corporis nomine intelligitur, cum est sermo de homine? Vtique tota compages omnium humani corporis partium: capitis, pectoris, brachiorum, ventris, pedum; quæ constant carne, sanguine, ossibus, &c. Hoc igitur corpus humanum est in hac vita *animale*, haberque suas functiones naturales, pro hujus vitæ ratione & modo: in cœlo illud ipsum cor-

corpus erit *spirituale*, hoc est, præditum qualitatibus spiritualibus, spirituali sive cœlesti vitæ accommodatis. Non autem convertetur in Spiritum. Sic enim corpus esse desineret: ac proinde corpus spirituale dici non posset. Planum hinc est, quæ sit genuina sententia verborum D. Pauli *vers.50.* Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: nimirum hæc: *Corpus animale regnum Dei possidere non potest.* Sed negat Ostorodus ita recte exponi, pag.389. At, inquam ego, sic interpretatur ipse Apostolus, verbis immediate sequentibus, quæ exegesin & simul rationem accedentium continent: *Neque corruptio*, inquit, *incorruptelam possidebit.* Vnde fluit hoc theorema: Caro & sanguis corruptibilis, vel corpus corruptibile, non possidebit regnum cœlorum. Vt autem caro & sanguis, sive corpus, possit regnum cœlorum possidere: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem* (verba sunt ipsius Apostoli vers.50.53.) *& mortale hoc induere immortalitatem.* Hoc est ex v.42. *Caro & sanguis, sive corpus, seminatur in corruptione, surget in incorruptione*, Et v.44. *Seminatur caro & sanguis, sive corpus* (unum enim idemque hic notare certum est) *animale, resurget spirituale.* Quare, ut cum Iobo loquar, cap.19.v.26.27. *Ego sursum circumdabor pelle mea:* (sed glorificata) *& in carne mea* (incorruptibili) *videbo Deum. Quem visurus sum ego* (spiritualis) *mihi, & oculi mei* (spirituales) *conspecturi sunt, & non alienus.* Summa: Caro & sanguis animales, mortales, corruptibiles, regnum

gnum cœlorum possidere non possunt, ac proinde ex hac vita naturali non est immediatus ingressus in regnum cœlorum: sed oportet intervenire mortem, aut immutationem, *1. Cor. 15. v. 51.* ut resurgant caro & sanguis spirituales, immortales, & incorruptibiles: vers. 42. 43. 44. 53. 54. atque sic possideant regnum cœlorum. Identitas subjecti sive individui maneat, qualitates sive accidentia mutabuntur. Sicut homo ægrotus, quando convalescit, firmamque valetudinem recuperat, numero idem manet, neque humanam suam naturam sive substantiam exuit aut amittit, sed in ea novas qualitates & *ἐυκρασίαν* acquirit: Ita substantia carnis & sanguinis, sive corporis nostri, in resurrectione non convertetur in aliam substantiam sive naturam, sed ut Apostolus loquitur, *induet incorruptionem & immortalitatem*, hoc est, novis qualitatibus, cœlesti vitæ aptis, exornabitur.

XIIX. Caput quartum. *De impiorum damnatione* lubrice loquuntur Photiniani, ut fere nescias, velintne resurrectionem impiorum a mortuis affirmare, an negare. Id videtur ex ipsorum verbis colligi, damnationem impiorum non definiendam ex suppliciis in omnem æternitatem in inferno tolerandis, sed potius ex totali eorum deletione sive perditione, ut plane esse desinant. Cui errori opponi debent clarissima scripturæ dicta, *Dan. 12. v. 2. Matth. 25. v. 32. 41. 46. Johann. 5. v. 28. 29. Marc. 9. v. 43. 44. 2 Thessal. 1. v. 9. Apoc. 20. v. 10. cap. 22. vers. 15. &c.* Et urgeri debet versiculus ultimus, *cap. 25. Matth.* Ibunt maledicti in *supplicium æternum*,

num, & justi in *vitam æternam*. Vbi eadem est notatio æternitatis in utroque membro. Et appellatio supplicii, itemque ignis æterni, v. 41. validissime refellit somnium de totali delectione impiorum, sive abolitione. Qui enim desierunt, supplicia ferre dici non possunt. Quoniam non entis nulla sunt accidentia.

ARTICVLVS XVIII.

DE LIBERO, quod vocant, ARBITRIO.

Summa necessitas requirebat doctrinam, in Papatu passim receptam, & in scholis templisq; sonantem de arbitrii humani libertate, etiam in rebus spiritualibus, castigari. Datus est igitur huic doctrinæ viribus humanis peculiaris articulus, cujus verba sic habent:

De libero arbitrio docent, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam, & deligendas res, rationi subjectas. Sed non habet vim sine Spiritu sancto efficiendæ justitiæ Dei, seu justitiæ spiritualis, quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, sed hæc fit in cordibus, cum per verbum Spiritus S. concipi-

cipitur. Hæc totidem verbis dicit Augustinus lib. 3. Hypognostic. n. Esse, fatemur, liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum in iis, quæ ad Deum pertinent, sine Deo, aut inchoare, aut certe peragere, sed tantum in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quam etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, uxorem velle ducere, pecora nutrire, artem discere diversarum rerum bonarum, velle quicquid bonum ad præsentem pertinet vitam. Quæ omnia non sine divino gubernaculo subsistunt, imo ex ipso & per ipsum sunt, & esse cœperunt. Malis vero dico, ut est, velle idolum colere, velle homicidium, &c.

Damnant Pelagianos, & alios, qui docent, quod sine Spiritu sancto, solis naturæ viribus possimus Deum super omnia diligere, Itẽ præcepta Dei facere, quoad

quoad ſubſtantiam actuum. Quanquam enim externa opera aliquo modo efficere natura poſſit: Poteſt enim continere manus a furto, a cæde: tamen interiores motus non poteſt efficere, ut timorem Dei, fiduciam erga Deum, caſtitatem, patientiam, &c.

I.

Deſumptus eſt articulus ex cap. 5. inter 17. D. Lutheri: cujus verba integra vide ſupra in articulo 4.

II.

Iudicium Cæſaris & Principum.

In articulo decimo octavo confitentur liberi arbitrii virtutem, quod habeat libertatem ad efficiendam civilem juſtitiam, ſed non habeat vim ſine Spiritu ſancto efficiendæ juſtitiæ Dei, quæ Confeſſio acceptatur: & approbatur. Nam ſi Catholicos convenit media via incedere, ut nimium tribuatur libero arbitrio cum Pelagianis, neque omnem libertatem ei adimant cum impiis Manichæis. Nam utrumque non caret vitio. Sic Auguſtinus inquit, liberum arbitrium ineſſe hominibus, certa fide credimus, & prædicamus indubitanter. Namque in humanus eſt error, negare liberum arbitrium in homine, &c.

Andreas Fabricius Leodius *totus hic verſatur in exagitando Luthero & Philippo, quos aicit jam probaſſe, mox negaſſe liberum arbitrium, & calumnia*

mnia onerare Catholicos, quasi isti docerent, quod sine Spiritu sancto solis naturæ viribus possimus Deum super omnia diligere. Vbi phrasin Scholasticorum exponit, quod præcepta Dei facere, quoad substantiam actuum, nihil aliud sit, quam externa opera divinitus præcepta explere secundum illud, quod foris gerendum est, quamvis interiores motus etiam non adhibeantur.

Iohannes a Daventria. *itidem graviter reprehendit, quod Lutherus liberum arbitrium dixerit post peccatum esse rem de solo titulo: & commendat hunc articulum, tanquam per omnia cum doctrina Pontificia (quam ipse Catholicam vocat) consentientem. Dispeream, inquit, si plus a nostris libero arbitrio attributum sit, quam isti (Confessores) tribuunt. Et vocat mendacium, si quis dicat, Catholicos (Romanenses) docere, posse hominem diligere Deum super omnia, & præcepta Dei facere, mereri gratiam, &c.*

Iohannes Cochlæus *distinctionem probat inter objecta arbitrii externa & spiritualia. Sed tamen immerito dicit damnari eos, qui hominem propriis naturæ viribus docent posse præcepta Dei facere quoad substantiam actus. Cumque judicet valde absurdum esse, si quis dicat, Deum homini imposuisse præcepta impossibilia, concludit, posse hominem legem Dei facere suis viribus, quoad substantiam actus, licet non possit meritorie absque gratia Dei. Neque concedere vult, peccare homines, qui faciunt opera præceptorum extra gratiam. Præterea negat, verum esse, quod humana corda,*

quæ gratiam Dei non habent, sint sine timore Dei, & sine fiducia erga Deum: imo affirmat, Iudæos & Turcas non esse sine qualibet erga Deum fiducia: adeoque etiam Christianum in peccatum mortale incidentem non esse sine omni erga Deum fiducia, &c.

Iohannes Hoffmeisterus: *Nihil, inquit, offendit nos hic articulus, nec quicquam in malam partem interpretabimur, quoniam ex monumentis piorum patrum, imo & ex sacris scripturis videtur*
NB. *desumptus. Postea inter cætera recitat sententiam Augustini ex lib. 3. contra duas Epistolas Pelagii cap. 8. Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccatum valet: ad justitiam vero nisi divinitus liberatum adjutumque non valet. Deinceps Apologiam accusat, quam dicit traducere Scholasticos immerito & præter rationem. Et fortiter negat, unquam dixisse Scholasticos, hominem sine Spiritu sancto posse Deum diligere super omnia, & præcepta Dei facere, &c.*

Georgius Cassander *commendat articulum, tanquam consentientem doctrinæ Ecclesiasticæ: & approbat distinctionem inter objecta arbitrii. Statum autem quæstionis sic formar: Quid valeat liberum arbitrium, seu voluntas ad justitiam coram Deo consequendam. Et respondet, justitiam, qua justificamur coram Deo, attribuendam esse non virtuti liberi arbitrii, seu voluntatis per peccatum vitiatæ, sed singulari gratiæ Dei, nempe, quæ est per fidem Iesu Christi. De Scholasticis subiicit, si quis ex eorum numero incommodius de arbitrii liber-*

libertate locuti sunt, inter privatas opiniones poni deberi. Et ex Bonaventura: Hoc piarum mentium est, inquit, ut nil sibi tribuant, sed totum gratiæ Dei. Denique de prædestinatione quadam annectat, in qua & ipse gratiam Dei commendat, tanquam fontem fidei, & omnium bonorum operum.

III.

EXPLICATIO.

I. Bimembris est articulus. *Thesis* distinguit inter objecta voluntatis humanæ: quam dicit habere libertatem in rebus externis, rationi subjectis: non etiam in rebus spiritualibus.

II. *Antithesis* damnat Pelagianos, & alios, quī vel toto, vel ex parte hominis viribus conversionem adscripserunt.

III. Appellatio *liberi arbitrii* satis antiqua est, sed non semper ab omnibus eodem sensu usurpatur. Græci vocarunt αὐτεξούσιον, quod nomen gloriosius videtur esse, quam ut homini competat. Significat enim id, quod nullius imperio subjectum est. Ac proinde de Deo quam maxime proprie accipitur. Voluerunt autem veteres isto vocabulo denotare voluntatis libertatem in volendo, quod non possit cogi.

IV. Et ut doctrina hæc (quæ a multis periculose involvitur) dilucidius exponatur, distinguunt Theologi inter quatuor status hominis, 1. ante lapsum, 2. post lapsum ante regenerationem. 3. post conversionem in hac vita. 4. in vita æterna: Quod alii sic efferunt, dicentes hominem

considerari. 1. in natura *institutâ*, hoc est, in integritate. 2, *destitutâ*, nempe per peccatum, 3. *restitui captâ*. 4. *& plene restituta*. Augustinus hominem considerat, 1. ante legem, 2. sub lege, 3. sub gratia, 4. & in pace, nempe in vita æterna.

V. De statu integritatis ante lapsum, & felicitatis in vita æterna, quæstio hic non est: neque de statu hominis renovati post conversionem : sed disceptatur de viribus humanis, post lapsum in homine reliquis, antequam convertatur. Vbi D. Lutherus, secutus Augustinum, vocat *arbitrium servum*, quia servit peccato. Vide Augustinum in Enchiridio cap. 20. lib. 2. contra Iulianum, lib. contra duas Epistolas Pelagii cap. 8. & Epistola 89. ad Hilarium.

VI. Quam appellationem non arrodent, qui pie cogitant, hominem esse in peccatis mortuum, *Eph. 2. v. 1. Col. 2. v. 13.* nempe spiritualiter. Vita autem ipsa deficiente, ubi locus erit actionibus vitalibus? Quare Augustinus arbitrium vocat *captivatum*, quod non nisi ad peccandum valeat, itemque *perditum*: & lib. 3. hypogn. voluntatem vocat *non liberam, sed damnabilem ancillam*.

VII. Quando autem arbitrium appellatur *vulneratum, sauciatum, infirmatum, claudicans, &c.* intelligendum illud est de viribus, in homine reliquis, quantum ad actiones externas, quæ subjacent rationi.

VIII. Diligenter igitur distinguenda sunt dicta tum scripturæ, tum patrum, quæ loquuntur vel de externis, vel de spiritualibus actionibus.

IX. Est

IX. Est & hic opus diligenti distinctione, quæ dicta loquuntur de libertate *naturæ integræ* ante lapsum, & de libertate *gloriæ* in vita æterna: quæ si applicare quis velit ad vitam hanc præsentem, errabit miserrime.

X. Sunt etiam dicta legalia discernenda ab Evangelicis: quæ, ubi confunduntur, magnos errores pariunt.

XI. Quemadmodum & illud observandum est, apud nonnullos Ecclesiasticos scriptores liberum arbitrium dici ipsam mentem & voluntatem hominis. Quo sensu recte & vere dicitur, liberum arbitrium non esse amissum.

XII. Sunt etiam nonnulli, qui liberum arbitrium accipiunt pro aptitudine passiva, qua voluntas humana præventa & adjuta a Spiritu sancto potest habere fidem. Quam aptitudinem truncus, imo diabolus, non habet.

XIII. His ita præmissis, de re ipsa sic statuimus: in disciplina, hoc est, diligentia gubernandi externas actiones, & coercendi externa membra, juxta præcepta decalogi, esse aliquam libertatem reliquam. Nam menti, etiam non renovatæ, tribuit D. Paulus *Rom. 1. v.* 20. cogitationes, agnitionem, veritatem, &c. Quo pertinet inventio variarum artium, ubi non impie dicitur, insignes artifices in inveniendis & illustrandis artibus peculiari quodam afflatu excitari, *Exod. 31. v. 2. cap. 25. v. 31. Esa. 54. v. 16.* In voluntate est delectus in iis, quæ monstrata sunt ab intellectu. Vnde discrimen est virtutum & vitiorum, etiam apud non renatos,

in externa disciplina. Et Apostolus affirmat, esse aliquam justitiam carnis, *Rom.2. v.14. cap.10. v.3. Philipp 3.v.4.6.* Sic dicit, legem esse objectum liberi abitrii etiam in injustis, 1. *Tim.1.v.9.* Vnde Augustinus lib.5. de Civitat.Dei,c.15. scribit: Deum externam disciplinam etiam in non tenatis remunerare temporalibus præmiis.

XIV. Sunt autem varia impedimenta illius libertatis. 1.Diabolus, qui suam habet efficaciam in impiis. 2. Vulneratio donorum, quæ in natura sunt reliqua. 3. Errores in deliberationibus. 4. Quia eventus & successus non sunt in potestate nostra.

XV. Cum autem lex divina non loquatur tantum de externis moribus, sed integram requirat obedientiam & impletionem: docent sacræ literæ, voluntatem non habere libertatem deponendi pravitatem nobiscum nascentem, sed eatenus esse captivam. Vbi axioma Theologicum firmiter tenemus, quod proponit Apostolus, *Rom.14. v.ult.* Quicquid ex fide non est, peccatum est.

XVI. Non potest igitur voluntas humana sine Spir. sancto suis viribus, vel inchoare interiores, & spirituales motus, vel præstare & efficere interiorem obedientiam cordis, vel in cæpto cursu perseverare, proficere, consummare, *Rom.7.v 24. cap.8. v.7.* Mens enim hominis non renati est obtenebrata, *Eph.5. v.8. cap.4.v.17.18.19. Iob.1.v.5. Luc.1.v.29. Matth 16.v.17. Rom.1.v.21. 2.Cor.3 v.5. 1. Cor.2 v.14.* Voluntas autem Deo inimica, peccati serva, imo in peccatis mortua, *Roman.3. v.10.*

cap.

cap.6.vers.20.cap.8.v.7 Eph.2.v.1.Coloss.2.v.13. Vnde opus est illuminatione mentis, & renovatione sive conversione voluntatis per Spiritum sanctum, *Ephes.1 v.17.cap.2.v.5. cap.4.v.7.Actor.26.v. 17. 2.Cor.4.v.6. Esa.11.v.2. Psalm.119.v.34 Ezech. 36. v.20. 1.Cor.12. v.5.* Quæ renascentia est opus non minoris virtutis, quam creatio. Idcirco eidem causæ principali utrumque est adscribendum.

XVII. D.Augustinus ut Pelagium, divinæ gratiæ hostem, in lucem protraheret, distribuit gradus motuum & actionum spiritualium in exordium, progressum, & summam: 1. Est gratia Dei *præveniens*, præcedens, antecedens. 2. gratia *præparans*. 3. gratia *operans*. 4. gratia *cooperans*, subsequens, adjuvans 5. gratia *perseverans*.

XVIII. Quæ tota doctrina eo pertinet, ut in nobis acuatur fides, invocatio, timor Dei, & diligentia in tuendis donis divinis.

XIX. Cum igitur quæritur, quænam sint vires voluntatis humanæ post lapsum ad efficiendam conversionem: recte & vere respondetur, quod voluntas in conversione habeat se *mere passive*. A Deo enim convertitur, non sese ipsa convertit.

XX. In homine autem jam converso & renovato certum est, voluntatem non esse otiosam, sed cooperari. Quare recte dicitur, tres esse causas bonæ actionis, 1. verbum Dei, 2 Spiritum sanctum, 3. voluntatem humanam: sed recte illud & commode intelligi & explicari debet.

Et semper est exordium faciendum a ministerio Evangelii. Sensus enim & experientia non præcedunt fidem, sed sequuntur.

XXI. In antithesi damnantur *Pelagiani*, quos divinæ gratiæ hostes appellat Augustinus. Historiam Pelagiani certaminis erudite contexuit D. Chemnitius, tum in examine Concilii Tridentini, tum in locis Theologicis, ubi simul ostendit, quam prope absint a Pelagianis Pontificii.

XXII. De *Manichæis* testantur scriptores Ecclesiastici, tres hominum ordines ipsos constituisse. 1. χοϊκούς, qui non sint capaces renovationis. 2. *Bonos*, qui non sint capaces peccati. 3. *Medios*, qui possint purgari separatione τῆς ὕλης, tanquam substantiæ adversæ.

XXIII. *Enthusiastæ*, quibus Anabaptistæ quidam annumerantur, contendebant. 1. nullum esse usum ministerii verbi & Sacramentorum. 2. Et asserebant Spir. sanctum suam præsentiam ostendere αἰσθητῶς, sensibiliter. 3. fingebant nullam manere concupiscentiam: proinde nullam esse luctam, nullis opus est exercitiis pietatis.

IV.

Errores Papistarum de libero arbitrio.

Apud D. Augustinum discrimen aliquod reperitur inter Pelagianos, & Semi-Pelagianos, quod apud Pontificios hodie recte potest adhiberi: quorum alii nimium crasse loquuntur & sentiunt, alii paulo subtilius errorem suum pingere didicerunt.

Vid. Becmy Theol. Schol. Tom. II. p. 1247 Vnde

Vnde fit, ut non dubitent quidam Papistæ mendacii eos reos agere, qui Scholasticorum quorundam dicta afferunt, quibus humanæ naturæ vires nimium extolluntur, eamque sententiam toti Ecclesiæ Pontificiæ attribuere volunt. Qua de re Bellarminus lib. 5. de gratia & libero arbitrio cap. 13. ita scribit: "Hominem ex puris naturalibus posse diligere Deum "super omnia, scripserunt Scholastici quidam pauci, "sed non debet Ecclesiæ Catholicæ tribui opinio paucorum, quam in eadem Ecclesia plures & graviores refellunt. *Hæc ille: qui si audire seipsum velit, non difficulter demonstrabimus, totum Pelagianizare. Nam cum Concilio Tridentino expresse negat, liberum arbitrium esse per lapsum primorum parentum extinctum, dicens tantum esse fractum & attenuatum lib. 3. de gratia & libero arbitrio, cap. 12. 13. Et in compendio disputationis de cooperatione gratiæ & liberi arbitrii lib. 6. de gratia & libero arbitrio, cap. 15. hanc ponit propositionem:* "Homo, inquit, ante omnem gratiam habet liberum "arbitrium, non solum ad opera naturalia & mora- "lia, sed etiam ad opera pietatis & supernaturalia. "*Item: Habet homo ante omnem gratiam potentiam remotam & imperfectam ad opera pietatis facienda. Quam potentiam ne pro passiva accipias, ipse paulo post hoc simili rem declarat, Simile aliquid, inquit, experimur in potentia videndi. Nam, absente specie sensibili, habet homo potentiam & libertatem videndi: non enim ea species causa est libertatis aut potentiæ videndi: tamen potentia remota est, & libertas ligata, donec, accepta specie,*

poten-

potentia perficiatur, & in actum prodire possit. Costerus in Enchiridio demonstraturus, Deum & voluntatem hominis simul agere in conversione, hoc simili utitur: Sit quispiam lapsus in foveam tenebricosam, inquit, ex qua neque cogitet egredi, neque possit solus exire: sed in ea securus obdormiat: accedat ad eum amicus, qui hominis miserius de somno excitatum ad egressum maneat, multisque rationibus, ut assentiatur, inducat, tum ei manum vel funem porrigat, & simul conantem educat in lumen: Sicut igitur homo iste per se quidem est lapsus in foveam, sed per se solum evadere nequit, educitur autem ab alio non invitus, nec patiendo tantum, sed cooperando: nam admonitionem admittit, funem porrectum manu sua apprehendit, & firmiter retinet: & quicquid in se est, pro viribus praestat, donec extractus in terram lumine solis illustratur: Ita liberum arbitrium, quod vitio suo in peccatum cecidit, ut de tenebricosa fovea educatur, non suscipit tantum, vel patitur, aut agitatur, sed cooperatur gratiae Dei, praeparat se credendo, fidendo, pietatis officia assumendo, donec ad solam justitiae adscendens divino lumine gratiae intus repleatur. Vide ibi cetera, quae sequuntur de Ieremia, & Petro, eductis e lacu & carcere. Vis similitudinem aliam? Audi Alphonsum Virvesium in Philippica 15. Similis videtur, inquit, animi nostri imbecillitas infantiae puerorum gestientium ambulare, nondum tamen valentium ingredi, quibus apponitur machinula quaedam lignea, curriculum appellant Hispani, rotulis quatuor ceu pedibus suf-

suffulta. Huic machinæ admotus infans inititur ad ambulandum, ita ut quasi præcedentem machinam sequi videatur, quæ tamen minime præcederet, nisi ab infantulo impulsa, nec infans interpellere posset, nisi machinæ innixus, alioqui omnes ejus conatus tantummodo conferunt, ut frequentius cadat. Quamdiu infans ambulare vult, præcedente machina potest: potest etiam, si velit, cessare, nec in tantum, verum & a machina, si libeat, discedere, &c. Afferunt alii simile de avicula caveæ inclusa, alii de viro catenis ligato, &c. Ex quibus satis constare potest, quæ sit & qualis potentia, quam homini post lapsum assignant Pontificii: inprimis si addatur ipsorum disputatio de naturalibus, quæ integra mansisse dicunt. Et ne quid desit, Costerus diserte scribit, etiam Ethnicis tantum datum esse auxilii, tum per naturam, tum per gratiam singularem, quantum eis sufficere posset, si industriam suam conatumque adhiberent, ad Christi notitiam accipiendam, in Enchiridio pag. 284. edit. Anno 93. Quare Bellarminus recitaturus totius Ecclesiæ sententiam sic scribit lib. 6. de gratia & lib. arbitr. cap. 15. Ecclesia Catholica in hominibus mortalibus secundum scripturas divinas, & communem patrum consensum, eam libertatem defendit, per quam possint bene agendo mereri præmium. Et cap. 14. Quamvis Deus sine nostro prævio conatu nos moveat ad volendum, non tamen efficit ipsum velle sine nobis cooperantibus consentiendo. Summa igitur

hac

huc redit, liberum hominis arbitrium post lapsum nequaquam amissum & extinctum esse, ut loquitur Concilium Trident. sess. 6. can. 5. vel interisse, ut scribit Costerus in Enchiridio, sed vulneratum esse, & ut ait Alphonsus Salmero Tom. XIII. pag. 82. infirmum ad malumque propensum. Martinus Becanus celebris Iesu vita in part. 2. Scholasticæ Theologiæ tract. 1. cap. 2. de lib. arb. qu. 9. quadruplicem hominis statum ponit. Primum: in statu puræ naturæ, in quo nec gratia, nec peccatum originale locum habet, sed natura humana secundum se spectata. Hunc statum, inquit, nunquam habuit homo, nec habiturus est. Secundum, in statu innocentiæ, in quo primus parens cum justitia originali fuit constitutus, antequam peccaret. Tertium, in statu naturæ lapsæ per peccatum primi parentis, ante gratiam recuperatam. Quartum, in statu naturæ lapsæ, post recuperatam gratiam. Tum ponit conclusiones de statu innocentiæ, de quibus non est nunc differendi locus. Deinde quærit, an liberum arbitrium per peccatum primi parentis penitus amissum sit. Et ponit duas conclusiones: Prima, Homo in statu naturæ lapsæ, ante recuperatam gratiam, retinet liberum arbitrium in actionibus naturalibus, neque illud per peccatum primi parentis amissum est. Secunda, Homo in statu naturæ lapsæ, post recuperatam gratiam, retinet liberum arbitrium, non solum in actionibus naturalibus, sed etiam in supernaturalibus. Denique quærit, an liberum arbitrium per peccatum primi parentis læsum sit. Vbi itidem ponit duas conclusiones. Prima

ma *est: Vis liberi arbitrii tanta nunc est, quanta esset in puris naturalibus: ac proinde* liberum arbitrium per peccatum primi parentis non est læsum aut diminutum quoad vires naturales. Secunda, *Vis liberi arbitrii non est nunc tanta; quanta fuit in statu innocentiæ: & hoc sensu dici potest liberum arbitrium per peccatum primi parentis esse læsum, ac diminutum. Quod postea sic interpretatur*, naturam nostram non ipsam in se esse corruptam, nec in suis naturalibus, sed spoliatam esse donis supernaturalibus, *quibus ornata erat in statu innocentiæ. Hactenus Becanus: ex quolibet quærere*, 1. *cur ponat statum hominis, in quo nec fuerit unquam, nec unquam futurus sit?* Quis enim istius commenti usus? 2. *Cur nihil ponat in conclusione de statu naturæ lapsæ ante recuperatam gratiam, quid possit, aut non possit in supernaturalibus?* Hæc enim est maxima disputatio: de qua ibi nullum verbum. 3. *Qua conscientia dicat liberum arbitrium* viribus attenuatum, (*sunt verba Concilii Tridentini ab ipso allegata*) *cujus* vires *tamen mansere* integræ, *deque iis nihil quicquam decesit? Naturalia enim*, inquit, *mansere integra: & in statu naturæ puræ non possemus plura præstare, quam nunc possumus.* Hæc enim simul vera esse non possunt. 4. *Cur nominet naturam* corruptam, *quæ in omnibus suis viribus est* integra? Nam detractio coronæ (cui Pontificii conferunt donum primi hominis supernaturale) ex capite virginis non efficit, ut virgo dicatur, & sit corrupta: Neque spoliatio vestimenti facit, ut homo dicatur

tur & sit vulneratus. Iuxta Becanum igitur in lapsu Adami liberum arbitrium nullum passum est in seipso damnum, sed tantum Adamus spoliatus fuit dono supernaturali, ipsa natura in se manente salva atque integra. *Hinc igitur concursus & cooperatio nascitur divinæ gratiæ, & arbitrii humani in ipsa justificatione, de qua Bellarm. Costerus, & alii Pontificii recentiores nugantur. Hæc verò opinio quo tandem modo cum scriptura divina conciliabitur, quæ nos affirmat esse in peccatis mortuos?* Aliud enim certe est mortuum esse, aliud vulneratum tantum & debilitatum. *Et quomodo menti, quam scriptura cœnam vocat, tribui poterit videndi facultas, si modo species visibilis adhibeatur?* In lumine tuo, *inquit ad Deum Psalmista Psalm. 36. v. 10.* videbimus lumen: *non in lumine nostro. Sed fusiore sermone ad illam opinionem refellendam opus esse non videtur. Nam etiam inter Scholasticos saniores eam nequaquam probant. Neque defuerunt superioribus annis tordati Papistæ, qui hac in parte Iesu vitis expresse contradixerunt. Sicut itidem non desunt, qui meritum de congruo rejiciant: quod tamen retinet & stabilit. Bellarminus, scribens lib. 5. de justif. cap. 22. posse hominem nondum reconciliatum per opera pœnitentiæ impetrare & mereri ex congruo gratiam justificationis. Nimirum secundum illud:* Quicquid ex fide non est, peccatum est. *Quo vel uno dicto etiam illud Andradii lib. 3. somnium refutatur, de salute gentilium per Philosophiam*

sophiam comparata. Quod vero ex Concilio Trident. sess. 6. can. 18. Bellarm. lib 5. de justific. cap. 10. affirmat, legem Dei justis hominibus absolute esse possibilem, responsio illa Apostoli brevis quidem, sed firmissima plane elidit, quod lex spiritualis sit, nos autem carnales, Rom. 7. v. 14. *Ex quo item fundamento refutatur, quod Iesuitæ in censura Colonienſi ſcribant, posse hominem ex propriis viribus mereri vitam æternam: quam tamen nomine gratiæ, doni, & muneris divini passim nobis commendant divinæ literæ. Et pie Bernhardus:* Meritum meum, *inquit*, miseratio Domini. *Tribuunt etiam Pontificii libero arbitrio perseverantiam in fide, vide Ludovicum Molinam in disputat. de lib. arbitr. Sed aliter D. Petrus docet*, nempe, in virtute Dei custodiri nos per fidem ad salutem, 1. Petr. 1. v. 5. cap. 5. v. 10. *Quam recte Bernhardus in Epistola quadam vocat* perseverantiam unicam filiam summi regis.

V.

Errores Calvinianorum.

Variis modis hunc articulum impugnant Calviniſtæ. I. Asſerentes immutabili Dei decreto omnia fieri, & necessario: quia nimirum Dei voluntas justissima sit rerum omnium causa. Vnde etiam præscientiam Dei dicunt causam rerum præscitarum. *Vide Calvinum instit. l. 1. c. 16. § 17. l. 2. c. 4. Bezam vol. 1. Theol. pag. 417. & Resp. 2. ad Colloq. Mompelg. pag. 252. & seqq.* Iohannem Piscatorem in

Omnia fieri necessario.

in responsione ad D. Cunradum Vorstium passim. Tossanus contra D. Hunnium scribit, se credere & docere, *necessario omnia fieri*, si antecedentem voluntatem, & divinum illud immutabileque consilium voluntatis spectes: quod neque falli, neque irritum reddi possit. *Bucanus loco 14. pag.* 133. Fieri nihil potest, nisi quod Deus decrevit, *pag.* 136. Respectu causæ primæ, contingentia quoque necessaria sunt. Item? Quæ homines vel Angeli agunt, *necessario agunt*, quoniam Deus hoc fieri sua providentia decrevit, &c. p. 137. Fututa, quando comparantur ad primam causam, & præscientiam Dei, sunt necessaria.

Homines impelli ad peccandum.

II. *Homines cogi, impelli, moveri, incitari, a Deo ad peccandum, docent* Zvvinglius, Calvinus, Beza, Martyr, Boquinus, Spindler, Rennecherus, Piscator, &c. *Vide artic. seq.* 19.

III. Favent Synergistis Theodorus Beza *in quæst. & respons. l. 1. f.* 621. ubi ait, homines gratiæ divinæ συνεργεῖν. Alibi tamen plerunque contradicit. VVolff. Amlingus in Epistola ad Consiliarios Anhaltin. voluntatis assensum constituit partem sive causam conversionis. Plerique tamen cæteri Calvinistæ aperte dissentiunt: Et inprimis Ioh. Piscator, disputans contra Vorstium, Deum in conversione vim afferre homini, cui resistere homo non possit. Vnde appellatur vis irrevisibilis.

IV. Ex principiis Philosophicis oppugnant clarissima Spiritus sancti oracula. Finitum, inquiunt, non est capax infiniti; Ergo ὁ λόγος infinitis

finitis locis est extra suam carnem. Corpus naturale, inquiunt, est certo loco circumscriptum, est visibile, &c. Ergo corpus Christi non potest esse simul in cœlo, & in cœna, quæ in his terris celebratur, &c. Sadeel de Sacramentali manducatione, *p. 99. edit. Genev. Anno* 90. An natura per contradictionem evertatur, inquit, judicandum est ex ipsius naturæ legibus. Item: si quid proferatur, quod evertat naturam, id statim pronunciabimus esse falsum: quandoquidem certum est, naturam a vero Deo constitutam, veram esse, *pag.* 101. *Nec posthac*, inquit, *veritatem Scripturæ opponatis naturæ veritati, &c.*

Zvvinglius in Colloquio Marpurgensi, referente P. Melanchthone: *Deus*, inquit, *non proponit nobis res incomprehensibiles.* Apologia Calvinistica ad reformatas Ecclesias: Non possumus aliter loqui de Corpore Christi, *quam natura corporis jubet, Grynæus disput. Heidelbergensi de Cœna, Anno* 84. *thes.* 25. Rationi humanæ, quæ post regenerationem Spiritualis facta est, fidem non derogamus. *Thes.* 16. reprehendit eos, qui testimonium rationis non admittunt in controversiis Theologicis. Confirmantia principia sunt, inquit, 1. Contemptus rationis humanæ: quæ ut est radius divinæ sapientiæ, ita cum sit post lapsum primorum parentum obscurata, postea tamen gratiæ regenerationis efficacitate sit πνευματικὴ seu spiritualis: quo nomine ingrati hominis foret, eximium Dei donum vilipendere, & tragice exagitare. *Vide eiusdem præfationem præmissam*

disputationi de sermone incarnato. Georgius Lupichius contra D. Selneccerum; Si non licet uti ratione in rebus fidei, cur Evangelium non prædicatur vaccis & anseribus? Admodum favere huic sententiæ semper visus est M. Goclenius: quam etiam tandem publice defendere conatus est: *Et Bucanus loco 38. p. 771.* quærit: Annon rationi humanæ & Philosophiæ principis, in iis, quæ afferuntur de corpore Christi, est plane derogandum? Respondet autem: Non: quatenus ratio humana post regenerationem Spiritualis facta, verum testimonium creaturis perhibet, & vera principia de humani corporis propriis affert, &c.

VI.

Photinianorum sententia de libero Arbitrio.

I. Catechesis Racovienſis p. 249. docet primum hominem ita a Deo conditum fuisse, ut libero arbitrio præditus esset (*hactenus recte: perperam vero quæ sequuntur*) nec vero ulla causa subest, inquit, cur Deus post ejus lapsum illum eo privaret: ac neque justitia Dei admittit: nec etiam inter pœnas, quibus Adæ peccatum punivit Deus, ejusmodi pœnæ ulla mentio extat. Postea quærit, p. 252. quam longe vis ipsa liberi arbitrii pateat. Et respondet, communiter in hominibus natura exiguas admodum esse vires ad ea, quæ Deus ab illis requirit, perficiendum: at voluntatem ad ea perficiendum omnibus adesse natura: & auxilium suum nemini Deum prorsus denegare ex iis, qui-

quibus voluntatem suam patefacit. Idque auxilium divinum dicit esse geminum: exterius,& interius. Exterius,inquit, sunt promissa & minæ: quorum tamen promissa vim habent longe majorem. Vnde etiam, quod sint sub novo fœdere longe præstantiora promissa,quam sub vetere fuerint,facilius est sub novo, quam sub vetere fœdere,voluntatem Dei facere,pag.253.254. Interius est id, cum Deus in cordibus eorum, qui ipsi obediunt,quod promisit,obsignat.p.254.

II. Ostorodus in Germanica inst.c.33.p.264.similiter docet, hominem habere liberum arbitrium: quod negata missum fuisse per lapsum protoplastorum. Vtque illud facilius obtineat, negat, primum hominem esse conditum immortalem,sanctum,& justum,pag.265. Nam si ita esset, inquit, p.266. tum homo neque peccare ullo modo,neque mori potuisset: sicut Deus ipse non potest peccare aut mori. Vnde infert, imaginem Dei, neque in sanctitate, neque in immortalitate consistere: sed primario in domino super omnes creaturas,& deinde in ratione sive intellectu, pag. 267. Pro mortalitate hominis integri adducit argumenta sex,quæ vidimus & discussimus articulo præcedente XVII. De negata autem sanctitate nihil amplius affert: sed respondere conatur ad scripturæ testimonia, quæ pro confirmando originali peccato, quod ipse absolute negat, afferri solent; pag. 273. & seqq. ubi tandem concludit,pag.280. ex peccato primi

hominis nullum defectum perveniſſe ad poſteritatem, neque ullum aliud malum ſive infortunium (kein ander Ubel oder Glück/) quam neceſſitatem moriendi. Ex quo infert, hominem adhuc habere liberum arbitrium, tam quoad bonum, quam quoad malum.

III. Capite 34. de viribus liberi arbitrii diſputat, eſſe eas ad peccandum pronas, non autem propter peccatum Adami, ſed quia homines ſeſe ipſi per propria ſua peccata & malitiam corrumpant & perdant, p. 281. eamque corruptionem in ſuos liberos virtute ſeminis propagent; Poſſe tamen homines divino auxilio adjutos præcepta Dei ſervare affirmat, pag. 282. Idque auxilium dicit eſſe vel exterius, nempe promiſſionem præmiorum, & comminationem pœnarum: vel interius, p. 283. idque geminum: nimirum 1. inſcriptionem mandatorum Dei in cordibus eorum, qui ei obediunt: 2. illuſtrationem cordium, ut recte intelligant ipſius voluntatem: quam in externo verbo dicit propter multas cauſas, quæ in vita hominis contingere poſſunt, expreſſe non poſſe comprehendi, pag. 283. Prius internum auxilium ait eſſe proprium Teſtamenti Novi, poſterius veteris: ſed tamen externum auxilium eſſe verum auxilium: internum autem eſſe tantum excitationem & obſignationem externi: præſertim, quia nemini internum obtingat, niſi externum ante adſit, p. 284. Concludit igitur p. 285. hominem etiam poſt lapſum habere liberum arbitrium, & ejus vires non eſſe imminutas, niſi quantum homines ipſi peccandi

candi habitum contrahant, seipsos ita corrumpent, & eam corruptionem ad posteritatem propagent.

Patet ex dictis, Photinianos crassissime tueri Pelagianismum, & esse hostes divinæ gratiæ. Quos absurdum est negare peccatum ab Adamo humani generis stipite, propagatum in posteritatem, cum fateantur, multos hereditarios morbos & affectus propagari in posteros, idque demonstret ipsa experientia. Num minoris efficaciæ fuisse dicent Adami peccatum, contra totum decalogum pugnant, in attrahenda pœna, quam alicujus privati hominis sacundi, sive intemperantis, peccatum in corrumpenda posteritate: Et quid accusant Dei justitiam, peccatum in Adamo & eius conformi posteritate punientis? Annon enim id justitiæ tenor requirit, ne peccatum inultum relinquatur? Cæterum inter peccati pœnas qui negat esse mentis cæcitatem, & voluntatis contumaciam, plane hospitem se prodit esse in divinis literis. Quicquid enim ad vetustatem carnis refertur, & cui opponitur novitas Spiritus, id ad pœnas peccati protoplastorum pertinere certum est. Item illud, quod Christus nobis reparavit, in Adamo amissum esse, constat. Considera nunc beneficia per Christum nobis acquisita, & in Evangelio passim celebratas fatendum erit, jacturam fuisse longe maximam, quam in Adamo Dei mandatum transgrediente omnes fecimus.

V. *Vires naturæ exiguas dicitis, Photiniani, sed tamen tantas, ut adjutæ a Deo implere legem possint,*

sint, & æternam vitam promereri. At D. Apostolus nos *ait* in peccatis mortuos; *Eph.2.v.1.2.3. Col. 2.v.13. Neque nos ipsos vivificare possumus. Sed* Deus nos convivificat in Christo, *Eph.2.v.5. Col.2. v.13. non per nostram obedientiam sive propria opera, sed ut D. Apostolus ait,* donans nobis omnia delicta. Et lex divina spiritualis est, nos autem carnales, *Rom.7.v.14.* Neque ex lege justificari potest ulla caro, sed per fidem in Christum Iesum, *Rom.3.4.12. Gal.2.3. Eph.2. Quæ omnia supra demonstratu sunt artic.4. de justificatione.*

VI. *Quodnam vero tandem auxilium divinum nobis commendatis? Nam pari gradu proponitis promissionem præmiorum, & comminationem pœnarum. Et utrumque intelligere legaliter, Vbi igitur manet fides? quam unam respicit promissio Evangelica. Mera proinde est apud vos confusio, adeoque abnegatio totius Evangelii, quod nobis gratiam Dei & favorem commendat in Christo Iesu: de qua gratia, summa animarum gratitudine ab omnibus deprædicanda, apud vos altum est silentium, imo hostilis ejusdem impugnatio deprehenditur. Nimirum egregie imitamini Pelagium, simili plane modo ludentem in appellatione gratiæ & auxilii divini, ut ex Augustino constat.*

VII. Negat Ostorodus, primum hominem conditum esse a Deo sanctum & justum. *At hoc est in faciem contradicere D. Paulo, Eph.4.v.23. Renovamini Spiritu mentis vestræ: & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Vide etiam Col.3.10. Fuit autem*

tem homo integer similis *Deo, non par ut æqualis. Potuit ergo mutari, & peccare, & mori, ut tristissimus eventus, proh dolor! ostendit. Et nondum vides, Ostorode, pœnam secutam peccatum non in solo Adamo, sed tota ejus posteritate, variis morbis ipsique morti propter ipsum obnoxia? Quicquid enim prætexes, fatendum est, mortem per peccatum ingressam esse in mundum, Rom. 5. v. 12. In mundo ergo ante peccatum non fuit. Cumque peccati stipendium mors sit, peccato infectum esse oportet, quisquis morti subjacet. Concipimur enim in peccatis, Ps. 51. v. 17. natura sumus filii iræ; Eph. 2. v. 3. caro de carne, Ioh. 3. v. 6. in peccatis mortui, Eph. 2. v. 1. Col. 2. v. 13. omne figmentum cordis est malum ab adolescentia. Genes. 8. v. 21. ex corde prodeunt cogitationes malæ, homicidia, &c. Matth. 15. v. 19. Φρόνημα carnis est inimicitia adversus Deum, Rom. 8. v. 7. Caro concupiscit adversus Spiritum, Rom. 7. v. 7. Gal. 5. v. 17. &c. Ex quibus aliisq; similibus testimoniis abunde constat, vires naturæ humanæ plurimum esse labefactatas per lapsum primorum parentum.*

VIII. Excipit Ostorodus p. 273. 274. Gen. 8. fieri mentionem peccati non originalis, sed voluntarii & actualis: de quo etiam dictum fuerit, Gen. 6. cap. Resp. *Argumentum ibi sumit Deus ab extrema miseria & corruptione humani generis, in hunc modum: Genus humanum peccato est totum infectum, ut omne figmentum cordis sit malum: Quare misericordia utar erga illud, neque ultra perdam diluvio. Quod cum sit evidens, plura non addam.*

IX. De dictis Iobi 4.v.17.c.14.v.1.c.15.v.14.c.25. v.4. ubi hominis immunditia describitur, excipit Osiorodus, p.275. intelligenda comparate, nimirum respectu Dei, & quodammodo hyperbolice: nec omnia probari, quæ in libro eo proferuntur. Resp. *Etiam absolute & sine ulla hyperbole homo immundus est, ex immundo conceptus semine. Nam qui: quid ex carne natum est, caro est. Iob.3.v.6.*

X. Ex Ps.51.v.7. Ecce in peccatis conceptus sum, &c. excipit Osiorodus, p.276. locum esse alienum, esse locutionem figuratam hyperbolicam: voluisse Davidem sua peccata extenuare, tanquam profecta ex infirmitate humana: loqui de se solo, non de aliis hominibus: falsum enim esse, in uno quoque hominum pravam concupiscentiam & desiderium peccandi esse oportere. Resp. *David ante tribunal Dei agnoscit & fatetur sua peccata, & eorum veniam petit. Progreditur igitur ad primum fontem omnium peccatorum, nempe conceptionem peccato infectam. Et non accusat peccata parentum, sed sua propria. Nec est in Hebræo numerus pluralis:* In peccatis: *sed singularis: in peccato & iniquitate. Et hanc confessionem habent cum Davide communem omnes sancti, qui non blandiuntur sibi ipsis in extenuandis suis peccatis, sed toti sunt in amplificanda magna misericordia Dei. Nihil igitur hic hyperbolicum, sed cor apertum coram Deo. Et mentitur impie, quisquis in peccatis se conceptum inficiatur. Peccator enim pater non generat filium nisi peccatorem, hoc est, caro carnem. Sicut Adam conditus ad imaginem Dei,*

Dei, post lapsum dicitur generasse filium secundum imaginem (non Dei, quam miserat, sed) suam, Genes. 5. v. 3. Quod jam audiemus (tanta vis veritatis est,) fatentem ipsum Ostorodum.

XI. In obscurando loco primario, Rom. 5. v. 12. In quo omnes peccaverunt: multum laborat Ostorodus, p. 277. & seqq. quem dicit intelligendum non de originali peccato, sed de pravis operibus. Quodqve dicit Apostolus, per unius inobedientiam multos factos esse peccatores: exponit hoc modo: factos esse peccatores, id est, ita cum eis esse actum, quemadmodum agi soleat cum peccatoribus, pag. 278 quod conatur probare ex collatione Adami & Christi ibidem proposita, pag. 279. Vnde infert, nullum esse peccatum originale: sed necessitatem moriendi per peccatum Adami in nos profluxisse. *Nemo enim*, inquit, *alterius conditionis, sive status esse potest, quam est ipsius pater. pag. 280.* Resp. *Ergo, ut ex ultimo theoremate Ostorodi concludam, patris peccatoris filius non potest non esse peccator: quæ est certissima veritas. Eamdem D. Paulus ita confirmat: Ex peccato est mors. Omnes autem homines moriuntur. Ergo omnes homines sunt peccatores. Et hoc modo confert Christum & Adamum, quod ex uno Adamo sit mors per inobedientiam sive peccatum: & ex uno Christo justitia & vita, per obedientiam. Nota etiam in v. 8. hanc comparationem: Per unius,* inquit, *Adami delictum est condemnatio in omnes homines: Et per unum Christum in omnes justificatio vitæ. Non autem condemnantur a Deo justius-*

NB.

fisimo n si peccatores proprie dicti. Omnes homines in Adamo (peccante) condemnantur. Ergo omnes homines in Adamo peccarunt. Plura qui desiderat de hoc loco, adeat commentatores. Dignus certe est, qui diligentissime expendatur, non solum propter Photinianorum Φλυαρίας, sed etiam corruptelas Bellarmini, & sophismata Samuelis Huberi: qui saltum faciunt ex medio sive tertio comparationis Apostolicæ, & prorsus alienam attexunt applicationem. Apostolus in eo versatur, ut primam originem ostendat mortis in Adamo, & vitæ in Christo. Hic subsiste: neque trahe ulterius.

ARTICVLVS XIX.

DE CAVSA PECCATI.

Necessitatem articuli huius proponendi peperit Papistarum accusatio, qua Lutherum, & Philippum gerebant, quasi cum Simone Mago, Marcione, VViclepho statuerent omnia fieri necessario, unde clamabant ibi consequi, Deum esse peccati authorem. Quod longe secus esse his verbis testatum reddunt Confessores.

De causa peccati docent, quod tametsi Deus creat & conservat naturam, tamen causa peccati est voluntas maiorum, videlicet Diaboli & impiorum, quæ non adjuvante Deo, avertit se a Deo,

Deo, ſicut Chriſtus ait, Ioh. 8. Cum loquitur mendacium, ex ſeipſo loquitur.

I.

Iudicium Cæſaris & Principum.

Articulus decimus nonus itidem probatur & acceptatur. Deus enim ſumme bonus, non eſt author malorum, ſed voluntas rationalis defectibilis cauſa eſt peccati. Quare nullus ſcelera ſua & facinora imputet Deo, ſed ſibi, &c.

Andreas Fabricius Leodius *articulum approbat, & invehitur in Melanchthonem, ex cujus commentario primo in Epiſtolam ad Romanos adducit dicta quædam, ut oſtendat Philippum ſibi hic eſſe contrarium. Quam accuſationem repetit etiam* Iohannes Cochlæus, & Iohannes Hoffmeiſterus. *Ipſum porro hunc articulum omnes approbant. Et initicit* Georgius Caſſander *mentionem libri Lutheri de ſervo arbitrio, & nonnulla attexit de divina præſcientia.*

Nos recte cenſemus, & de Luthero & de Melanchthone judicium faciendum eſſe ex publica hac Confeſſione, quæ poſtea in commentario in Geneſin perſpicue declarata eſt: juxta quam ipſe Lutherus petiit cætera ſua ſcripta explicari. Vide c. 26. comment. Latini.

II.

EXEGESIS.

I. Memorabile eſt dictum D. Baſilii in homilia: Quod Deus non ſit cauſa malorum: *Non minor eſt blaſphemia*, inquit, *aſſerere Deum cauſam*

sam peccati, quam negare Deum. Fuere tales blasphemi & ante natum Christum, *Syr.15.v.11.12.* & post Christi in hunc mundum adventum. Et primo quidem tempore Apostolorum, quod colligitur, *ex Iac.1.v.13.* postea vero etiam Valentiniani, & Marcionitæ, & Manichæi: de quibus legi potest præter alios Irenæus, & Augustinus. Nec desunt hodie, qui blasphemiam istam non dico excusare, sed argumentis confirmare non erubescunt.

II. Nos contra constanter asserimus, Deum nullo modo peccati causam dicendum esse.

1. Quia Deus est bonus, peccatum in ipso non est, nec peccatum facit, *Matth.19.v.17. Marc.10. v.18. Luc.11. vers.13. Psalm.118.v.1.29. &c.*

2. Peccatum est extra Deum in mundo, non est res in principio condita a Deo, neque ita ordinata, *Psalm.119 v.91. Genes.1.v.31. cap.3.v.6. cap.6.v.5. 6. & 1. Ioh.2.v.16.*

3. Postquam invidia diaboli, *Sap.2.v.24.* & per unum hominem, *Rom.5.v.12.* peccatum introiit in mundum: quando designantur scelera, non fit hoc vel volente vel approbante Deo, sed Deus odit peccatum, & horribiliter irascitur non tantum originali corruptioni, sed & actualibus peccatis, *Psalm.5.v.5. Esa.65.v.12.* Quod vel ex passione dominica perspicitur, in qua ante oculos nobis constituitur immensa illa offensa voluntatis divinæ ex peccato humani generis.

4. Deus non impellit, nec allicit voluntates ad pec-

peccandum, *Iac.1. v.13.* sed Diabolus, *Actor.5. v.3. 1.Thess.3.v.5.*

III. Prima causa peccati est Diaboli voluntas, idque duplici ratione, 1.quia in veritate non stetit, *Iohann.8.v.44.* nec servavit suam originem, *Iudæ 1.v.6.* Sed primus peccavit, Deo nec volente, nec approbante: quia non pepercit angelis peccantibus, *2.Petr.2. v.4.* neque efficiente hoc Deo, quia Diabolus ex propriis loquitur, *Iob.8. v.44.* 2. Diabolus est causa peccati, non tantum quia mendax est, & veritas in eo non est, sed quia est etiam pater mendacii, *Iob.8. v.44.* quia excitat & impellit corda ad peccandum, *1.Iob.3.v.8.* Qui facit peccatum, ex Diabolo non est, *v.12. Iob.8. v. 44. Eph.2.v.2.* Vnde dicitur decipere, seducere, circumvenire, ad malum tentare, implere corda, excæcare, indurare, operari in filiis diffidentiæ, captivare, &c.

IV. Propinqua peccati in homine causa est, propria hominis voluntas: quæ fascinata præstigiis Diaboli, *2.Cor.4.v.4.* præbet se ad omnes ipsius ductus obsequentem. Ita *Eph.2. v.2.* agit in diffidentibus, & laqueis eos ducit, *2.Tim.2. v.6.* Non igitur extra voluntatem hominis ponenda est peccati causa.

V. Quæ de induratione obiici solent, facile explicantur, si in ea consideremus, justum Dei judicium, antegressa peccata punientis, suamque gratiam subtrahentis, & hominem sibi ipsi, imo etiam Satanæ, *juste* permittentis. Quæ divina *permissio* non est otiosa: Sed Deus determinat metas, quo usque

usque permissurus sit, & quamdiu: quando item & ubi repressurus sit impios: Et omnia dirigit ad bonum finem.

VI. Debet etiam notari discrimen inter actionem Dei generalem, & specialem; item inter Dei providentiam, prædestinationem, dispositionem, & præscientiam: quæ præscientia, quia simpliciter notitiam significat, tam de malis, quam de bonis accipitur. Deus enim novit omnia, non autem omnia facit. Cumque variæ consequentiæ texi soleant ex abscondita Dei præscientia, nos meminerimus nobis de Deo sentiendum & loquendum esse, sicut se in verbo suo patefecit.

III.

Errores Papistarum.

I. *Diximus articulum hunc ab omnibus Papistis fuisse approbatum: Sed tamen non est nihil, quod in aliquibus jure desideremus. Bellarminus enim disputat, hominem per peccatum amissa justitia originali, in puris naturalibus constitisse ex carne & spiritu, unde contrariæ propensiones, & præceps ad vitia inclinatio, extiterint, natæ ex ipsius natura, a Deo conditæ conditione. Non magis differt, inquit l. 2. de gratia primi hominis cap. 5. status hominum post lapsum Adæ a statu ejusdem in puris naturalibus, quam differat spoliatus a nudo, neque deterior est humana natura, si culpam originalem detrahas, neq; magis ignorantia & infirmitate laborat, quam esset & laboraret in puris naturalibus condita. Proinde corruptio naturæ*

non

non ex alicujus doni naturalis carentia, neque ex alicuius malæ qualitatis accessu, sed ex sola doni supernaturalis ob Adæ peccatum amissione profluxit. Hactenus Bellarminus, rebellionem in homine referens ad ipsam naturam a Deo conditam, ac proinde naturæ authorem, hoc est, Deum constituens causam istius rebellionis, quam vere esse peccatum, liquet ex oppositione Apostolica, Gal. 5. v. 17. Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, Rom. 7. v. 7. Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces.

II. *Idem Bellarminus libr. 2. de gratia & libero arbitrio cap. 8. Credimus*, inquit, *Deum absoluta voluntate velle salvare multos tum parvulos, tum adultos, & absoluta voluntate alios non velle salvare, tum parvulos, tum adultos. Quæ absoluta voluntas non salvandi, quomodo peccati causa statuatur, ex iis, quæ de Calvinianorum absoluto decreto mox dicemus, patere potest.*

III. *Costerus in Enchiridio: In cade*, inquit, *quam committit latro, Deus operatur cum latrone, hominemque occidit, peccatum autem homicidii latro solus committit, non autem Deus. Quo modo hæc ad amussim concordent cum mente Zvvinglii jam videbimus.*

IV.

Errores Calvinianorum.

I. *Ita Zvvinglius sermone de providentia, cap. 5. Anno 30. Nomen ipsum auctor est eius, quod nobis est iniustitia*, illi vero nullatenus est, cap. 6.

Quod

Quod Deus *operatur* per hominem, hominis vitio vertitur, non etiam Deo. Item: Vnum atque idem *facimus*, puta adulterium, aut homicidium, quantum *Dei est auctoris*, motoris, impulsoris, opus est, crimen non est: quantum autem hominis est, crimen ac scelus est. Item: Movet (Deus) latronem ad occidendum, innocentem etiam ac imperatum ad mortem. Item: At inquies, *coactus est homo ad peccandum*: permitto, inquit, coactum esse, &c.

II. Sic *Calvinus*: Vt Domini (Dei) est, illorum (Diaboli & improborum) furorem armare, & convertere destinareque quo libuerit: *lib. 1. instit. c. 17. §. 11. & cap. 18. §. 1.* Nihil efficiunt homines (loquitur de excæcatione) nisi arcano Dei nutu, & §. 2. Et certe nisi intus *operaretur* (Deus) in mentibus hominum, non recte dictum esset, auferre labium a veracibus, &c. Et paulo post, Assyrios dicit certa Dei destinatione *impulsos*: loquitur autem de ipsorum scelleribus. Item: *a Deo ipso*, inquit, *manat efficacia erroris*, ut mendaciis credant, & §. 4. Homo, inquit, justo Dei *impulsu*, agit, quod tibi non licet, *lib. 3. instit. c. 23. §. 4. & 7.* dicente, affirmat, voluntate Dei decidisse omnes filios Adam: &, *decretum fuisse a Deo, ut sua defectione periret Adam.* Et paulo post: Vnde factum est, inquit, ut tot gentes una cum liberis eorum infantibus æternæ morti involveret lapsus Adæ absque remedio, nisi quia Deo ita visum est: *Decretum* quidem *horribile*, fateor, inficiari tamen nemo potest, quin præscierit Deus, quem exitum esset habiturus homo, ante-

NB.

antequam ipsum concederet, & *ideo præsciverit, quia decreto suo sic ordinaverat. Et §. 8.* Cadit homo, Dei providentia sic ordinante. Et, §. 9. ait, ex Dei ordinatione reprobis *peccandi* iniectam esse *necessitatem.*

III. *Theodorus Beza in Colloq. Momp. pag. 527.* Oportuit Hevam per serpentem persuaderi, ut legem transgrederetur: Item: Non temere cecidit homo: sed ex providentia Dei. Quia evenire *oportuit*, quod Deus decrevit. *Et pag. 517. Lapsus* est primus homo *necessario*, quoad Deum. Item: Deus vasa iræ ad æternum interitum *creavit & præparavit, pag. 532.* Aliquos Deus justo decreto ad æternam damnationem *creavit*, neque unquam dilexit. *Vide etiam secundam partem Responsionis ad Colloquium Mompelg. pag. 153. 154.* ubi scribit, Deo sic ordinante lapsum esse Adamum, *pag. 155.* ubi dictum illud aureum D. Apostoli ad *Eph. 1. v. 11.* Deus omnia facit (ἐνεργεῖ operatur, efficit) voluntatis suæ consilio: ad lapsum Adæ etiam pertinere affirmat *pag. 197.* Fatendum est, inquit, a Deo, voluntates etiam malas, non tantum universaliter, sed expresse certo & fixo divinitus momento ad hoc vel illud agendum agi. Hoc autem non aliter potest fieri, quam Dei voluntate & decreto. Idem primo volumine, fol. 417. Quod subiicis, Deum non tantum ad damnationem, sed etiam *ad causas damnationis prædestinasse* quoscunque libuerit, verum esse agnoscimus.

IV. *Petrus Martyr in Epistolam ad Romanos, cap. 1.* Non possumus inficiari, inquit, Deum quo-

quo modo esse *causam peccati*. Idem repetit cap. 5. Vbi autem dicit, indurationem exerceri interdum a Deo *immediate*: ac proinde *Deum esse indurationis causam*: Et indurationem esse effectum a voluntate Dei. Vtitur etiam phrasi Zvvinglii: Deum *incitare, monere, & impellare* diabolum & homines ad mentiendum, &c.

V. Hieronymus Zanchius eodem modo loquitur: Deum indurare homines *interna*, sed ineffabili actione, eaque vel *immediate* per se, vel mediate per ministerium Satanæ eos in cœcitatem, obdurationem, & prava desideria *impellendo*, sed non cogendo.

VI. *Grynæus in Thesauro Orthodoxæ fidei, classe 1. loc. 15. thes. 1.* Deus, inquit, *ἐνεργεῖ*, id est, efficaciter agit seu efficit *omnia* secundum consilium voluntatis suæ (etiam lapsum Adæ, ut ex Beza supra audiebamus.) *Thesis 4.* Consilium hoc actuosam & effectricem vim habet in omnibus. *Thesis 6. & 18.* Vniversalis particula (*omnia*) in hoc Pauli dicto, nulla prorsus quantulacunque exceptione restringi potest: quin Deus ea in parte constituatur otiosus ex Epicuri dogmate. Thes 8. Non tamen consequitur, Deum esse auctorem peccati. *Thes. 13.* Quia *demum in instrumentorum specie cadit bona vel mala actionis discrimen, &c.* Pia scilicet & bella oratio: *Deus omnia efficaciter agit seu efficit, etiam ea, quæ mala sive peccata sunt: sed tamen Deus non est auctor peccati. Ponit definitionem, & definitum negat.*

VII. *Spind-*

VII. *Spindler fol.*189.426. 451. ait a Deo *impelli & trudi* homines ad omnia, quæ agunt, (sive bona sive mala) *Rennecher fol.*32, & 41. scribit: Deum arcana vi, tanquam occulto fune trahere homines, alioqui nescios, &c. sicut sagittæ ad emittentis scopum sine ullo suo sensu perveniunt, &c.

VIII. *Piscator in præfatione disputat. de prædestinatione, pag.*8. Sancte, inquit, ad flagitia *impellit* Deus, ut flagitiis flagitia puniat, p.11. Vi consilii Dei fieri aliter non poterat, quin peccarent primi parentes. *Thes.*77. & 33. Hoc consilio condidit (Deus primos parentes) *ut re ipsa laborentur*. Alibi Deum scribit esse auctorem incredulitatis: idque argumentis conatur demonstrare.

Pareus in Irenico *cap.*28. *art.*3. *p.*248, responsurus ad gravissimam hanc accusationem, quod nimirum doceant Calviniani, Deum peccata impiorum velle, omniumque peccatorum nostrorum esse authorem, nec tantum ea permittere, sed etiam efficere: primo affert calumniam a Pelagio impactam Augustino, cur hanc nostram dicit esse similem criminationem. Deinde scripturæ phrases cumulat, quod Deus indurarit cor Pharaonis, perverterit corda Aegyptiorum, dederit Spiritum mendacem in ora Prophetarum, dixerit Simei: Maledic Davidi: errare fecerit Israelitas, seduxerit Prophetas, excœcarit corda, tradiderit gentes suis cupiditatibus, immittat efficaciam erroris, impulerit Davidem, ut numeraret populum: Ex quibus tamen non sequatur, scripturam sic lo-

quentem facere Deum authorem peccati: id quod Pelagianos & nos concludere affirmat: Præoccupat autem, p. 250. nos istas phrases interpretari de permissione: Et respondet, nos eo ipso torquere scripturas, talesque glossatores non esse ferendos. Esse enim præposteros bonitatis Dei vindices, & Deum deponere de throno, nec judicem mundi esse sinere. Denique tria dicit considerari oportere in operibus malorum: 1. actionem sive motum. 2. malitiam & ἀταξίαν. 3. occulta Dei judicia. Primum & tertium refert ad Deum. De secundo dicit, anathema esse, qui malitiam & ἀταξίαν motuum a Deo esse dixerit.

Resp. 1. *Non criminatur aut calumniatur, qui dicit quod res est, ad detegendos errores, & vindicandam veritatem.*

2. *Nusquam Augustinus dixit aut scripsit, Deum cogere, impellere, instigare ad peccandum, procurare peccata, esse authorem incredulitatis, iniustitiæ, adulterii homicidii, creare nos ut labamur, decernere, ordinare velle, ut labamur, &c. quæ admodum docent Calviniani. Quare cum Pelagianorum calumnia quicquam nobis commune esse quisquis affirmat, calumniatur.*

3. *Scripturæ phrases interpretantur ex ipsa scriptura, tum quoad rem ipsam, tum quoad loquendi modum. Deum agnoscimus & veneramur summum omnium actionum gubernatorem, & judicem, & Dominum: qui cum sit ipsa bonitas, justitia, & sapientia: odit, prohibet, & damnat omne malum, tanquam naturæ suæ contrarium. Et tam*

Deus

Deus facere malum sive peccatum non potest, quam non potest non esse Deus. Generale enim axioma est Apostolicum: Qui facit peccatum, ex Diabolo est, *1. Ioh. 3. v. 8. Neque Deus dicendus ex lex: qui, cum sit ipsa justitia, omnium justarum legum ideam exhibet in sese perfectissimam: ut ex decalogo, in quo divina voluntas declaratur, constare potest. A superiore quidem, quem nullum habet ipse summus, legem non accipit, cui subjiciatur, sed est ipse, ut dixi, sua sapientia, bonitas & justitia; cui quicquid conforme non est, sapiens, bonum, & justum esse nequit.*

4. *Dicitur ergo Deus indurare, aggravare, excecare, pervertere, seducere, immittere efficaciam erroris, &c. tanquam justissimus judex propter antegressa enormia peccata, id quod Pareus negari non potest. Quemadmodum enim omne peccatum committitur in ipsum Deum, immediate vel mediate: ita ipse Deus summus est peccatorum omnium judex.*

5. *Indurat autem Deus, excecat, seducit, &c. non efficaciter duritiem, cecitatem, errorem creando, immittendo sive infundendo (sic enim quam maxime proprie dicendus foret Deus causa principalis efficiens istius duritiei, cecitatis atque erroris: neque posset dici induratio & excecatio pœna antegressorum peccatorum, si cor molle Deus faceret durum, & mentem lucidam tenebris obrueret, &c.) sed duritiem, cecitatem, & errores in hominibus juste sic puniendo, ut gratiam suam iis subtrahat, eosque a se desertos potestati Satanæ, sibiq;*

ipsis relinquat : quod ubi fit, ruunt de scelere in scelus, ut in historia Pharaonis luculente cerni potest : Qui propria malitia & pravorum ministrorum, ad eos etiam Satanæ instinctu excitatus tyrannice premebat Israelitas : a quo peccato retractus ministerio Moysis & Aaronis Deo non obediebat, sed pertinaciter repugnabat, seque ipse obfirmabat in suo proposito persequendo, neque dum in mari cum suis suffocaretur: ut ex historia Exodi liquet, a capite 1. usq; ad 15. Quam expositionem approbat tota pia antiquitas, cujus testimonia extant.

VI. *Scriptura igitur seipsam interpretatur hoc modo, ut verba illa activa* (errare nos fecisti : induraſti cor noſtrum: Esa. 63. v. 17.) *de Deo usurpata exponat de permissione, Ps. 81. v. 13. Non audivit populus meus vocem meam, v. 16. Et* permisi *eos secundum desideria cordis eorum, Actor. 14. v. 15. Deus præteritis generationibus* sivit *gentes ingredi vias suas, 1. Corinth. 10. v. 13. Deus non* sinet *vos tentari supra id, quod potestis. Quæ permissio nequaquam dicitur de Deo, tanquam otioso spectatore eorum, quæ fiunt, sed multa complectitur, ut luculente potest colligi ex historia Iobi cap. 1. & 2. Nam ibi Deus permittit Satanæ potestatem affligendi Iobi, sed eandem simul limitat sive determinat, ut patet cap. 2. v. 12. & cap. 2. v. 6. & ad certos fines dirigit. Vbi nota phrasin Iobi cap. 1. v. 12.* Dominus dedit, *inquit,* Dominus abſtulit. *Dicit Dominum abstulisse, quæ Chaldæi abstulerant, Domino permittenti : nimirum quia Dominum agnoscit gubernatorem omnium rerum, sine cujus per-*

permissione nihil quicquam fieri potest: itemque sapientiam eius & bonitatem admiratur, quæ omnia diriguntur in bonum. Vnde patet, permissionem divinam esse a causa efficiente distinctam. Idque fatetur Pareus hoc ipso loco, pag. 250. ubi pro magno absurdo habet, si quis facere *idem dicat notare, quod* permittere, *quem deduco ad vulgatum Calvinianorum argumentum: Omnia fiunt, inquiunt, aut Deo volente, aut nolente seu invito. Atqui nihil fit Deo invito: nemo enim est ipse fortior, a quo cogi possit. Ergo omnia fiunt Deo volente. Quod ubi semel concessum fuerit, oportet Deum constitui omnium peccatorum causam primam & summam. Nam:* Quicquid vult Deus, hoc facit, *Psal. 115. v. 3. Voluntas ergo Dei est causa rerum omnium, quas facit. Quare si peccata fiunt Deo volente: vult Deus peccata, & peccata ipse facit. Quod absit. Non enim Deus volens iniquitatem tu es, Psalm. 5. v. 5. Fatendum igitur est, inter Dei voluntatem, &, ut ita dicam, nolutatem, esse tertium, nimirum permissionem: ut vere dicatur: Quicquid fit, aut fit Deo volente (hoc est, approbante & adjuvante) aut non volente, Psalm. 5. v. 5. hoc est, non approbante quidem, sed tamen, ut fiat, permittente. Nam Deo simpliciter nolente & invito nihil fit, ut diximus. Cur autem Deus peccata fieri permittat, multi solicite inquisierunt: nos causam esse judicamus, quod angeli & homines sint creaturæ præditæ voluntate: cujus voluntatis actum Deus voluit esse liberum. Quo pertinet illud Augustini lib. 7. de* Civit. *Dei, cap. 30.* Sic administrat

omnia Deus, quæ creavit, ut etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinat.

7. *Propius igitur accede, Paree, ut videas, quo fundamento innitatur sententiæ nostræ veritas. Dicit scriptura, Deum excæcare, indurare, errare facere, tradere pravis desideriis, immittere efficaciam erroris, &c. nimirum aut efficaciter operando & efficiendo cæcitatem & duritiem, aut juste permittendo. Tertium non datur. Atqui tu negas, verba illa activa esse ponenda de permissione. Cogeris ergo affirmare, Deum efficaciter operando & efficiendo cæcitatem & duritiem, homines excæcare & indurare. Deus igitur in tua schola, Paree, est causa efficiens cæcitatis & duritiei in hominibus. Delibera nunc tecum, eodemne efficiendi modo Deum dicere velis, lapidea corda emollire, cæcas mentes illustrare: & cæcitatem atque errorem immittere & indurare.*

8. *Attende etiam ad illud: In peccato est, 1. motus, 2. ἀταξία, 3. judicium Dei. Motum & judicium refert ad Deum, idque recte. Vnde vero ἀταξία? Qui a Deo esse dixerit, inquis, pag. 250. anathema sit. Pie. Atqui tu dicis. Nam in indurazione, excæcatione, errore, pravis desideriis, est ἀταξία: quam nos dicimus, Deo permittente, esse a Satana & pravitate hominis. Hanc nostram sententiam tu vocas glossam non ferendam. Verba enim activa notare ait non permissionem, sed operationem efficacem. Ergo consequens est, Deum esse causam efficientem istius ἀταξίας. Disiunctum enim est necessarium: Aut Deus ipse facit ἀταξίαν, aut fieri permit-*

mit.

mittit. Permittere eam Deum tu negas, & nos, qui id affirmamus, scribis torquere scripturas, & esse glossatores non ferendos. Quare in tua schola Deus est author ἀταξίας, & causa princeps.

9. *Vis, ut & primum Calvinianorum fundamentum inspiciamus? Dicunt illi omnia fieri ex absoluto & immutabili decreto Dei: Et voluntatem Dei esse causam causarum omnium. Docent etiam in Dei decreto reprobos esse destinatos non tantum ad damnationem, sed etiam ad peccata. Non possunt igitur, salvis istis hypothesibus, aliter statuere, quam Deum esse causam & authorem peccatorum omnium: idque tam vere & proprie, quam vere & proprie Deus est in electis causa & author fidei & omnium bonorum operum. Par enim est apud Calvinianos ratio decretorum Dei, tum de electione ad vitam, tum de reprobatione ad mortem. Atque hic fons est, ex quo tota illa horribilium blasphemiarum colluvies oritur, quæ in libris Calvinianorum hinc inde sparguntur. Eat nunc Pareus, & vociferetur nos criminari, quando Calvinianos reos sistimus, quod Deum peccati authorem faciant. Vide, si libet, D. Schaaffmanni libros duos controversiarum de peccatorum causis, ubi prolixe totum hoc argumentum pertractatur: & quæ D. Taufrerus contra Piscatorem disputavit.*

V.

Photinianorum doctrina de causa peccati.

I. Detestantur Photiniani impietatem Calvinia-

nianorum, Deum peccati authorem constituentium, & absolutum eorum decretum fortiter impugnant. Perperam autem docent de Dei præscientia, eam non extendi ad futura peccata, quæ dependeant ab hominum voluntate. Præscire quidem Deum concedunt bona omnia, quæ ipse facturus est, & pœnas, quas immissurus est peccatoribus: sed non itidem etiam peccata hominum futura præscire, antequam fiant. Vide Socinum in prælectionibus Theologicis, c. 8. & seq.

II. *Ortus est hic error ex eo, quod negant Photiniani Deum esse simpliciter & absolute infinitum: Vnde negant, esse ipsi omnia præsentia, & ipsum omnia in præsenti intueri; affirmantes, scire eum præterita, tanquam præterita, præsentia, tanquam præsentia, & futura, tanquam futura, &c.*

III. *Opponimus nos perspicua scripturæ testimonia, quæ ostendunt infinitatem, æternitatem, & omniscientiam Dei, quam nihil effugere potest: quæ annotavimus supra in exegesi articuli tertii, tum etiam divinas prædictiones rerum futurarum, quarum plena est scriptura. Tam enim crassus est error iste, ut indicasse sufficiat, absque operosiore refutatione.*

IV. In discrimine peccatorum etiam periculose errant, dum multa esse dicunt, quibus omnis veniæ spes sit præcisa: ut annotavimus articulo 12. de pœnitentia. Cui errori nos opponemus sequentem peccatorum distributionem, quæ talis est.

Pec-

Peccatum est primum vel ortum.

Primum peccatum est protoplastorum in Paradiso: de quo dictum fuit in articulo secundo.

Ortum peccatum est, naturæ prævitas lapsum secuta: & quæ ex ea oriuntur cogitationes, dicta, & facta, divinæ legi contrariæ: Quæ vocari solent peccata actualia: tum interna, tum externa.

Peccatum commissionis vocatur, quando aliquid committitur in lege Deo prohibitum. Vnde sunt tam multa præcepta negativa: ubi sub negatione semper intelligenda est contraria eidem affirmatio: hoc est, peccato quod prohibetur, opponenda est contraria virtus, quæ mandatur. Vt: non dices falsum testimonium: sed studebis dicere veritatem.

Peccatum omissionis est, quando omittitur, sive non fit illud, quod in lege Dei est mandatum: Porro mandari in lege dicitur etiam illud, cujus contrarium est prohibitum. Hoc est, ubi vitia prohibentur, simul virtutes mandatæ intelliguntur.

Quædam peccata fiunt *per ignorantiam Lev. 4. v. 2. & seqq.* Quædam plane *occulta sunt, Ps. 19. v. 13. Ps. 90. v. 8.* h. e. ipsos homines peccantes fugiunt, ut non intelligant. Alio modo peccatum occultum dicitur, hoc est, non manifestum aliis, præter eum, qui commisit. Vnde dictum: *De occultis non judicat Ecclesia.* Huic opponitur notorium sive publicum (alio sensu publicum, hoc est, commune, opponitur privato) de quo notanda regula:

publi-

publicum peccatum publice redarguendum est, 1. Tim. 5. v. 20.

Est & peccatum *proprium*, quod quis ipse facit: cui opponitur *alienum*, quod ab illis committitur: de quo posteriore D. Paulus loquitur, *1. Tim. 5. v. 22. Ne communices peccatis alienis.* Communicamus autem alienis peccatis, ea mandando, suadendo, adjuvando, consentiendo, approbando, defendendo, excusando, reticendo, dissimulando, connivendo, eaque omittendo, quæ ad impediendum, ne fierent, pertinebant.

Scholastici vocant quædam *venialia* peccata, quædam *mortalia*. Quæ distinctio accipienda est cum grano salis. Omne enim peccatum natura sui est mortale, hoc est, meretur mortem: quia committitur contra divinam justitiam: Et nullum peccatum est ex sese veniale: quia offendit justissimum Deum, *Deut. 27. vers. ult. Ezech. 18. v. 4. Rom. 6. vers. ult.* Dicitur autem *veniale* per gratiam Dei ex eventu, & locum habet in solis renatis: & rectius appellatur *peccatum infirmitatis*: Estque peccatum, in quo caro prævaricans a Spiritu reprimitur & cohibetur, ne prævalere & dominari possit. Vnde vocatur *non regnans*. Potest & sic definiri: quod sit prava concupiscentia in renatis reliqua, cui resistunt per Spiritum S. ne perficiatur, *Gal. 5. v. 16.* Debent hic considerari gradus & progressus in peccando, quos scribit S. Iacobus, *cap. 1. v. 14. 15.*

Peccatum *mortale* (regnans *Rom. 6. v. 12.* Aug. vocat vastans sive saucians conscientiam: Alii pec-

peccatum contra conscientiam: sed hoc specialius est, quando quis sciens volensque sive reclamante conscientia peccat) est, in quo caro sua desideria perficit, & dominatur: ac proinde affert mortem. Quod peccatum quando perpetratur a renatis (ut a Davide committente adulterium, & proditorium homicidium) excutitur gratia Spiritus sancti, & amittitur filialis fiducia erga Deum, *1. Cor. 6. v. 9. 10. 1. Ioh. 3. v. 15. Gal. 5 v. 19. 20. 21.*

Inter omnia peccata eminet unum illud, quod vocatur *blasphemia in Spiritum sanctum:* & est agnitæ, & in conscientia approbatæ veritatis Evangelicæ destinato consilio facta abnegatio, cum pertinaci impugnatione, & voluntaria blasphemia conjuncta. A quo peccato, propter extremam cordis indurationem non est regressus ad veram pœnitentiam: unde est & vocatur *irremissibile:* quia est in eo talis & finalis privatio omnium mediorum salutis. Hoc peccatum denotari a Iohanne, *1. Epist. 5. v 15.* plerique interpretes (nec enim nulli sunt, quibus ob certas rationes aliter videtur) censent, dicente: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.*

Patet ex hac peccatorum distributione, non nisi unum esse peccatum irremissibile, nempe illud, quod in Spiritum sanctum, ejusque in conscientia testimonium, destinata & pertinaci malitia committitur. Quare ferendi non sunt Photiniani, Novatianos secuti, præter illud etiam aliis multis peccatis, etiamsi vera pœnitentia agatur, omnem veniæ spem præcidentes. Qui pernitio-

sissi-

fissimus error repugnat divinæ misericordiæ in scripturis commendatæ, satisfactioni Christi, ipsi concioni Evangelicæ, qua ad pœnitentiam agendam omnes homines vocantur, exemplis quam plurimis in Veteri & Novo Testamento, & est certissimum præcipitium ad desperationem.

ARTICVLVS XX.

DE BONIS OPERIBVS.

Vsitatissima est Papicolis calumnia de studio bonorum operum in Ecclesia nostra Evangelica langvescente, adeo ut non dubitent doctrinam nostram traducere, tanquam prohibentem bona opera. Visum igitur fuit confessoribus necessarium, calumniam illam insignem graviter & nervose refutare. Sic igitur loquuntur:

Falso accusantur nostri, quod bona opera prohibeant. Nam scripta eorum, quæ extant de decem præceptis, & alia, simili argumento, testantur, quod utiliter docuerint de omnibus vitæ generibus & officiis, quæ genera vitæ, quæ opera, in qualibet vocatione Deo placeant, De quibus rebus olim parum docebant

cebant Concionatores, tantum puerilia & non necessaria opera urgebant, ut certas ferias, certa jejunia, fraternitates, peregrinationes, cultus Sanctorum, rosaria, monachatum, & similia. Hæc adversarii nostri admoniti nunc dediscunt, nec perinde prædicant hæc inutilia opera, ut olim. Præterea incipiunt fidei mentionem facere, de qua olim mirum erat silentium. Docent, nos non tantum operibus justificari, sed conjungunt fidem & opera, & dicunt, nos fide & operibus justificari. Quæ doctrina tolerabilior est priore, & plus afferre potest consolationis, quam vetus ipsorum doctrina.

Cum igitur doctrina de fide, quam oportet in Ecclesia præcipuam esse, tam diu jacuerit ignota, quemadmodum fateri omnes necesse est, de fidei justitia altissimum silentium fuisse in concionibus, tantum doctrinam operum versatam esse in Ecclesiis, nostri de fide sic admonuerunt Ecclesias.

Principio, quod opera nostra non pos-

possint reconciliare Deum, aut mereri remissionem peccatorum, & gratiam & justificationem, sed hanc tantum fide consequimur, credentes, quod propter Christum recipiamur in gratiam, qui solus positus est mediator & propitiatorium, per quem reconcilietur Pater. Itaque qui confidit operibus se mereri gratiam, is aspernatur Christi meritum & gratiam, & quærit sine Christo humanis viribus viam ad Deum, cum Christus de se dixerit: Ego sum via, veritas & vita. Hæc doctrina de fide ubique in Paulo tractatur, Eph. 2. Gratia salvifacti estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, &c. Et ne quis cavilletur, a nobis novam Pauli interpretationem excogitari, tota hæc causa habet testimonia Patrum. Nam Aug. multis voluminibus defendit gratiam & justitiam fidei, contra merita operum. Et similia docet Ambros. de vocatione Gentium, & alibi. Sic enim inquit de vocatione Gentium: Vilesceret redemptio sanguinis Christi, nec misericordiæ Dei humano-

norum operum prærogativa succumberet, si justificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis.

Quanquam autem hæc doctrina contemnitur ab imperitis, tamen experiuntur piæ ac pavidæ conscientiæ plurimum eam consolationis afferre, quia conscientiæ non possunt reddi tranquillæ per ulla opera, sed tantum fide, cum certo statuunt, quod propter Christum habeant placatum Deum. Quemadmodum Paulus docet, *Rom.* 5. Justificati per fidem pacem habemus apud Deum. Tota hæc doctrina, ad illud certamen perterrefactæ conscientiæ referenda est, nec sine illo certamine intelligi potest Quare male judicant de ea re homines imperiti & prophani, qui Christianam justitiam nihil esse somniant, nisi civilem & Philosophicam justitiam.

Olim vexabantur conscientiæ doctrina operum, non audiebant ex Evangelio consolationem: Quosdam con-

scientia expulit in desertum, in monasteria, sperantes ibi se gratiam merituros esse per vitam monasticam. Alii alia excogitaverunt opera ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis. Ideo magnopere fuit opus, hanc doctrinam de fide in Christum tradere, & renovare, ne deesset consolatio pavidis conscientiis; sed scirent, fide in Christum apprehendi gratiam, & remissionem peccatorum, & justificationem. Admonentur etiam homines, quod hic nomen fidei non significet tantum historiæ notitiam, qualis est in impiis & diabolo, sed significet fidem, quæ credit non tantum historiam, sed etiam effectum historiæ, videlicet hunc articulum: Remissionem peccatorum, quod videlicet per Christum habeamus gratiam, justitiam, & remissionem peccatorum.

Iam, qui scit, se per Christum habere propitium Patrem, is vere novit Deum, scit se ei curæ esse, invocat eum, denique non est sine Deo, sicut gentes.

Nam

Nam diaboli & impii non possunt hunc articulum credere, remissionem peccatorum: Ideo Deum tanquam hostem oderunt, non invocant eum, nihil boni ab eo expectant. Augustinus etiam de fidei nomine hoc modo admonet lectorem, & docet in scripturis nomen fidei accipi, non pro notitia, qualis est in impiis, sed pro fiducia, quæ consolatur & erigit perterrefactas mentes.

Præterea docent nostri, quod necesse sit bona opera facere, non ut confidamus per ea gratiam mereri, sed propter voluntatem Dei. Tantum fide apprehenditur remissio peccatorum ac gratia. Et quia per fidem accipitur Spiritus sanctus, jam corda renovantur, & induunt novos affectus, ut parere bona opera possint. Sic enim ait Ambrosius: Fides bonæ voluntatis, & justæ actionis genitrix est. Nam humanæ vires sine Spiritu sancto, plenæ sunt impiis affectibus, & sunt imbecilliores, quam ut bona opera possint efficere coram Deo. At hæc sunt in potestate Diaboli, qui impellit homines, ad

varia peccata, ad impias opiniones, ad manifesta scelera: Quemadmodum est videre in Philosophis, qui & ipsi conati honeste vivere, tamen id non potuerunt efficere, sed contaminati sunt multis manifestis sceleribus. Talis est imbecillitas hominis, cum est sine fide, & sine Spiritu sancto, & tantum humanis viribus se gubernat.

Hinc facile apparet, hanc doctrinam non esse accusandam, quod bona opera prohibeat, sed multo magis laudandam, quod ostendit, quomodo bona opera facere possimus. Nam sine fide nullo modo potest humana natura primi aut secundi præcepti opera facere. Sine fide non invocat Deum, a Deo nihil expectat, non tolerat crucem, sed quærit humana præsidia, confidis humanis præsidiis. Ita regnant in corde omnes cupiditates, & humana consilia, cum abest fides & fiducia erga Deum. Quare & Christus dixit: Sine me nihil potestis facere, *Iob.* 15 Et Ecclesia canit: Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium.

I.

Desumptus est hic articulus ex cap. 6. inter 17. D. Lutheri, cujus integra verba recitata sunt supra articulo 6. ubi vide.

II.

Caroli Cæsaris, & Principum ad articulum vigesimum responsio.

Reiiciunt illi denuo & improbant sententiam, supra etiam propositam articulo sexto, de operibus, quod non mereantur remissionem peccatorum. Asserunt autem quædam scripturæ testimonia, quibus promittitur bonis operibus recompensatio. Vnde inferunt, opera illa esse meritoria. Et ut accusationem effugiant, de neglecto merito Christi, expresse testantur, opera nostra nulla esse, nullius meriti, nisi in virtute meriti passionis Christi.

Ad quæ omnia paucis respondemus: primo quidem, operum nostrorum merita frustra adstrui ex gratuitis promissionibus divinis: in quibus paterna potius Dei benignitas debebat commendari, quam operum, quæ jam ante debentur Deo, & multis modis imperfecta sunt & contaminata, dignitas & merendi virtus. Deinde vero causa finalis Elenchus manifestus committitur, quando meritò passionis dominicæ assignatur hic usus, ut per illud opera nostra virtutem merendi consequuantur. Quam opinionem omni carere scripturæ fundamento certum est: cujus hic scopus summus est, Christi nobis commendare obedientiam, ut in ipso

& per ipsum remissionem peccatorum habeant, quicunq; vera fide ipsum amplectuntur, Actor.4. v. 10.13.15. Rom.3. &c. ita sanguinem Christi nos emundare a peccatis affirmant sacræ literæ : eundem autem nostris operibus conciliare virtutem merendi salutem, nusquam attestantur. Et profecto sacrilegum est, honorem uni Christo debitum missellis operibus humanis transscribere velle : præsertim cum oppositio illa apud D. Paulum perpetua sit, non ex operibus, sed ex gratia Dei per fidem nos justificari: ut fusius demonstratum fuit supra articul.4.

Andreas Fabricius Leodius *articulum hunc dici complecti summam quinti Evangelii : & plenis buccis invehitur in Lutherum, quem blasphemum Apostatam indigitat, qui venerit legem solvere, & prorsus ex hominum animis extinguere. Tum propositionem de sola fide justificante aggreditur, & longa oratione impugnat, vocans insaniam, quod Lutherus scripserit, mala opera malum hominem non facere. Denique de meritis operum fuse disserit, illa a benedicti sanguinis Christi effusione sortiri effectum : & optime stare cum fide Catholica posse.* Vbi, si dicam, ad ipsum fontem remissionis peccatorum, quem in Christi sanguine ipsi collocant Pontificii, penetrare satius esse, quam propriis confidere operibus, quæ & ipsa per se, absque sanguinis Christi virtute nulla sunt, & mereri nihil possunt, quid tandem excipient? Neque statim tollit legem, qui negat, eam vim habere nos justificandi. Et profecto rectius sibi & aliis

aliis consulunt, qui fidei fructus edunt uberrimos, seque exemplaria proponunt vere piorum hominum, vera humilitate in viis Domini ambulantes, quam isti, in quibus, præter verba de operum meritis, nihil veri boni operis apparet. Qui si insaniam vocant, negari mala opera malum hominem, ad Christi verba revocari debent, Matth. 7. v. 37. ubi a fructibus docet arborem esse cognoscendam. Neque enim fando auditum est, fructum facere arborem, sed contra arbor, tanquam causa, profert fructus, tanquam effectum. Quem ordinem cum inculcare vellet D. Lutherus, verissime scripsit, mala opera non facere malum hominem, sed contra hominem malum facere mala opera, quemadmodum putris arbor profert putres fructus.

Iohannes a Daventria *repeti dicit superiora, ut nova censura opus non sit. Accusat autem Lutherum, quod a bono opere tanquam a peccato abstinendum putaverit: Et blasphemiam vocat non ferendam, quod nuda fide propter Christum contingat remissio peccatorum.* Quo quidem modo certum est & ipsum Christum, & totum Evangelium damnari: cujus hæc summa est, quod per fidem in Christum habeamus remissionem peccatorum. Hinc illa ipsius Christi verba: Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua. Fiat tibi, uti credis: aliaque similia, quæ passim occurrunt. Et ostendit viva praxis apud omnes vere fideles, nullum aliud solidæ consolationis

fundamentum, adversus accusationem legis & peccatorum, quam in Dei misericordia filiali fide apprehendenda, monstrari & inveniri posse.

Iohannes Cochlæus *itidem impugnat novum, quod vocat, de sola fide Evangelium: & de operum meritis disputat, prodire ea a Christo: quem solum dicit esse mediatorem per redemptionem, sanctos autem in cœlo esse mediatores per intercessionem, dispositive ac ministerialiter. Tum disputant de fide discrimen statuit in apprehensione. Nam apprehendere*, inquit, *duo significat: unum intellectu cognoscere aut capere, alterum reipsa capere aut accipere. Et sic veram esse concedit propositionem: sola fides accipit promissionem, & remissionem peccatorum, hoc est, cognoscit: falsam autem hoc sensu: sola fides accipit, hoc est, realiter acquirit. Tandem concludit per solam & phantasticam novæ Theologiæ fidem nunquam nos justificari: & nusquam dicere Paulum, sola fide nos justificari.* Sed de hac propositione, eiusque fundamentis diximus supra art. 4. §. 19. p. 178. & de fide iustificante eodem loco, quod non sit tantum notitia in mente, sed inprimis filialis fiducia in corde: sicut inquit D. Paulus, Rom. 10. v. 10. corde creditur ad justitiam. De Christo autem mediatore unico & intercessore, in art. 3. disputatum fuit, de quo D. Iohannes 1. Epist. 2. v. 1. Advocatum, inquit, habemus apud Patrem, Iesum Christum justum.

Iohannes Hoffmeisterus *post flagellatum Lutherum & Melanchthonem, docet, merita bonorum ope-*

operum manare ex merito Christi : cuius opinionis falsitatem paulo ante demonstravimus.

Georgius Cassander *refert sese ad articulum sextum, & novi nihil hic affert.*

III.

EXPLICATIO.

Oppositus est hic articulus inprimis calumniæ de studio bonorum operum in Ecclesiis nostris plane abiecto. Repetit igitur integram doctrinam de vera & viva fide in Christum, qua sola justificamur: cuius certissimos fructus esse bona opera ostendit, & cur, & quomodo ea facienda sint, explicat.

IV.

EXEGESIS.

Quomodo autem in utraque illa parte ab Augustana Confessione & Pontificii discedant, & Calviniani, supra articulo 4. & 6. ostensum fuit: ut nulla sit hoc loco opus nova repetitione.

V.

Photinianorum doctrina de bonis operibus.

I. Summam salutis in studio bonorum operum collocant Photiniani, adeo ut ipsam etiam fidem per obedientiam mandatorum Christi definiant Catechesis Racovienſis, *p. 246. 247. Perfecta* autem *mandata Dei per Christum patefacta* ita distinguunt, ut eorum partem dicant contineri in præceptis a Mose traditis, una cum iis, quæ sunt eis in novo fœdere addita: partem in iis, quæ

quæ peculiariter ipse Christus præscripsit: pag. 131. 132. Relictis igitur legibus ceremonialibus & forensibus, quas abolitas concedunt, p. 134 135. decalogo quædam præcepta a Christo addita esse contendunt, p. 137. & quidem primo præcepto, duo. *Prius* est, quod nobis certam orandi rationem præscripserit, p. 140. cuius orationis dominicæ sex petitiones constituunt: tres priores gloriam Dei respicientes, tres posteriores ad nostros usus relatos, pag. 140. Septimam enim petitionem sextæ includunt, pag. 144. *Posterius* est, quod etiam Dominum Iesum pro Deo agnoscere teneamur, id est, pro eo, qui in nos potestatem habeat divinam & cui nos divinum exhibere honorem obstricti simus, pag. 146. ad quem honorem etiam referunt administrationem cœnæ ipsius, ibid. Docent autem permagnum esse discrimen inter honorem & cultum Dei, & Christi. Adoramus & colimus Deum, inquiunt, tanquam causam primam salutis nostræ, Christum tanquam secundam: aut, ut cum Paulo loquamur, Deum tanquam eum ex quo omnia, Christum, ut eum, per quem omnia, pag 151.

Errores definitionis fidei Photinianæ præcipuos ostendimus supra articulo quarto de justificatione, p. 110. & seqq. ubi vide etiam illa, quæ monstrant, Christum non venisse tanquam novum legislatorem, ut novis præceptis operum nos denuo obstringeret, sed ut legem impleret, tum vindicando a Pharisæorum corruptelis, & veram ejus mentem

tem

tem explicando, tum in vita & morte perfecte eam observando, ut ab ejus maledictione nos liberaret, & Spiritu sancto nos donaret, & ut ipsi novam obedientiam inchoaremus, plenam & perfectam in æterna vita præstituri. Implevit ergo Christus legem, non tanquam imperfectam novis præceptis perficiendo (tam enim perfecta lex semper fuit, ut in ea victurus fuerit, quisquis totam servasset, Deut.28.vers.1. cap.30. vers.19.20. Ezech.20.vers.11. Galat.3.v.12.) sed vere tam interpretando, & totam sanctissime observando, uti dixi. Quare novum præceptum dici non debet oratio dominica: quæ est precandi formula singularis, & quasi compendium omnium precationum, continens universa summatim, quæ ad Dei gloriam pertinent, & nostram salutem. Neque nova sunt, quæ in ea petere a Deo jubemur. Eadem enim Patriarchæ, Prophetæ, pii reges, & alii fideles in veteri Testamento eodem modo petierunt, ut vel ex uno psalmorum libro est evidens. Deinde & illud planum est, Christum esse a nobis pro vero Deo agnoscendum & colendum ideo, quia vere est Deus benedictus in secula: de cujus divino honore plurima sunt & luculentissima testimonia etiam in Veteri Testamento: de quibus vide supra articulum tertium, pag.93. & seqq. Obiter notamus argumentum Photinianis ex primo præcepto opponendum: Qui Deus in primo præcepto nobis agnoscendus & colendus proponitur: est unus ille verus & æternus

Deus

Deus, uti constat inter omnes. Atqui Christus est ille Deus, qui in primo præcepto nobis agnoscendus & colendus proponitur, ut fatentur Photiniani. E. Christus est unus ille verus & æternus Deus. *Ineptum igitur & plus quam puerile est, gradus fingere in divino cultu, ut superior Deo, inferior Christo assignetur: ex quo tandem consequetur, duos esse deos, unum superiorem, alterum inferiorem. Etenim adorationis fundamentum consistit in ipsa deitate infinite bona, sapiente, & potente. Vnde eum, qui odoratus est religiose, oportet esse infinite bonum, sapientem, & potentem, hoc est, vere Deum, sicut scriptum est, Matth. 4. v. 10. Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies. Quare Christus si est adorandus, ut vere est adorandus, & sancte pieq; ab omnibus fidelibus adoratur, est vere Deus: Ac proinde etiam salutis nostræ causa prima & summa: ut non tantum per & proprie non salvemur, sed ipse nos salvet, Matth. 1. vers. 21. & vere sit & celebretur salvator unicus humani generis, benedictus in secula.*

II. Secundo præcepto (ut Photiniani cum Calvinianis numerant) de imaginibus, dicunt a Christo hoc additum: ut non solum imagines non adoremus, verum etiam easdem prorsus fugiamus, 1. Ioh. 5. 21. 1. Cor. 8. & cap. 10. v. 14. Catechesis Racov. p. 158.

Quasi vero in veteri Testamento non fuerit severissime prohibita idololatria: ob quam Iudæi sæpissime puniti fuerunt divinitus: teste Mose & Pro-

Prophetis. Habere autem imagines sine cultu, Christianis prohibitam non legimus.

III. Tertio præcepto additum dicunt, 1. quod etiam Christum in testimonium vocare possimus. 2. quod nobis non solum pejerare non liceat: verum etiam ac in veris quidem jurare, nisi longe gravissimis causis adactis: iisque quibus Dei gloria nitatur, ad idque non temere, verum cum magno Dei metu & cautione summa accedendum. pag. 159.

Christum in testimonium vocamus, ut verum, omniscium, & justum Deum. Et prohibet hoc præceptum generatim, sine ulla exceptione, omne juramentum vanum frivolum, atque fallax, Exod. 29. v. 7. Levit. 19. v. 12. Deut. 5. v. 11. Quare falsum est, quod Catechesis habet. p. 160. 161. Legem Mosaicam non prohibuisse juramenta spontanea, & a levitate profecta, modo vera essent. Legis enim generalis, adeoque universalis (universos enim homines constringit, & universalem obedientiam requirit in omnibus, sine ulla conceptione) verba generatim intelligenda sunt. Quare nomen Dei nullo modo est assumendum in vanum, ac proinde nec in juramento.

IV. Quartum præceptum (de Sabbato colendo) sublatum esse sub Novo Testamento, quemadmodum alias ceremonias ceulent: ut appareat, absolutissimam legis Mosaicæ partem non fuisse perfectam, pag. 162. ibidemque negant, Christum constituisse, ut diem dominicum Sabbati loco obiremus, sed esse hos positum aiunt in Christiana libertate, p. 162. Mo-

Morale *est in hoc præcepto: certum tempus esse tribuendum divino cultui*: ceremoniale *fuit de die septimo mandatum. Hoc sublatum est exhibito Christo, Col. 2. v. 16. illud manet perpetuum. Nulla vero hinc imperfectio existit in lege morali, quæ est immutabilis. Vmbra autem cessavit, præsenti corpore.*

Ab Apostolis celebratum fuisse diem dominicum, in memoriam resurrectionis dominicæ apparet ex Apoc. 1. v. 10. quem & nos boni ordinis causa retinemus. Obiter quæro ex Photinianis: sitne implere quartum præceptum, & tollere quartum præceptum, unum idemque? Perficere enim est in perfectiorem statum deducere: quod fecisse dici non potest, qui rem tollit & abolet. Et aperte dicit Christus, Matt. 5. v. 17. Non veni solvere legem, sed implere. Num implere & abolere sunt synonima?

V. Quinto præcepto (ordine Photiniano: de honorandis parentibus) nihil additum putant, pag. 165.

Vnde consequens erit, illud præceptum Christum non impleviſſe sive perfeciſſe: siquidem implere, ex ipsorum definitione, est ex imperfecto perfectum reddere. Osterodus, p. 150.

VI. Sexto præcepto additum a Christo dicunt, ne fratri irascamur, neque verbis asperis ex ulcicendi libidine prodeuntibus cum offendamus, p. 168. item, inhibitum omne ultionis genus non solum privatum, verum etiam quod fit per magi-

stra-

ſtratum, p. 169. Si tamen abſit ultio, licere concedunt jure agere, & injurias perſequi. pag. 171.

De magiſtratus officio diximus in articulo decimo ſeptimo, unde repete. De ira adverſus fratrem reprimenda, vide Lev. 19. verſ. 17. 18. Ne odio habeas fratrem tuum in corde tuo &c. Confer etiam. Exod. 23. v. 4. Deut. 12. v. 1. Vbi ne Oſtorod. excipere poſſit cap. 27. p. 172. per proximum intelligi Iſraelitarum, & opponi extraneo: adjunge Lev. 19. verſ. 33. 34. Diligite eum (peregrinum) quaſi vosmet ipſos: quia & vos peregini fuiſtis in terra Ægypti. *Quo unico fundamento omnia Photinianorum ſophiſmata ſolide refutantur.* Dilige proximum ſicut teipſum, *Lev. 19. v. 18. Dilectio igitur noſtri eſt regula dilectionis proximi. Quod ergo tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Summa eſt hæc ſecundæ tabulæ: cuius eadem mens & ſententia in N. Teſtamento manet, quæ fuit in veteri.*

Notat Oſtorodi nequitiam, ſcribentis, pag, 171. in veteri lege licuiſſe odiſſe inimicum. Tametſi enim ea verba hodie non extant, *inquit*, fieri tamen poteſt, ut olim ita ſcripta fuerint. *Item, cum Prov. 25. verſ. 21.* dicat *Salomon:* Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum pane: ſi ſitit, da ei aquam bibere: *Oſtorod. p. 137. 138. fingit, non eſſe illud præceptum, ſicut Rom. 12. v. 20. ſed tantum exhortationem quandam. Hæc & ſimilia non arguunt animum candidum & pium, ſed profanum & impudentem.*

VII. Septimo præcepto: Non mœchaberis: multa dicunt addita a Chriſto, nempe ne mulierem

rem: ita ut eam concupiscamus, adspiciamus: ne dimissa ab alio ducatur, ne quis scortetur, impure vivat, obscœne loquatur: ne fidelis infidelem conjugem sibi jungat, p. 170. 171.

Hæc omnia fluere ex prima matrimonii institutione ostendit Christus, Matth. 19. v. 8. opponens Pharisæis hoc fundamentum : Ab initio, *inquit*, non erat sic. *Qua responsione eos reducit ad divinam conjugii institutionem, ut ex ea, tanquam propria sede judicent, quicquid de matrimonio differendū fuerit. Deinde omnem pravam concupiscentiam in lege divina prohiberi D. Paulus testatur. Rom. 7. v. 7. Cumq; Deus Iudæos jubeat sanctos esse, sicut ipse sanctus est, Lev. 11. v. 44. 45. planum est, cum vera sanctitate vitæ impuritatem & sermonis obscœnitatem consistere simul non posse. Quod ipsum etiam de castitate habendum est, quæ est virtus hujus præcepti propria: quam in Iosephо egregie descriptam vide, Gen. 39. Specialia etiam dicta adjungi possunt, Ezech. 6. v. 9. cap. 16. v. 15. c. 23. v. 26. Hier. 5. v. 8. ubi idololatriæ turpitudo arguitur ex appellatione fornicationis. Ecclesiastica* 11. *v. 9. omnia in judicium vocanda dicuntur, quæ juvenis egerit in adolescentia, Deut. 22. v. 5. cap. 23. v. 12. levitas in vestitu & impudentia redarguitur. Vide ergo impudentiam Ostorod. c. 30. p. 219. scribentis*, Deum per Mosen omnino nihil præcepisse, quod modestiam & temperantiam attineat: Et ut maxime aliquid de moribus in scriptis Salomonis occurat, id tamen non plus valere, quam cuiusquam alterius sapientis viri prudens consilium & doctrinam,

nam, pag. 221. *Ne alia, quæ longe plurima afferri possunt, commemorem, perpende verba Christi, Matth. 24. peccata hominum ante diluvium recensentis, v. 38.* Sicut erant, *inquit*, in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, &c. *Quæ descriptio est intemperantiæ, luxus, & libidinis: per quæ peccata pœnam diluvii homines sibi attraxerunt. Confer Gen. 6. & Iudica, quo veritatis studio scripserit Ostorodus cap. 30 p. 222.* Wir lesen nichts im Mosis Gesetz/ daß Gott unnütz Reden/ Schertz/ Hoffbossen/ ja endlich Lügen/ Fluchen und Schelten/ außtrücklich solte verboten haben. *Impudentissime! Qualis vero hæc vertigo?* Mandatum, inquiunt Photiniani, ne fidelis infidelem conjugem sibi adjungat, est a Christo additum præcepto: non mœchaberis: ob quam causam in lege videmus a Deo ipso expresse vetita hujusmodi connubia, Catech. Racov. p. 172. *Nam si in lege expresse vetitum fuit istud conjugium: quid opus fuit nova additione Christi? Et tamen falsum est, extare in novo Testamento expressum speciale interdictum, ne fidelis conjugem ducat infidelem. Quæ vero D. Paulus de argumento eo disputat, 1. Cor. c. 7. per omnia esse consentanea prima institutioni, res ipsa ostendit.*

VIII. Octavo præcepto Christum adjecisse præceptum hoc afferunt Photiniani: ne simus avari. Cateches. Rac. p. 175. Definiunt autem avaritiam, si quis plus habere velit, quam ad tuendam vitam tum suam, tum suorum omnium pertineat, ibid. Ostorodus cap. 31. p. 229. reprehensa &

reiecta communiter recepta definitione, sic describit p.230. Der Geitz ist ein Begierde/ welche mehr haben will/ denn die Nothdurfft unser Leben zu erhalten erfordert: Avaritia est cupiditas plus habendi, quam necessitas vitæ sustentandæ requirit. Vnde infert p.234.236. Daß auff keine Wege einem Christen Reichthumb zu suchen frey und vergönnet sey: nullo modo licere Christiano quærere divitias. Et pag.239. Welcher das übrige seines Gelts und Güter nicht außtheilet/ist vor einen rechten und wahrhaftigen Geitzhalß zu halten: Qui non distribuit, quod sibi ultra necessitatem reliquum est, vere avarus est. Necessaria autem vitæ appellat victum & amictum, & ea, sine quibus vita sustentari non potest, pag. 242.243.

Modum in omnibus rebus optimum esse prudentes statuunt. Damnandus igitur est luxus, & omnis excessus in victu & amictu. Quæ vitia æque in veteri & Novo Testamento prohibita fuisse, & divinitus punita, sacer codex multis locis testatur.

In definitione avaritiæ Osiorodus crasse errat: quam æstimat ipse ex divitiarum cumulo, cum tota consistat in ipso hominis animo. Vnde D. Paulus avaritiam vocat idololatriam, Phil.3.v.5. & avarum appellat idololatram, Ephes.5.v.5. qui putat aurum robur suum, & obrizo dicit: Fiducia mea, Iob.31.v.24. Et opponit divitiis cor suum, Ps.62. v.11. Vbi enim est thesaurus, ibi etiam cor est, Matt. 6.v 21. Vnde clarum evadit, non ex quantitate possessionum, sed ex prava qualitate cordis & perver-

verso affectu avaritiam definiendam esse. Quæ veritatis evidentia hæc verba expresit Osiorodo pag. 239. Nicht das haben / sondern das suchen des Reichthumbs ist verboten: Non prohibitum est habere divitias, sed quærere: Vnde ego concludo: Quicquid habere bona conscientia licet, id per se ad avaritiam (quæ per se mala est) non pertinet. Item: Quod haberi potest sine peccato, illud etiam sine peccato potest (animo moderato) queri & comparari, nempe bono fine & per legitima media. Non igitur avarus est, qui possidet divitias, iuq; moderate utitur, sed cuius animus a divitiis possidetur, iuq; confidit. Neque possessionum abundantia per se avarum facit, sed immoderata animi cupiditas. Divitias benedictionem Domini scriptura vocat, Proverb. 10. v. 6. 22. avaritia non nisi maledicta est coram Deo, & sanis hominibus, Exod. 2. 18. vers. 21. cap. 20. v. 17. cap. 22. v. 25. cap. 23. v. 8. Deut. 16. v 19. cap. 17. v. 17. Iob. 20. v. 15. & passim alibi. Et D. Apostolus magnum quæstum vocat pietatem cum animo sua sorte (quam Deus opulentam dederit, vel mediocrem, nihil interest) contento, 1. Tim. 6. v. 6. paulo post subiiciens, v. 10. radicem omnium malorum esse avaritiam. Cumque diversi sint hominum ordines in republica Christiana, nemo ambigere potest, opum quoque dari inæqualitatem & majores facultates requiri in eo, qui regno, urbi, vel pago præst, quam privato cive aut rustico. Sed quid immoror rei tam perspicuæ: Gentilis licitudo ex diffidentia erga Deum orta, prohi-

betur, Matth.6.v.25.31. commendatur autem studium laboris, & industria uniuscujusque in sua vocatione, Matt.25.v.16.29. 1.Thess.4.v.11. 2.Thess. 3. v.10.12. Commendatur αὐτάρκεια, animus sua sorte contentus, 1.Tim.6.v.6. Sed non præcipitur cuilibet diviti abjectio facultatum. Laudatur liberalitas & beneficentia passim: Et hilarem datorem diligit Deus, 2.Cor.9. v.7. sed aliorum remissio non debet esse nobis tribulatio, 2.Cor.8. v.13. Et æstimantur eleemosynæ non ex quantitate doni, sed ex voluntate erogantis, vers.12. Si voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id, quod non habet: exemplo viduæ, Luc. 21.v.2. Non obscure sese prodit in Osteroai hac disputatione Spiritus Anabaptisticus, de æqualitate omnium Christianorum: ut maxime verbis profiteatur magistratum, & distinctionem possessionum: quæ subtilitas crassioribus Anabaptistis ignota fuit. Tenet enim constanter hoc fundamentum: Quisquis id, quod ultra necessitatem vitæ sustentandæ sibi reliquum est, non distribuit propter gloriam Dei, & proximi indigentiam, pro avaro habendus est, p.238.239. item: Nihil est necessarium vitæ sustentandæ, præter victum & amictum, p.242.243. *Facile hinc colligitur, quemlibet Christianum, sine ullo discrimine, contentum victu & amictu, quicquid præterea reliquum est, erogare debere, nisi pro avaro, h. e. gratia Dei indigno, haberi velit. Saniores illi sunt, qui Christianis concedunt* einen Zehrpfenning/ (*panem quotidianum*) einen Ehrnpfenning/ (*honestatis publicæ subsidium & orna-*

ornamentum) und einen Wehrpfenning: *ad occurrendum difficultatibus, quæ variæ solent incidere in communi hominum vita. Opera autem danda semper fuerit, ut animus soli Deo adhæreseens, sedulo curet ea, quæ vocationis ratio flagitat, & a Deo petat benedictionem, eique eventum humili obedientia commendet. Quo fundamento recte posito, usus divitiarum gloriæ Dei, cum gratiarum actione, & proximi commodis, vera charitate inserviet. Quæ omnia ex tenore septimi præcepti (Photiniani octavo loco numerat) tam in Veteri Testamento, quam novo, verissima demonstrantur: eademque avaritiæ definitio, quæ hodie vera est, vera fuit, a quo tempore lex data fuit: Non furtum facies. Accommoda, si libet, præceptum hoc ad peccatum protoplastorum in Paradiso: & fatebere, primos parentes fuisse ob hoc etiam peccatum punitos, quod peccatum in divina lege prohibitum Photiniani impudenter inficiantur.*

IX. Nonum præceptum de non dicendo falso testimonio expositura Cateches. Racovienſ. quærit, p. 177. *Quid ad præceptum hoc pertinet?* Et respondet: Mendacium quodvis, quod non solum ab animo fallendi cupido proficiscitur; verum etiam ex levitate: præterea omne obtrectationis & detrectationis & damnationis genus.

Ex quibus verbis non satis potest intelligi, sitne ea expositio ejus præcepti per se (aliam enim expositionem nullam posuit) an debeat haberi pro nova adjectione Christi: ut videtur colligi posse ex allegatis marginalibus ex Novo Testamento. Sed Ostoro-

dus hoc dubium solvit: cap.30. pag.222. ubi negat mendacia, maledictiones & scurrilitates fuisse in lege Mosis prohibitas. Ex quo non sine justa causa quæri potest, cur nulla istius præcepti interpretatio, Veteri Testamento accommodata, proposita fuerit in Catechesi Racovienſi: cum res ipsa postularet? Deinde, quia veritatis studium hoc præcepto mandatur, consequitur prohiberi, quicquid veritati, quocunque modo, adversatur. Idque evidens est ex luculentissimis testimoniis, Exod.23.v.1.7. Lev. 19.v.11. Psalm.15.v.2.3. Ps.34.v.14.15. Ps.101. v.4.6. Zach.8.v.16.19. Prov.6.v.17. cap.12.v.22. c.30.v.6.8. aliisque similibus quam plurimis, itemque exemplis punitii mendacii, Genes.39.v.14. Iosuæ 9.v.8.9. 1.Reg 3.vers.22. &c. quæ si inspexeris, execraberis temeritatem Photinianorum, & mentiendi libidinem.

X. Decimo præcepto: de concupiscentia: hoc additum est scribit (*sed nullo verbo probat*) Catechesis Racov. pag.178. rei cupitæ nullo modo animum adjiciendum esse, etiamsi, ut eam assequatur, nullo modo cogitet, verum ea ipsa tantum concupiscentia voluptatem aliquam in corde suo quærat. *Cui breviter oppono D. Paulum de concupiscentia diligentissime disputantem, Rom.7.cap. cujus totius disputationis fundamentum ponit, ex eoque totam deducit, in lege illa:* Non concupisces. *Confer etiam Christi, de actuali concupiscentia loquentis, verba, Matth.6.v.28. & applica ad Davidem concupiscentem Bethsabeen, 2.Sam.11.v.2. adjuncto dicto Iobi cap.31. v.1.* Pepigi fœdus cum

ocu-

oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine, vers.7. si secutum est oculos meos cor meum,&c.

XI. Quia totius legis summa consistit in dilectione: Ostorodus brevi compendio suum dogma de imperfectione legis moralis demonstraturus affirmat, discrimen esse inter dilectionem in lege præceptam, & dilectionem a Christo mandatam,cap.32. p.246. Quod probare conatur gemina ratione. Primo: *ex objecto:* quia lex jubeat diligere proximum,hoc est, Israelitam: Christus vero doceat, etiam inimicos esse diligendos, pag. 247. Secundo: *ex modo diligendi:* quia lex jubeat diligere proximum sicut semetipsum,restrictive: Christus vero non restrictive, sed universaliter, pag.258. Imo,inquit Ostorodus ibidem, & Catechesis Racov.p.182. Christus vult nos debere proximum nostrum magis sive amplius diligere, quam nos ipsos,vel supra nos ipsos, nimirum, ut etiam pro ipso moriamur: *Iob.15.v.13. 1.Iob.3.v.16.* qua de re nihil in lege præceptum fuit. Et hoc Christi præceptum proprium fuit, & novum, *Iob. 13.v.34.* ab ipso primo propositum & impletum,& pro exemplo nobis relictum,p.259.

Non afferam hic exemplum Mosis, cupientis deleri de libro vitæ, pro populo suo,Exod.32. vers.32. Sed producam ipsum Christum, summam divinæ legis proponentem, Matth.22. vers. 37.38. Diliges,inquit,Dominum Deum tuum,ex toto corde tuo,& in tota anima tua, & in tota mente tua:

Et diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis univerſa lex pendet & Prophetæ. *Et Apoſtolum Paulum Rom. 13. v. 8. Chriſtianos ita alloquentem*: Nemini quicquam debeatis, *inquit*, niſi ut invicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo ſummatim comprehenditur: diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Dilectio proximo malum non operatur. Impletio ergo legis eſt dilectio.

Quem utrumque locum integrum adſcripſi, ut appareat, Chriſtum & Paulum doctrinam de dilectione Chriſtiana ex lege morali repetere & inculcare, non ex novo aliquo, & ante natum Chriſtum inaudito mandato, proponere. Valde autem foret alienum ab officio fidelis doctoris, eam Chriſtianis doctrinam de dilectione commendare, quam Chriſtus ipſe ut imperfectam rejeciſſet. Sed videamus fundamentum veræ dilectionis. Diligendus eſt Deus ſuper omnia, ut creator, hoc eſt, pater noſter & Dominus omnium. Proximum autem diligere debemus, ut nos ipſos, tanquam fratrem noſtrum, ab eodem patre, ex eodem ſtipite, ad eundem finem, una nobiſcum conditum. Hic fons dilectionis ex Deo per Adamum ad omnes homines derivatur: ut ineptus ſit Oſiorodus, per proximum intelligens ſolum Iudæum ſive Iſraelitam: quaſi non etiam gentibus lex illa moralis data fuerit: cujus opinionis falſitatem etiam ſupra in præcepti

qu in-

quinti (Photinianis sexti) explicatione ex ipso Mo-se demonstravimus. Porro animam ponere pro fra-tre, ex tenore divinæ legis, significat, summam in of-ficio suo fidem præstare, ut ne vitæ quidem ipsi par-cere velimus, re ita postulante: quemadmodum Christus monstraturus discrimen inter verum pa-storem ovium, & mercenarium. Ioh. 10. v. 11. dicit, bonum pastorem ponere animam pro ovibus suis. Cujus fidelis curæ insigne exemplum præbuit David 1. Sam. 17. interfecto Leone & urso, (gregem infe-stantibus, vers. 34. 35. 36. Idque de omnibus vere dici potest fidelibus regibus, ducibus, Prophetis & Pasto-ribus, qui fortiter, strenue, & pie usq; ad mortem pugnare pro pace & veritate non dubitarunt, ut prodessent suis: quorum exempla in universa histo-ria Veteris Testamenti plurima occurrunt. Cur autem mandatum de dilectione suum *Christus ap-pellet, &* novum, *rationes sunt perspicuæ. Nam ipse amoris fundamentum in seipso instauravit: eius q; exemplum & mandatum serium proposuit, ut Pha-risaicam hypocrisin & alias corruptelas tolleret, pristinoque nitori præceptum hoc restitueret, pone-retque quasi tesseram veræ fraternitatis Christia-næ. Et tamen ita* novum *ipse dixit, ut etiam* vetus *appellet clarissimus ipsius discipulus, 1. Ioh. 2. v. 7. quasi diceret renovatum, & a scoriis depravato-rum repurgatum.*

XII. Hactenus de commentitiis Photinianorum additamentis ad legem moralem diximus: supereſt ut videamus præcepta, quæ ipsi sigillatim a Christo tradita prætexunt. Horum dicunt alia re-

respicere mores; alia externos actus religiosos. Illa dicunt esse abnegationem sui ipsius: crucis tolerantiam & perpessionem: imitationem Christi; nempe in fiducia in Deum, charitate perfecta, humilitate, in precibus assiduitate perpetua. Catechesis Racov. p. 179. & seqq. Hoc unum duntaxat esse docent, nempe, cœnam Domini. p. 186.

Nova illa præcepta non esse ex superius dictis facile colligitur. Qui enim jubetur uni Deo fidere, eumque super omnia diligere, eidem in omnibus sese obtitere, ab eo omnia bona petere & expectare, sanctum esse, ut ipse sanctus est, & in ipsius gloriam diligere proximum, ut semetipsum (quæ omnia in divina lege diligenter nobis commendari constat) is omnino debet, abnegare seipsum constanter ferre calamitates, imitari Deum, (ac proinde Christum, qui est verus Deus) habere fiduciam in Deum, amare proximum, esse humilis, & assiduus in precando. Quæ cum sint manifestissima, & exemplis Patriarcharum & Prophetarum confirmentur, fusius probari opus non est. Duo vero in primis notanda. Prius *de fiducia in Deum, ex qua Photiniani faciunt opus sive virtutem, nempe observationem mandatorum Christi. De quo errore disputavimus supra in articulo quarto. Et simul dicunt, fiduciam Christi esse imitandam nobis. Quæ valde est insidiosa locutio. Nam fiducia Christi erga Deum pro fundamento habet perfectam ejusdem cum Deo conformitatem: quæ in nobis non est. Nostra vero fides non nititur nostra obedientia propria,*

pria, sed merito Christi, quod Photiniani plane rejiciunt & hostiliter impugnant.

Posterius *de cœna Domini item docent, esse opus mandatum: quod nos debeamus præstare Deo nimirum, ut urgent cœnam Domini esse Sacramentum, sive sanctum convivium, in quo Christus nobis manducandum & bibendum cum pane & vino suum corpus & sanguinem exhibeat, ad fidei nostræ confirmationem. De quo plura articulo* 10. *&* 13. *diximus.*

12. *Comprehendamus summatim Photinianorum de bonis operibus errores, secundum ordinem causarum.* In efficiente *peccant, dum bona opera fieri dicunt ex viribus humanis, sive libero arbitrio, quod Pelagianum est. Tametsi enim & fidei mentionem interdum faciunt, est tamen nudum nomen sine re: quia, quantum in ipsis est, ipsum fundamentum fidei tollunt, ut supra evicimus.* In materia *peccant, dum & legem moralem vocant imperfectam, & perperam interpretantur: & fingunt nova mandata, ac proinde etiam nova opera, legi morali, ex ipsorum hypothesi, ignota.* Formam *bonorum operum constituunt mere legalem, eisque internam perfectionem assignant, ut ex sese & propter sese placere Deo debeant: contra principium Apostolicum.* Quicquid ex fide non est, peccatum est, *Rom.* 14. *v. ult.* Et nemo sine fide Deo placere potest, *Hebr.* 11. *v.* 6. Finem *bonis operibus asscribunt peregrinum, & in meritum Christi contumeliosum, nimirum acquisitionem justitiæ & vitæ æternæ.*

Qua

Quæ tota doctrina nihil in se continet veri succi Evangelici, sed evertit ipsam Evangelii fidem, & sub externa singularis pietatis, humilitatis, & devotionis larva tegit venenum pernicioſisſimum, quo qui infici ſeſe patiuntur, vere dicendi ſunt omnium infeliciſimi.

ARTICVLVS XXI.
DE
CVLTV SANCTORVM.

INvaluerunt in regno Pontificio multæ admodum ſuperſtitiones circa cultum ſanctorum: ut ſumma neceſſitas efflagitaret ſolidam explicationem, quomodo ſanctis juſtus honor exhiberetur. De hoc igitur ita loquuntur Confeſſores:

De cultu ſanctorum docent, quod memoria ſanctorum proponi poteſt, ut imitemur fidem eorum, & bona opera, juxta vocationem: ut Cæſar imitari poteſt exemplum Davidis in bello gerendo ad depellendos Turcas a patria. Nam uterque rex eſt. Sed ſcriptura non docet invocare ſanctos: ſeu petere auxilium a ſanctis. Quia unum Chriſtum no-

nobis proponit Mediatorem, propitiatorium, Pontificem & interceſſorem. Hic invocandus eſt, & promiſit, ſe exauditurum eſſe preces noſtras, & hunc cultum maxime probat, videlicet ut invocetur in omnibus afflictionibus, 1. Ioh. 2. Si quis peccat, habemus ad vocatum apud Deum, &c.

I.

Caroli Caſaris, & Principum ad articulum reſponſio.

Hic articulus, inquiunt, Confeſſionis toties damnatus penitus rejiciendus eſt, & cum tota univerſali Eccleſia orthodoxa reprobandus. Poſtea ſubiiciunt quædam teſtimonia, & argumenta, & exempla de mortuorum pro nobis oratione. Afferunt etiam diſcrimen inter Chriſtum unum mediatorem redemptionis, & ſanctos mediatores interceſſionis.

Andreas Fabricius Leodius *jampridem, ait, hoc argumentum a plurimis pertractatum, ut nova diſputatione non videatur opus. Affert autem exempla in medium, ubi vivi pro vivis interceſſerunt:*

runt: unde concludit, idem officium nobis præstari a sanctis cum Christo viventibus. Nec detrahi honorem suum Christo affirmat: quem solum esse concedit mediatorem redemptionis, etsi multi sunt intercessionis mediatores. Et inter cætera: Hic agnoscunt, inquit, singulæ Christianorum regiones peculiares patronos: Italia Petrum & Paulum: Græcia Andream, &c. Meminit etiam miraculorum, apud sanctorum sepulchra editorum, &c.

Iohannes a Daventria *itidem copioso sermone ostendit: articulum hunc reprobatum ab omnibus orthodoxis: & præter alia multa facit etiam mentionem Litaniarum, in quibus sanctorum & sanctarum invocationem clarissime putat demonstrari, subjectis quibusdam formulis precatiuncularum ad Mariam Virginem. Deniq; Philippum, quem seditiosum & hypocritam appellat, exagitat.*

Eodemq; stylo utitur Iohannes Cochlæus, *qui non tantum precibus, verum etiam meritis sanctorum nos adjuvari concludit.*

Iohannes Hoffmeisterus *probat, id quod de cultu & memoriis divorum habet articulus: improbat autem illud, quod dicitur de invocatione: quam fuse conatur probare, addita etiam dissertatiuncula de sanctorum reliquiis, imaginibus.*

Similia in medium affert Alphonsus Virvesius *Philippica* 16.

Georgius *autem* Cassander *etsi pro invocatione sanctorum multa diligenter collegit & explicavit, non tamen approbat omnia, quæ a Papistis dispu-*

disputari solent: imo potius libere multa reprehendit, ex quibus nonnulla annotare visum est, pag. 140. arguit tanquam erroneum, quod multi temere confidunt sanctis: eamque falsam & perniciosam opinionem conqueritur in vulgus evaluisse, & commentis miraculorum confirmari, p. 141. errorem illum vocat, quod nonnulli certos sibi sanctos diligant: & egre fert, beatæ virgini titulos adjungi: Regna cœli, mater misericordiæ, spes nostra, &c. qui Christo potius debeantur, Carpit & illud p. 142. quod Virgini matri subiiciatur filius in precatione: Ora matrem, & jube filio, &c. Attingit quoque errorem, qui accidit in meritis sanctorum, quibus nonnulli sanctificandi & redimendi vim tribuere videntur, quod soli Christo proprium est. Et quod veteribus & compertis sanctis propemodum neglectis novos & incognitos vulgus hominum ardentius & impensius colat, justa reprehensione dignum censet, taxatque impostoras miraculorum: itemque quod vulgi imperitia divinos honores sanctis attribuit. De imaginibus sanctorum, pag. 161. ita scribit: Sanioribus scholasticis displicet sententia Thomæ, qui censet imaginem eadem adoratione colendam, qua res ipsa colitur, quæ imagine significatur: eamque parum tutam esse ajunt, nisi commoda interpretatione sublevetur. Postea solitum errorem votat, pag. 162. credere in imaginibus aliquid esse numinis, gratiæ vel sanctitatis: & indoctam simplicitatem & indiscretionem, reverentius adorare imagines has, quam illas: & rudem levitatem, improvide vota emit-

emittere, & ad peregrinandum se obligare. Graviter etiam Episcopos sui monet officii, ne ipsi existant authores superstitionum, sed præscindant
NB. *occasionem errorum. Quandiu enim,* inquit, *serico, auro, & gemmis ornatæ statuæ in templis & aris constituentur, superstitionis finis sperandus*
NB. *non est. Commendat quoque vocem Honorii Augustodunensis: Nullus,* inquit, *sapiens crucem, sed Christum crucifixum adorat. Summa, vult imagines esse gestarum rerum monumenta, non autem instrumenta cultus.* Quæ moderatio si apud Pontificios invenire locum posset, multa incommoda devitarentur.

II.

EXEGESIS.

Sententia articuli est: memoriam sanctorum in Ecclesia proponi recte posse. Quæ confirmatur a fine vero: Vt inserviat imitationi nostræ in vera fide, & bonis operibus, in sua cuique vocatione: Rejecto fine falso, nempe invocatione. Quia nimirum solus Christus invocandus sit, tanquam unicus noster mediator, Pontifex & intercessor, & nos exaudiat, juxta promissionem suam, & hunc cultum maxime probet, 1. *Iob.* 2.

Cætera quæ huc pertinent ad pleniorem totius articuli explicationem & confirmationem vide, si libet, disput. 6. Anti-Pistoriana, in qua & vera sententia suis fundamentis demonstratur & con-

& contraria Pontificiorum argumenta refelluntur.

III.

Errores Papistarum.

I, *Sanctos Papistæ vocant* „ *non cum scriptura eos, qui sunt per fidem in Christum sanctificati, & serviunt Deo in sanctitate & justitia coram ipso, Ioh.17.v.17.20. Actor.15.v.9. Luc.1.v.74.75. 1.Petr.1. v.15. Sed tantum mortuos, Salmeron Tom.XIII.p. 304. Sic tamen, ut Pontificem Romanum salutent sanctissimum*: quod Epitheton soli Christo assignandum docet Propheta Daniel cap.9. v.24. *Neque sanctorum nomen prius tribuendum mortuis opinantur, quam sint a Papa canonizati, & in divorum cooptati numerum, Bellarm. lib.1. de sanctorum beatitudine cap.9.* Quasi vero Papa, quem Costerus in Enchiridio testatur posse esse mancipium diaboli, hanc habeat potestatem, ut pro suo arbitrio extollere in cœlos possit, quos velit.

II. Discrimen fingunt inter adorationem, λατρείαν, quam soli Deo adscribere videri volunt, & invocationem δουλείαν, quam dicunt convenire sanctis. Mariæ autem virgini tribuunt ὑπερδουλείαν, communiter Scriptura vero invocationem refert ad Deum, quem ita describit, ut & vocantes audire possit, & velit, & eos potenter juvare & liberare, *Esa.55.v.6. Ps.4.v.1. Ps.18.v.7. Ps.31.v.18. Ps.145.v.11.* Et Paulus *Rom.10. v.14.* connectit invocationem & fidem. Vnde hoc nascitur theorema.

Solus invocandus est ille, in quo ponitur filialis fiducia. Pertinet enim hic cultus ad tabulam decalogi priorem. *Vnde Christus Matth. 4. v. 10. ex Deut. 6. v. 13. & cap. 10. v. 20. Dominum Deum tuum, inquit, adorabis, & illi soli servies.*

III. *Sanctos ante Christi in cœlos adscensionem quidam invocandos fuisse ajunt, quidam negant: quia nimirum adhuc fuerint in limbo. Et tamen pro confirmanda invocatione proferunt dicta de patribus Veteris Testamenti, ex Ierem. 15. 2. Mac. tab. 15. Baruch. 3. c. Esa. 63. & Psalm. 32.*

IV. *Quomodo sancti in cœlis norint nostras in terris preces, Bellarminus quatuor recitat doctorum sententias lib. 1. de sanct. beat. cap. 20. de relatione per angelos, de celeritate naturæ, de divisione in Deo, sive in speculo Trinitatis, de singulari divinæ revelatione.* De quibus monachorum somniis & speculis scriptura nil novit.

V. *Ipsas etiam animas in purgatorio orari posse, affirmat Emanuel Sa: alii vero negant.* Quem ignem purgatorium nondum monstrare in sacro codice potuerunt Papistæ.

VI. *Mariæ virgini accommodarunt totum Psalterium*: quod etiam Cassander annotavit, non sine indignatione. Quanquam enim ipsa mater est Domini, Deus tamen dici vel Dominus non potest sine blasphemia. Et res ipsa ibi ostendit, exhiberi ipsi cultum λατρείας.

VII. *Sanctos esse invocandos docent, non quidem ut deos, sed ut Dei amicos & familiares.* At ami-

amicum Dei Abrahamum vocari novimus: invocatum non legimus: sed orare nos Christus docuit: Pater noster, qui es in cœlis,&c.

VIII. *Distinguunt inter mediatorem redemptionis,& mediatorem intercessionis.* Sed firmum est axioma: Intercessio apud Deum locum habere non potest, sine redemptione: a qua omnis est vis intercessionis. Quare D. Paulus scribit, unum esse mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum, 1. *Timoth. 2. v. 5.*

IV.

Errores Calvinianorum.

Non probant hunc articulum illi Zvvingliani, qui sanctorum memoriam ita excludunt ex Ecclesia, ut neque res gestas ipsorum depictas, aut sculptas, in templis ferre possint, neque patiantur certis & statis anni temporibus ipsorum historias pro concione proponi & explicari, addito hoc argumento. Quia solus Deus sit colendus. Hunc igitur solum Christianis auditoribus proponendum, & in ipsorum animis depingendum esse: Cuius tamen *crucifixi imaginem ex animo se detestari, & ferre non posse, inquit Beza in Colloq. Mompelg. p. 418. Vnde etiam Danæum in Ethica Christiana, lib. 2. cap. 2.* Porro quam sit argumentum illud superius alienum ab ista quæstione, cordati omnes facile intelligunt. Diserte enim negat Aug. Conf. sanctis tribuendum quicquam, quod Christi solius est proprium. At me-

moriam illorum celebrare, & fidem atque hona opera commendare, & ad imitationem aliorum proponere, annon pium, justum, & utile est? *Hebr.13.v.7.*

V.

Photiniani hic consentiunt cum Calvinianis: ut proinde opus non sit peculiariter ipsorum sententiam commemorare. Vide Racovienſem Catechesin, p.152.153.& seqq.

EPILOGVS.

Hæc fere summa est doctrinæ apud nos, in qua cerni potest, nihil inesse, quod discrepet a scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus nota est: Quod cum ita sit, inclementer judicant isti, qui nostros pro hæreticis haberi postulant. Sed dissensio est de quibusdam abusibus, qui sine certa autoritate in Ecclesias irrepserunt, in quibus etiam, si qua esset dissimilitudo, tamen decebat hæc lenitas Episcopos, ut propter Confessionem, quam modo recensuimus, tolerarent nostros: quia ne Canones quidem tam duri sunt, ut eosdem ritus

ritus ubique esse postulent, neque similes unquam omnium Ecclesiarum ritus fuerunt. Quanquam apud nos magna ex parte veteres ritus diligenter servantur. Falsa enim calumnia est, quod omnes ceremoniæ, omnia vetera instituta in Ecclesiis nostris aboleantur. Verum publica querela fuit, abusus quosdam in vulgaribus ritibus hærere. Hi, quia non poterant bona conscientia probari, aliqua ex parte correcti.

Epilogus est Apologeticus: cujus partes duæ. Prior ab Ecclesiis nostris depellit crimen hæreseos: posterior schismatis.

Argumentum I. tale est. *Quæ doctrina non discrepat a scripturis divinis*, (quæ sunt αὐτόπιστοι, ac proinde κανὼν sive regula perfecta & perspicua Christianæ religionis) *vel ab Ecclesia Catholica* (hoc est, perpetuo consensu omnium, qui unquam vixerunt, piorum Ecclesiæ doctorum. Quod testimonium est secundarium, a priori dependens, cui conforme est.) *Vel ab Ecclesia Romana* (veteri illa, quæ Apostolorum seculo floruit. Quod testimonium est ἐκ περισσοῦ. Coincidit autem cum secundo. Quia Romana Ecclesia pars est Ecclesiæ Catholicæ.) *Quatenus illa ex antiquis & probatis scriptoribus nota est*: (Vbi observa discrimen in Ecclesiam Romanam vete-

veterem Orthodoxam: & recentiorem ab Anti-Christo subjugatam) *Hæc, inquam, doctrina non est pro hæretica habenda. Atqui doctrina Ecclesiarum nostrarum, hactenus 21. Articulis proposita, est ejusmodi, ut non discrepet a scripturis divinis, &c. Ergo doctrina Ecclesiarum nostrarum, hactenus 21. articulis proposita, non est pro hæretica habenda.*

Argumentum II. *Ecclesia, in qua sonat vera doctrina, etsi non iidem ritus ubique observantur, non est schismatica. Ecclesia nostra talis est: in qua sonat vera doctrina Evangelii, etsi non iidem ritus ubique observantur. Ergo nostra Ecclesia non est schismatica.*

Τὰ νῦν τέρα καλλίω.

IN-

INDEX RERVM, VERBORVM, CAPITVM, & AVTORVMQVE, ad paginas accommodatus.

A.

ABsolutio Pontificiorum quid sit? pag. 448. Ministrorum non est judiciaria. ibid. non solis Episcopis aut Sacerdotibus competit. 449. est omnibus Ministris communis, ibid. quomodo dicatur Sacramentum. 482.

Actionis bonæ tres sunt caussæ, verbum Dei, Spiritus S. & voluntas humana. 599

Actus primus & secundus quid 96

Adorationis fundamentum consistit in ipsa Deitate 652

Adulti quomodo Baptizandi sunt? 324

Ἀγάπη cur dicatur cœna 353

Alexander Schweiß Imperatoris Secretarius. 15.

Allegoriæ e Sacramentis desumtæ quo loco habendæ sint? 483

Ἀλλοίωσις Zvvinglii 87. III. Est larva Diaboli. ibid.

Alphonsus Cæsaris Cancellarius de Lutheranis mira narrat. 16

Ambrosius de particula, SOLA in justificatione. 143. de Fide 208. de Ecclesia 230. de Novatianis 438. de transitione ad meliora 542. contra operum merita 640. Fidem appellat bonæ voluntatis & justæ actionis genetricem. 208. 643.

Amittere Spiritum S. quid sit? 433.

Amlingus voluntatem hominis constituit partem conversionis. 608
Anabaptistæ negant peccatum originis 51. respuunt ministerium 175.176. 188.189. id quod improbatur 501. & refutatur 516.seqq.negant baptismum infantum 316.319.vid.324.seqq.infantes Sanctos dicunt absque fide 339 negant justificatos posse Spiritum S.amittere 432.seqq.damnantur, quod Magistratus officium improbent,550. 556. 562.seqq. bella & judicia improbant.562.finem faciunt pœnis infernalibus. 573
Analogia Sacramentalis examinatur & reiicitur, 334.seqq.398.seqq.490.circa panisfragium Calvinianis varia est.536.seqq.
Anarchia plurimorum maiorum mater est. 507
Andradius de peccato originis 52. de justitiæ imputatione 147. de gentilium salute, 53. 606
Angeli an sint electi? 251. 269. non sunt Ecclesiæ militantis membra. 273
Angelocrator de panisfragio in S. Cœna. 535
Anima hominis propagatur a parentibus in liberos 58.seqq.
Animam ponere pro fratre quid notet? 665
Anti-trinitarii quid sint? 32
Apollo non sine vocatione docuit. 520
Apologia confessionis de dissimilibus præmiis in gloria 216.de Cæsaris judicio super art. de Cœna 548.de pœnitentiæ partibus. 452.453
Confirmat secundum AæCis articulum, 45. ostendit tertium artic. ab adversariis fuisse appro-

approbatum 69. S. Cœnam nominat Missam 354. Absolutionem appellat Sacramentum. 484.

Aquæ in Baptismo qualitas nihil detrahit veritati substantiæ 321. Eius officium Sacramentale. 322

Arbitrium hominis liberum est in externis 595. seqq. impeditum tamen 598. in internis & spiritualibus quale sit secundum diversos hominis gradus 598. seqq. Servum hominis lapsi. 596.614.

Arbitrii liberi appellatio antiqua est, sed dispari sensu usurpata 597. it. Ecclesiasticis est hominis mens ibid. Aliis aptitudo passiva. ibid.

Ariani trinitatem negant. 32

Artifices peculiari afflatu inveniunt artes. 597

Ἀταξία hominum non tollit bonam Dei ordinationem. 556.

Athanasius de Photini errore circa Filii existentiam 39. de paternitate, filialitate & processione 78. de Filii Deitate ibid. de Christi unione. 84.

Avaritia male definitur a Photinianis 658. quid vere sit? 658.659

Auditus Verbi, v. Verbum.

Augusta Vindelicorum nostri Confessioni nomen dedit. 7.

Augustana Confessio Augusta est, 1. nos a Papistis, Calvinistis, aliisque discernit. ibid. a Diabolo mire oppugnatur 2. fax furiæ dicitur Calvino 3. ita dicitur a loco 7. non est,

est, quæ Augustæ non fuit exhibita, ibid. est confessio particularis 8. est tamen scriptum publicum 10. a Danis & Suecis approbata & recepta est, 8. a Luthero conscripta, 9. a Melanchthone concinnata, ibid. revisa & ab aliis approbata, Cæsari fuit exhibita, 10. ex S. Scriptura tota desumpta. 11. nova est de antiqua fide ibid. non est festinanter facta. 12.

Augustanæ confessionis sententiam posse, omnibus est necessarium 4. seqq. Ejus descriptio datur & explicatur 6. seqq. subiectum, præcipua religionis capita 8. Authores nominantur. 9. Authoritas maxima 10. publica ibid. & 12. heroica. 13. Exhibitio quando & coram quibus facta & lecta. 13. Finis duplex, principalis, fidei confessio, & secundarius, hæreseos & seditionis remotio, 15. distributio in 2. partes, ibid. Mutatio 16. 17. est privatæ authoritatis 17. translatio in varias linguas. 17. 18.

Augustanæ Confessionis Articulus *Primus* de Deo agit, 19. e Luthero sumptus, 20. a Pontificis approbatus est, 21. distribuitur ibid. explicatur. 22. seqq ejus antithesis proponitur. 31. seqq.

Secundus tractat de Peccato 42. e Luthero sumptus 43. a Pontificis cum limitatione approbatur, ibid. in duas partes dispescitur. 45. Explicatur ibid. sqq. ejus antithesis proponitur. 50. sqq.

Tertius agit de Christo 66. e Luthero desumptus 67. a Cæsare approbatur 68. seqq. Ejus summa 71. Exegesis 73. seqq. Antithesis varia enarratur. 95. seqq.

Quar-

Quartus agit de justificatione 128. e Luthero sumptus est ibid. quando mutatq sit, 129. a Pontificis examinatur, 131. stricte explicatur 133. sqq. & plene ibid. ejus antithesis proponitur 145. seqq.

Quintus de ministerio Verbi & Sacramentorum proponitur 175. e Luthero sumptus 176. a Cæsare & suis examinatur ibid. a Pelagianismo liberatur 180. explicatur ibid. seqq. eius antithesis proponitur. 188. seqq.

Sextus de bonis operibus tractat, 200. e Luthero sumptus 201. a Cæsare & Principibus examinatur ibid. seq. Ejus summa & Explicatio 204. sqq. itemque antithesis proponitur. 210. seqq.

Septimus de Ecclesia agit 222. e Luthero sumptus 223, a Pontificiis dure excipitur ibid. Ejus analysis. 226
Exegesis 227. seqq. & antithesis proponitur. 262. seqq.

Octavus de Hypocritis & malis in Ecclesia bonis admixtis agit 296. seq. e Luthero desumptus. 197 a Cæsare aliisque approbatur ibid. distinguitur 298. seqq. explicatur. 299. Ejus Antithesis breviter ostenditur. 300. 315.

Nonus de Baptismo recensetur, 315. e Luthero decerptus est. 316. a Cæsare & suis approbatur. 317 ab aliis examinatur ibid. Ejus summa & divisio proponitur 319. & antithesis enarratur. 327. sqq.

Decimus de S. Cœna agit, 347. e Luthero desumptus ibid. a Cæsare & Principibus 348. a parte approbatur 349. explicatur 352. seqq. Ejus antithesis introducitur. 370.

Vnde-

Vndecimus de Confessione tractat 404. seqq. e Luthero excerptus 405. a Cæsare suisque examinatur 406. Eiꝰ analysis & explicatio 408. sqq. & antithesis proponitur. 413.

Duodecimus de Pœnitentia agit 417. seqq. e Luthero sumptus, 419. a Cæsare ex parte approbatur ibid. ab aliis examinatur 419. seqq. Ejus analysis 424. Exegesis, 425. seq. & antithesis proponitur. 432. seqq.

Decimus tertius de Sacramentorum usu agit 472. e Luthero desumptus 473. Cæsarem suosque nihil offendit ibid. Eius analysis, 479. Exegesis 479. seqq. antithesis enarratur. 485. seqq.

Decimus quartus de ordine Ecclesiastico tractat, 496. seq. ubi in Lutheri articulis habeatur 497. cum conditione a Cæsare aliisque acceptatur, ibid. seq. Ejus Exegesis 501. seqq. & antithesis proponitur. 508. seqq.

Decimus quintus de Ritibus Ecclesiasticis tractat, 521 seqq. e Luthero sumptus est 522. a Cæsare suisque ex parte approbatur 523. seqq. Ejus exegesis, 528. seqq. & antithesis proponitur. 531. sqq.

Decimus sextus de rebus sive Ordinationibus Civilibus agit 549. seqq. e Luthero desumptus 551. a Cæsare approbatur ibid. seqq. Ejus exegesis 554. seqq. & antithesis proponitur. 563. seqq.

Decimus Septimus de extremo judicio tractat, 572. seqq. e Luthero desumptus 573. a Cæsare & suis approbatur ibid. seqq. Ejus exegesis 574 & an-

& antitheſis habetur. 575.
Decimus Octavus de Libero arbitrio 590. ſeqq. e Luthero deſumptus eſt 592. a Cæſare ſuisque approbatur, ibid. explicatur. 595. ſeq. ab antitheſi liberatur. 600
Decimus Nonus de Cauſſa peccati 618. a Cæſare aliisque acceptatur, 619. explicatur. ibid. ſeqq. Ejus antitheſis proponitur. 622.
Vigeſimus de Bonis Operibus 638. e Luthero deſumptus 645. a Cæſare reiicitur ibid. ejus Exegeſis, 649. & antitheſis enarratur. ibid.
Vigeſimus primus pe Sanctorum Cultu 668. a Cæſare ſuisque reiicitur, 669. ejus Exegeſis, 672. antitheſis proponitur. 673.
Epilogus recitatur & explicatur, 678
Auguſtinus de πολυθεία Ethnicorum, 31. de Photino Samoſateni diſcipulo 39, de peccato originali in renatis 49. de Proceſſione Spiritus S. 79. de Chriſto mediatore 101. de juſtitia Dei imputata 141. de juſtificatione per fidem 144. de bonis operibus. 205. ſeqq. de Eccleſia 232. de Hæreticis 237. de libero hominis arbitrio. 591. de quatuor hominis ſtatibus 596. de remuneratione divina in non renatis 598. Valentinum refutavit 32. negat genus & ſpecies in DEO 39. contra Manichæos diſputavit 52. 189. 620 & contra Pelagianos atque Donatiſtas pag. 191. 264, 600. confeſſionem facit geminam 409. Chriſtum ſolum peccatorum abla-

ablatorem statuit. 423. explicat c.7. Rom. de Paulo renato 467. Sacramenti appellationem demonstrat. 479. per characterem Baptismi ritum vel formam intelligit. 489. arbitrium hominis lapsi servum vocat. 596. & captivatum atque damnabilem ancillam. ibid. gratiam varie distinguit. 519. inter Pelagianos & Semipelagianos discernit. 600. Deum peccati caussam nuspiam nominat 626. 631. multis voluminibus defendit gratiam & fidei justitiam contra operum merita. 640. fidem definit per fiduciam 643

Augustini confessio qualis? 187.

Αντιξύσιον quid notet? 595. homini non competit. ibid.

Αντίδε & αὐτοδύσι sobrie intelligantur. 28

Azorius peccatum originis non simpliciter agnoscit pro peccato. 52

B.

BAptismi definitio, 319. causa efficiens principalis & administra 320. materia terrena & cœlestis 321. forma 322. finis 323. subjectum, ib. ceremoniæ, 326. efficacia. 327.

Baptismus Apostolorum a Christi mandato dependet. 343. dormientium, amentium an sit legitimus. 330. adultorum quomodo instituendus. 324. infantum probatur. ibid. Pontificiorum dubius. 329. Iohannis & Christi idem est. 343. Camparum inutilis. 329.

Baptismus in dict. Ioh. 3. Eph. 5. Tit. 3. fundatur, 345. non est iterandus 326. non est idem cum pœnitentia. 344.

Βαπτί-

Βαπτίζειν quid significat 320. in casu necessitatis etiam privatus potest. ibid. nemo seipsum potest. 322.
Baptizo, totam sacramenti actionem comprehendit. 322.
Barradius de Iubilæo. 450. de Pontifice Romano. 564. de Maria Christi judicis coadjutrice. 576.
Basilienſe concilium de Mariæ conceptione. 55.
Basilius de particula sola in justificatione. 143. de causa peccati. 621.
Becanus de voluntate signi & beneplaciti. 246. de ordine prædestinationis. 266. 276. de Prædestinatione Angelorum & Christi. 269. de Provisione meritorum. ibid. de conceptione Mariæ. 272. de libero hominis arbitrio 604. seq. Facit triplicem prædestinationem. 265. Calvinianizat in hoc artic. ibid. etiam statuit rationem prædestinationis aliam executionis 266. electionem constituit geminam, ibid. fatetur prædestinationis nomen in scripturis semper sumi in bonam partem. 268.
Bellarminus de sanctorum invocatione. 33. 99. de peccata originali. 52. de Christo mediatore secundum humanam naturam tantum. 71. 99. de sessione Christi ad dexteram. 98. de nostris meritis. 100. de meritis ex congruo. 606, de caussa salutis meritoria. 146. de justitiæ imputatione. 147. de verbo interno 189. seqq. de prævisione operum. 266. de ceremoniis Baptismi. 328. de fide infantum. 329. de infantibus sine Baptismo decedentibus 330. de tempore administrandi Bapti-

Baptismum ibid. de Missa 372. de confessione 413. 414. 444. de confessione privata. ibid. de contritione 440. de indulgentiis 450. de Iubilæo. ibid. de hominis mortalitate. 581. de libero hominis arbitrio. 604. de concursu gratiæ & arbitrii humani 606. de impossibilitate implendi legem 607. de rebellione in homine 623. de voluntate DEI absoluta. ibid. de sanctorum canonizatione, 673. de sanctorum scientia. 669. seq.

Mariam absque peccato originali conceptam ait, SS. Phygium & Catharinum refutat 55. opera iustorum absolute bona vocat. 213. a Pelagianismo dum se conatur liberare circa prædestinationem, in casses incidit Calvinianorum 265. 266. in aliquibus tamen ab his dissentit. 266. aliam facit rationem prædestinationis, aliam executionis. 267. peccat circa Baptismi nomen 327. negat Baptismum Iohannis eundem esse cum Christi Baptismo, ibid.

Christum Baptizasse ait, ibid. Paganum Baptismum approbat. 328. disputat charactere tantum deleri peccata præterita. 329, fidem negat esse pœnitentiæ partem. 442. Sacramenta novæ legis, ait, iustificare ex opere operato 485, negat passionem Christi esse causam justificationis effectivam 487. Verbum, cum elemento Sacramenti concurrens dicit consecratorium ibid. gratiam facit aliam ex dispositione, aliam ex vi Sacramenti ortam. 488. Sacramenta contrario modo se habe-

habere sentit ad fidem & ad verbum. ibid. Sacramenta in peregrina lingua vult administrare. ibid. excepto matrimonio. 532. de fide Sacramenti sibi contradicit. 488. sudat in explicandis canonibus de vocatione Ministrorum 505. ordinationem facit Sacramentum. 508. Impositionem manuum ad ordinis essentiam refert. ibid. duplicem effectum ordini adscribit. ibid. septem ordines numerat. 509. de ceremoniis multas habet propositiones. ibid. seqq. Reges Christianis quomodo præsint ostendit, 564. Ecclesiæ doctrinam de libertate aperit. ibid. locum Rom. 5. corrumpit. 618.

Bellum geri potest a Magistratu. 561. est vel defensivum vel offensivum, ib.

In bello mortui non pereunt æternum. 471.

Bernhardus de Christi justitia nobis imputata. 144. de particula sola in justificatione. 144. 213. de hominis merito 607. de perseverantia. ibid.

Christianus Beyer publice legit Aam Cem. 14.

Beza de Christi nomine, 73. de eius exinanitione. 105. de fide infantum. 150. 337. de efficacia & Verbi Sacramentorum. 193. de bonis operibus. 215. de reprobatione. 37. 277. 576. de Baptismi necessitate. 331. de eiusdem virtute & efficacia. 333. de propositionibus Sacramentalibus. 334. de analogia Sacramenti. 336. de voce Testamenti. 387. de amissione gratiæ. 453.

Sanctos a sanctis nasci ait. 60. 338. DEI potentiam extenuit. 35. & præsentiam. ibid. Domicilium Dei facit locale. 36. Aæ Ci non vult sub-

subscribere 3. negat communicationem reaa Ism. 109. Christo homini Majestatem denegat. 113. facit meritum Christi particulare 149. 456. 577. geminum facit Baptismum 334. 335. negat gratiam omnibus baptizatis conferri. 336. in Baptismo regenerationem fieri negat, 337. a verbis cœnæ recedit, 375. Corpus Christi fide percipi ait in Cœna 382. Sacramenta indignis vocat sigilla exilii 383. Indignos definit ibid. præsentiam Christi in cœna negat 385. suam vocationem dixit extraordinariam 515. panifragium venustati faciei confert. 536. hæreticos capitaliter puniendos statuit, 566. 567. negat impios propter solam incredulitatem damnari, 577, immutabili DEI decreto omnia fieri statuit, 608. Deum peccati causam facit 608. seqq. favet Synergistis. ibid. imaginem crucis detestatur. 675

Biblia Syriaca. Italica, Germanica antiqua habet particulam tantum in locis de justificatione agentibus. 144

Biblia Latina corrigitur. 486.

Biblia Germanica Lutheri. vid. Lutheri versio.

Biblia Tigurina V. Tigurini.

Biel de naturæ viribus circa DEI dilectionem 53. Pelagianizat circa prædestinationem 264. præcepta Ecclesiæ positiva ipsi non eodem modo obligant. 527

Bonaventura semipelagianizat circa prædestinationem, 265. Gratiæ divinæ omnia tribuit. 595.

Bo-

Bonifacius octavus primus indulgentias vendidit, 451. Iubilæum instituit, ibid.
Boquinus hominem a DEO ad peccandum impelli ait. 608.
Bucanus de causis fidei sociis. 39. de manducatione indignorum. 384. 389. de voce κοινονίας. 387. de voce Testamenti. ib. de puniendis hæreticis. 566. de electis & reprobatis absolute. 576. de necessitate fatali. 608
Angelos facit Ecclesiæ militantis membra, 273. commune convivium fatetur vocari fractio panis. 355. Rhetoricis annumeratur in explicatione Cœnæ. 378. duplicem facit manducationem. 381. fidem facit pœnitentiæ matrem. 452. pœnitentiam aliam dicit legalem, aliam Evangelicam, ibid, partes pœnitentiæ constituit mortificationem & vivificationem ibid. de panifragio quid sentiat. 534. rationi humanæ nimium tribuit. 610.
Buchstabler qui sint? 375.
Bullinger de DEI potentia. 35. de sessione DEI ad dexteram 36. 114. de verbis cœnæ, 374

C.

CAjetanus de peccato originis in renatis 49. de conceptione Mariæ. 55.
Calamitates de lege concionantur. 470. etiam piis infliguntur, ibid. non sunt simpliciter æternæ perditionis signa. 471.
Calviniani Photinianis non possunt satisfacere Ep. ad Lect.):(8. 9 fraternitatem nobis offerunt 2. 3. quomodo Aam Cem approbent, 3.

animæ originem negant. 57. rationi humanæ nimium tribuunt. 63.
Cum Samosateno unionem tollunt negantes naturarum communicationem 110. gratiam DEI faciunt particularem. 148. enervant meritum Christi, ibid. Photinianizant circa DEI gratiam. 155. Angelos Ecclesiæ membra constituunt. 273. Ceremonias impugnant. 275. 533. hodierni aliter sentiunt de reprobatione ac Calvinus 276. Sanctos dicunt a sanctis nasci. 59. 338. Anabaptistas circa Pædopabtismum refutare nequeunt salvis hypothesibus 339. negare non possunt se art. 10. tangi. 373. negant præsentiam Christi cum orali manducatione. 374. seqq. miris titulis nostram in eo sententiam ornant. 384 omnes cœnæ causas vitiant 389. seq. circa Cœnam in multis Photinianizant 396. privatam confessionem reiiciunt. 415. μεταμέλειαν a μετανοίας male distinguunt. 426. 452. Anabaptistis accedunt de amissione gratiæ. 453. festivitates e medio tollunt cum textibus Evangelicis 532. necessario omnia fieri statuunt. 607. Deum peccati causam faciunt. ibid. & sic statuere coacti sunt 608. favent Synergistis. ibid. Philosophia oppugnant Sp. S. oracula, ibid.
Calvinianorum errores circa art. 1. de DEO 35. sqq. de peccato originis. 56. seqq. De Christo 103. seqq. Errorum illorum Synopsin vid. p 117. de justificatione. 148. seqq. de Ministerio. 191. seqq. de Bonis operibus. 214. seqq. de Ecclesia. 273. sqq. de reprobatione. 278. seqq. de bonorum & malorum

lorum mixtione in Ecclesia. 315. seqq. de Baptismo 331. seqq. de Cœna. 373. seqq. de clavium efficacia 416. de pœnitentia. 451. seqq. de Sacramentorum usu. 489. seqq. de ordine Ecclesiastico. 514. seqq. de ritibus Ecclesiasticis, 532. seqq. de panifragio. 533. de Magistratu, 565. de hominis libero arbitrio, 607. seqq. de Sanctorum memoria. 675.

Calvinus de sessione ad dextram DEI, 115. de Christi merito 148. de verbo interno. 192. de distinctione præmiorum in gloria. 216. de reprobatione, 276. 281. de efficacia Sacramentorum. 331. 492. de propositionibus Sacramentalibus, 334. de analogia Sacramentali, 336. de fide infantum, 338. de cap. 6. Ioh. 375. de necessitate fatali, 607. de diebus festis. 533.

Aam Cem nominat facem furiæ. 3. 373. negat peccati originalis propugnationem. 57. Sanctos ait a Sanctis nasci. 59. 333. 338. genu flectionem Christo detrahit. 116. prædestinationem facit absolutam. 37. 276. 576. Baptismum ad salutem necessariam esse negat, 331. ejus efficaciam tollit. 332. negat locum Iohann. 3. de Baptismo intelligendum, 335. geminum facit Baptizatorem. ibid. regenerationem in Baptismo fieri negat. 337. a Beza reprehenditur. 377. negat præsentiam Christi in Cœna. 385. privatam confessionem reiicit. 415. sibi tamen in eo inconstans, ibid. pœnitentiam dicit regenerationem. 451. fidem negat pœnitentiæ partem, 452. pœnitentiam

aliam dicit legalem, aliam Evangelicam ibid. Davidem adulterum fidelem judicat, 453. sacramenta ejusdem esse virtutis cum Evangelio fatetur. 480. ex sacramentis facit nuda signa, 490. apud nostros suis permittit uti Cœna, 547. Deum facit peccati causam, 607. 62. seqq.

Canisius de Chrismate, 329. de Charactere. ibid.

Canones S. jus Canonicum, de consensu plebis circa ministrorum electionem & ordinationem, 505.

Capernaitica manducatio qualis? 362

Carbonaria fides quæ? 474.

Caro & sanguis quomodo regnum DEI non hereditabunt 402. 584. seqq. 588. an sint in corpore spirituali. 587.

Carnis resurrectio V. Resurrectio.

Caroli Cæsaris judicium de nostra Confessione V. sub tit. Aæ Cis Articulus. Carolstadius Sacramentarii certaminis Iuba & pax, 189. Grammaticus est inter Sacramentarios, 376. titulum Doctoris rejicit. 515.

Cassander art. 2. Aæ Cis approbat, 44. art. 11. examinat, 408. pœnitentiam solennem facit tantum Sacramentum, 422. attritionem a contritione distinguit, ibid. fidem ad contritionem necessariam esse fatetur, ibid. merita hominum respuit 423. confessionem privatam corrigit cum satisfactionibus ibid. ut & indulgentias, 424. art. 13. examinat. 477. fidem ad usum Sacramentorum necessariam judicat,

cat, 478. de numero Sacramentorum modeſte loquitur, ibid. fatetur Apoſtolorum tempore Epiſcopos pares fuiſſe cum Presbyteris 500. ordines eſſe cenſuros ait, ibid. inutiles ſacerdotes reiicit, ibid. tria genera conſtitutionum humanarum agnoſcit, 526. præcepta Eccleſiæ poſitiva ait non eodem modo obligare. 527. art. 16. approbat. 554. item art. 17. p. 574. ut & 18. p. 594. ſic etiam 19. art p. 619. multa circa Sanctorum cultum improbat. 670. ſeqq.

Caſſellani art. 10. Aæ Cis Bapiſticum dicunt. 373. Calvinum Aæ Ci ſubſcripſiſſe ajunt. ibid. Zvvinglium ſcribunt a Calvino cum Luthero eſſe conciliatum 374. Rhethorici ſunt. 378. duplicem cœnæ manducationem faciunt. 382. indignos dicunt non accipere Chriſti corpus. 382. Indignos definiunt. ibid. de præſentia Chriſti in cœna quid ſentiant. 384. fidem legi præponunt 452. ſeqq. tres faciunt pœnitentiæ partes, 453. ex Sacramentis faciunt nuda ſigna, 492. imagines e templis tollunt. 533. panifragium ad Cœnæ formam referunt. 534. de ejus analogia quid dicant 535. analogiam circa vini effuſionem quid ſtatuant: 536.

Catechiſmus Romanus de meritis 100. de aquæ baptiſmatis conſecratione 328. de charactere, 329. de fide infantum ibid. ſeq. de confeſſione auriculari. 444.

Cathari qui fuerint.
Catharinus de peccato originali. 434
Catholicum quid notet? 234. in Ecclesia nostra invenitur. 53
Cerdonis error de DEO. 309.
Ceremoniæ quæ sint. 529. externæ ab actionibus Sacramentalibus distinguendæ. ibid. quomodo libere. ibid. seqq. per se impiæ sunt rejiciendæ, mediæ usurpari possunt, 326. Leviticæ sunt abolitæ. 529. Pontificiorum variæ sunt. 531. seqq. quæ observantur circa baptismum. 525. aliæ referuntur ad doctrinam, aliæ ad disciplinam. 529 Earum finis triplex. 529. moderatrix, fides & charitas, ibid. circa ceremonias, ubi casus confessionis viget, nihil quicquam veritatis testibus concedendum est. ibid. 32.
Calcedonensis canon de Christi officio. 101.
Character Pontificiorum baptismatis. 329. indebilis est. 489. e scripturis probari non potest. ibid.
Chemnitius de vocatione Calvinianorum. 515. de Pelagianis. 609. Pelagianos & Scholasticos confert art. de Peccato. 51
Chiliastæ judaizant. 575.
Chrisma Pontificiorum an Baptismum consummet? 329.
Christiani quomodo sint sacerdotes. 502, non sunt oves brutæ. 303. Eorum infantes non nascuntur sancti. 59. seqq.
Christus quid significet? 72. quos inunctione habuerit typos. 73. quomodo unctus fuerit, ibid est DEI filius, 28. 126. quomodo filius DEI declara-

claratus,77.125.cum Patre unus est essentia. 41.125.
Christus est verus Deus.73. propter divina nomina,ibid.attributa divina.74,seqq.divina opera. 75.seqq æternam filiationem.77. imaginis substantialis appellationem.78. Spiritus S.processionem.79. cum patre unitatem.80. divinum cultum. ibid. & salutis donum. ibid. est Deus primo præcepto colendus.651.seq.
Christus est verus homo,73. quia homo appellatur.80. seqq. ut homo definitur.81. essentiales hominis partes habet,ibid.seqq.hominis πάθη ei attribuuntur,82.absque peccato tamen,ibid. seqq.& agit,quæ hominis sunt. ibid. seqq.nobis consubstantialis. 402
Christus est unus,83.seq. unus ille Deus,124. ante mundum, 127. primogenitus ante omnes creaturas,77.fundamentum & regula electionis.241 251.seq. mediator secundum utramque naturam. 100. isque solus.101.seqq. universalis,113. ab æterno.255. præsens secundum humanitatem in cœna,94.358.365.
Christus fecit miracula propria virtute,75. etiam in statu exinanitionis, 93. resurrexit propria virtute.403.sibi nihil promeruit,161. Dominus legis legem implevit pro nobis,137.& exposuit, 651. novam autem non tulit,103.219. 650.seqq. 664.seqq. an sit electus secundum humanam naturam,269. cur passionis meminerit in Cœna,357.359.399.seqq. septem ordines Paptistarum transiisse extinguitur. 509

Christi

Christi descripto eiusque explicatio 72. adscensio num sit localis 36, non repugnat præsentiæ in Cœna, 398. 401. naturæ humanæ veritatem non sustulit. 586.
Christi caro vivifica 112. cicatrices. 402. multis seqq. obedientia legi præstita pertinet ad ejus satisfactionem, 102. estque duplex 137. atque voluntaria, 160. passio non repugnat ejus præsentiæ in Cœna. 403.
Christi officium, quomodo explicandum? 90. & triplex 91. satisfactio probatur 62. seqq. eaque universalis 261. 265. 281. regnum est triplex, 90. seqq. competit Christo secundum utramque naturam. 92
Christi status est duplex exinanitionis quid sit? 93. & exaltationis, quid sit? ibid. seqq. cui naturæ attribuatur 93. 94. Christi descensus ad inferos, 93. reditus ad cœlum 94. sessio ad dextram Patris, 97. describitur. 98.
Christi humanitas non est opponenda S. Cœnæ, 397. corpus ac sanguinis in cœna vere dantur. 358. 262. seqq. institutio conjuncta est cum sapientia ac virtute divina. 397.
Christi resuscitati cicatrices non arguunt naturæ mortalitatem vel infirmitatem, 402.
Christo quæ in tempore data sunt intelliguntur secundum humanitatem ei data. 89.
Chrysostomus de justificatione 141. de particula sola fide, 143. de Ecclesia 230. de voce μετανοια, 426. de lapsorum pœnitentia. 438.

Cle-

Clemens Alexandrinus de Ecclesia, 230.
Clemens Sextus jubilæum ad 50.annum contraxit p.451.
Clementis Octavi bulla indictionis jubilæi, 450.
Clerici qui sunt secundum scripturas? 502.
Cochlæus de peccato originis in infantibus, 44. art.3. Aæ Cis approbat, 69. art.6. examinat, 203. art.8. approbat, sed Apologiam accusat. 298. idem etiam facit circa 9. art. 318. negat infantes baptizatos credere, ibid. circa 10. art. multa desiderat, 350. fatetur Lutherum transsubstantiationem negasse, ib. durior est sociis circa 11. ait, 407. circa 12. concordiam parari posse statuit, 421. art. 13. novitatis nomine traducit, 477. opus operatum justificare ait, ibid. verba 14. art. recipit, non sensum. 498. circa 15. art. multa reprehendit, 524. dogma de sola fide diabolicum nominat, ibid. 648. circa 16. art. querelas effundit varias 553. art. 17. approbat, 574. distinctionem objectorum circa 18. art. probat, 593. art 19. approbat, 619. art. 20. impugnat tanquam novum Evangelium 648. Sanctos vocat redemptores per intercessionem 648. art. 21. reiicit. 670.
Cœlum Dei quid sit Calvinianis. 36
Cœna cur Domini dicatur. 352. seqq. non est convivium commune 395. quid sit Photinianis 404. non est novum Christi mandatum, 667. esse non potest sine actione in institutione expressa. 357.
Cœnæ appellation, variæ, 352, definitio 356. gen. 9. ib. causa

causa effecti principalis sive author,357. institutionis tempus,ibid.locus,ibid.causa ministerialis,358 materia terrena & cœlestis ibid. forma,362. respectu dispensatoris,ibid.& communicantis, ibid. hospites,364. Finis,367. qui fundatur infruitione corporis & sanguinis Christi,368. estque varius,ibid. seqq. verba proprie sunt intelligenda,363. Ex iis de eadem judicandum,398.Mutilatio est sacrilega 367.

Colonienſis censura ait hominem posse ex propriis viribus vitam æternam mereri, 607.

Communicatio idiomatum a Luthero facta olim fuit approbata,86. non est Scholasticorum figmentum,86. definitur,ibid. est realis & vera, 87.distinguitur in tria genera.86.seqq.

Communicare peccatis omnis quid sit. 635.

Communio cur dicatur Cœna? 354.

Concomitantia pontificiorum quid sit. 371.

Concordia cum calumniis consistere nequit, p.3. pro fundamento habet divinam veritatem,4.5.

Concupiscentia prava omnis est prohibita, 656. 662.in renatis peccatum est, 53.

Conferre quid significet in Sacramentis?482.

Confessio quid notet, 7. Augustana v.lit.A. Helvetica,3. nostra nova est de antiqua fide.11.non gignit novos articulos ibid.

Confessio est gemina, laudis vel fraudis,409. publica vel privata, ibid. hæc definitur,409.seqq. in Ecclesia retinenda,410. vel restituenda.412. charitatis mutua, 409. Pontificiorum auricularis,410.reiicitur,413.seqq.406.seqq.446.quid ad

ad eam requirant Pontificii,443.seqq. refutatur variis argumentis.444.seqq, vera & Christiana veteribus laudatur. 445.
Confiteri quid notet in scripturis. 409.
Consensus Orthodoxus de verbis Cœnæ,374. sqq.
Constantia Confessorum laudatur. 13.
Contritio non dimittit peccata,422. quid sit Pontificis, 440. seqq. semper est cum dolore 429. seqq.440.seqq.est ex lege 429.seqq.441.est pars pœnitentiæ 429. 430. definitur 429. Eius vis a protoplastis addiscitur. 430. De Contritione sufficiente nemo certus est. 442.
Conversio exterorum a Christo pendet,313. adductiva Pontificiorum, 371. quid notet in art. de Pœnitentia.427. In Conversione hominis causa princeps & instrumentalis conjunguntur, 307.homo se habet mere passive. 599.
Corpus animale & spirituale. 585.
Costerus de sanctis,99. de hominum meritis, 100. de voce justificationis.134. de causa justificationis meritoria,137. de libero hominis arbitrio. 604.de concursu gratiæ &arbitrii humani.606 Daventriam refutat. 203. Deum operari ait cum latrone. 623. Papam, mancipium Diaboli esse posse fatetur. 673
Chreophagia Bezæ. 385
Cultus electitii reiiciuntur. 207.
Cureus fatetur Carolstadium cum sociis sacramenta nimium extenuasse. 491.
Curia a cruore Paptistis dicta. 565.
Cyprianus de Ecclesia. 230. De Novato eiusque erro-

error,435.seqq. De lapsorum pœnitentia.438. irritam dicit electionem Ministri factam ἄτευλαῦ. 505.

D.

DAmascenus de generatione filii Dei, 78. Danæus definitione divinæ præscientiæ, 36. De persona Filii incarnata,106. De Christi adoratione,115. de festis sanctorum. 533. de puniendis hæreticis.566.

Nestorianizat 107. prædicationem dico verbalem 109. negat communicationem idiomatum ibid. seqq. Infringit Christi officium, 112. Christi Majestatem negat .ibid. potentiam (sed finitam) Christo homini communicatam 113.imaginem crucis detestatur. 675

Daventria art,2. Aæ Cis approbat 43. ut & 3.art. 69. art. 4. ait errorum ansam dedisse 131. in 5. art.multa desiderat.177.seqq. circa 6. art. calumniatur: & blasphemat,202. circa 7. seipsum implicat, 224. male inter bene-fideles & male-fideles distinguit. ibid. contra scripturæ authoritatem loquitur,224.225.artic.8.approbat.298. itemque 9. art.318. nec non 10. de Cœna 330. priorem 11.artic.partem approbat,posteriorem pernicioſam dicit 407. artic.12. in multis approbat,fidem tamen pœnitentiæ partem esse negat 420. approbat artic.13. 474. Apologiam Aæ Cis spurcitiarum sentinam vocat ibid. fidem in omni bono opere necessariam judicat

eat. ibid. art. 14. recipit. 598, art. 15. ex parte approbat. 524. Lutheri conjugium exagitat. ibid. circa 20. art. Lutherum accusat. 647. artic. 21. rejicit. 670

Decalogo nihil est additum a Christo 650.

Decretum Dei & ejus executio conveniunt, 251. seqq. 259. absolutum qui statuit, totum Evangelium tollit. 283

Decreti absoluti Calvinistici delineatio 281. seq. ejus vanitas ostenditur. 305. Deitas est una in tribus Personis. 25. Sola mori non potuit. 101.

Deitatis nomen in scripturis fundatur. 24. 25.

Deus quod sit probarunt, 22, 23. est unus 23. 41. 123. æternus & immutabilis. 23. incorporeus ibid. infinitus & simplicissimus ibid. impartibilis. ibid. immensus, 24. καρδιογνώστης, ibid. bonus. ibid. omnipotens. ibid. Sapiens. 24.

Deus essentia aliter gratia consideratus 33.

Deus ἐνσαρκος sive θεάνθρωπος passus est. 88. 160.

Deus nullum peccatum absque satisfactione remittit peccata solus. 150. immediate & vel mediate 411. non est peccati causa 618. seqq. non est hypocrita 246. agit nobiscum mediate 184. & natura nihil faciunt frustra. 480.

Dei natura & essentia 25 existentia, ibid. attributa essentialia, quomodo sint multa & unum, 23. oculus notat providentiam, dextra potentiam, ibid. oblivio & reminiscentia quid? 24

Dei

Dei gratia v. Gratia.
De Deo ex verbo revelato judicandum. 157.
Deo in scripturis quomodo membra attribuantur. 23. locus vel motus quomodo conveniat, 24. affectus humani quomodo tribuantur. ibid. seqq.
De Deo proprie & modificate loquimur. 33
Dextra Dei quid sit, 36.
Diabolus ab Isidoro describitur, 2. non credit articulum de remissione peccatorum; Quamvis sciat. 642. seqq.
Dies dominica in necessitatis casu in aliam transferri potest 530. in Sabbathi locum successit. ibid.
Digni & indigni manducant in Cœna corpus & bibunt sanguinem Christi. 364. 365.
Dilectio Dei non tollit in Deo peccati odium sed commendat gratiam, 160. qualis sit? 663.
Dilectio proximi est de lege morali. 664.
Qualis illa sit. ibid.
Dilectionis præceptum cur Christi dicatur. 664. seqq. non potest impleri. 174
Disciplina Ecclesiastica quomodo Magistratus consilio & auxilio conservari debeat? 559.
Discipulus Postillator de Baptismo Campanarum. 329.
Dispositio ad gratiam Pontificiorum. 146
Divitiæ non sunt prohibitæ. 659
Doctrina Prophetarum & Apostolorum vere divinæ nullius examini est subiecta 23. ad eam Ministrorum Ecclesiæ doctrina conformanda est. 324

Dolor

Dolor ad contritionem est necessarius, 430.
Pontificiis est triplex. 441.
Donatistæ damnantur. 297. seqq. 300.
Dordrechtana synodus absolutam prædestinationem verbis detestatur. 37
Δουλία & λατρεία non differunt in scripturis. 33
Dubitatio Pontificiorum refutatur. 270. 271.
Durandus indulgentiarum originem ignorat. 451

E.

Ecclesia de Sanctis mediatoribus 99
Ecclesia quod sit, 229. quid sit. 229. quid sit Pontificiis? 262. seqq. ubi sit. 314. est invisibilis 230. 308. quæ a Paptistis negatur. 262. est visibilis. 263 est una 231. 233. sancta. 233. Catholica, 234. Apostolica. ibid. seqq. Christiana. 236. semper duratura, ibid. seqq. non est infallibilis, 263. non est semper pura, 309. repræsentativa quid sit. 263. notat totum cœtum 14. nusquam unam personam. 228. 262.
Ecclesia non judicat de occultis. 635. nostra non est schismatica, 678. non est nova, 309. Romana vetus, ibid. 676. seqq. & nova non est mater fidei. 263. propter electos titulis ornatur. 232.
Ecclesiæ vox origine græca. 227. significationes variæ, ibid. seqq. notæ veræ, 235. & aliæ, 264. nomine etiam scholæ intelliguntur, 559. causa principalis, Dominus & caput 184. 224. colligendæ causa, 185. 225. instrumētalis 184. 225. colligendæ & conservandæ forma eadem ibi consensus ubivis observandus. 12. gubernatio est aristocratia, 506. fundamentum unicum. 213
Ecclesiam non constituit Papa neque Doctores,

neque Cardinales, Episcopi aut consilium 262. Extollere supra scripturam est Papam supra Deum ponere. 263.

In Ecclesia mali sunt & boni, 297. & 308. sunt pastores & oves 303. esse dupliciter dicitur, 297. sunt electi. 308.

In Ecclesia distinguendum, quod ad ejus substantiam pertinet ab eo, quod aliunde eam invasit. 309.

In Ecclesia Pontificia discernendum pretiosum a vili. 309. 314.

Electi qui sint 229. 258. non sunt quærendi extra Ecclesiam 233. non sunt omnes homines 250. 258. an soli pertineant ad Ecclesiam? 276.

Electio est a Deo 240. ex ipsius gratia ibid. fit fide non propter fidem 241. in Christo ibid. juxta propositum Dei, 243. ejusque prænotionem. 247. ad vitam æternam, 248. substernitur miseriæ humanæ ibid. non differt a prædestinatione 268. est una 269. non respicit opera ibid. non est absoluta 283. seqq. 304. seqq 367.

Electionis schema 238. vox. 239. definitio ibid. finis 248. fructus 249. objectum 250. causæ eædem, quæ justificatione 249. decretum non est ordine prius decreto creationis. 251

Eleemosyna non ex quantitate doni, sed ex voluntate erogantis æstimantur. 660

Enthusiastæ veteres & novi. 189

Episcopi Romani priores a posterioribus distinguendi 226. non sunt distincti a presbyteris 510. seq.

Episcoporum jus ad Baptismi administrationem qual.? 328.

Eras-

Erasmus de jejunio laudatur a Cassandro 527. de ceremoniis in Ecclesiam invectis ibid. seqq.
Ernestus Dux Luneburgensis Aæ Ci subscripsit. 9.
Essentia divina an admitta t communicationem. 38.
Essentiæ nomen unde sumptum. 25
Evangelium an arguat peccata 129. est potentia Dei. 182
Evangelii summa 181. prædi catio pura est Ecclesiæ nota 235. atq; universalis 243. promissiones sunt universales 284. quomodo fiant particulares. 286
Eucharistiæ quid? 353. qualis sit? 368. seq. V. Cœna.
Eunomiani qui? 32
Exclusivæ particulæ de Deo quomodo intelligendæ, 27. in articulo de justificatione quid notet. 142
Exhibendi vox in cœna ad Christum & ministrum referenda est 358. complectitur λῆψιν & θόσιν. ibid

F.

FAbricius in art. 3. Aæ Cis quædam desiderat contra socios 69 seq. art. 4. ait e Schola Simonis magi ortum 132. art. 5. reiicit. 177. de verbo interno cum Anabaptistis sentit 189. seqq, circa 6. art. mutationem accusat 202. discordiam nobis obiicit 224. nos Donatistis associat 298. Lutherum fundamentum hæreseos Anabaptisticæ facit 317. Melanchthonem exagitat propter art. de Cœna mutationem 349. circa art. 11. Apologiam accusat & Lutherum arguit 406. circa 12. art. Summa vehementia invehitur in

nostros 419. circa 13. art. calumniatur, 473. de opere operato & opere operantis disserit, 474. Sacramenta ex se justificare ait, ibid. circa 14. art. convitiatur, 497. art. 15. improbat & rejicit, 523. circa 16. art. nostros mire exagitat, 552. art. 17. approbat, arrodit tamen confessores, 574. circa art. 18. Lutherum & Philippum exagitat, articulum tamen approbat, 592. seq. art. 19. approbat, invehitur tamen in Melanchthonem, 619. art. 20. dicit quinti Evangelii summam. 646. art. 21. rejicit. 669. seq.

Faius Dei potentiam extenuat, 35. hæreticos capitaliter puniendos censet. 566.

Feriæ Christianorum sunt triplicis generis. 530.

Fides justificans, quid sit 139. est ex Evangelio non ex lege 168. non est definienda per obedientiam mandatorum ibid. Sola quid sit 143. imputatur ad justitiam 140. est Evangelii summa 155. confessionis anima, 146. pars pœnitentiæ, 428. seqq. unicum medium apprehendendi Christum, 272. per charitatem efficax, 219. cum studio peccandi non potest consistere, 207. 219. opponitur operibus in art. justificationis, 142. 168. seqq. distinguitur a fructibus spiritus, 169. incurrit electionem. 240. 252. sqq. quomodo sit effectum electionis 257. electorum est perseverans ibid. non est omnium 284. potest amitti. 285. 433. non pertinet ad formam Sacramenti. 490. facit tamen ut Sacramentum prosit, 479. infantum qualis, 329. seqq. 338.

Carbonaria 474. implicita, explicita, informis, formata. 146

Fides, spes, charitas, quamvis cohæreant, habet tamen quælibet suam definitionem. 173
Fidei media qualia. 180. seqq.
Ad fidem cogi nemo potest nec debet. 559.
Fide solarii qui? 147.
Filiatio Christi una est, 124. nec recipit magis & minus. 125.
Filius secunda persona deitatis 28. Flaciani sua de peccato sententia evertunt omnes fidei art. 50.
Fœtus in utero non baptizatur, quando mater gravida baptizatur. 323
Fractio panis an recte appelletur Cœna. 355 seq. vi etiam panifragium frangere panem id est distribuere. ibid.
Franciscus Dux Luneburgens. Aæ Ci subscripsit. 9
Franckenthalense colloquium de fide infantum, 329. de Cœna. 373.

G.

GEneratio alia est æterna, alia spiritualis sive gratiæ. 78
Gerhardus scholasticorum circa Mariæ conceptionem dissensum enarrat. 55.
Georgius Elect. Brandenburgicus Aæ Ci subscripsit, 9. ob constantiam laudatur. 13.
Γεωμετρῦντες qui sint? 36.
Glossa juris canonici de Confessione. 117.
Gnadenwahl Calvinianis. 276
Goclenius de ratione humana, 63. de B. operibus, 214. de propositionibus personalibus, 334. de analogia sacramentali. 336. de verbis Cœnæ. 375. de Enallage grammatica. 377. de voce Κοινωνίας 387.

387. de panifragio 535.seqq. de vini effusione analogica 536.seqq.
Propositiones sacramentales vocat irregulares sibi tamen inconstans est. 380
Grammaticus sacramentariorum ordo. 376
Gratia Dei proponitur in Christo 156.extra Christum non considerantur 240. Christi satisfactioni non opponitur 256. est universalis 240. est fons nostræ salutis 242. varie consideratur in hominis conversione. 599.
Gratis quod notet 130.138.
Gregorius Septimus Magistratum deposuit. 563
Grynæus de Christo patri inferiore 103. de propositionibus personalibus 109.de justificatione operum 151. de efficacia verbi & sacramentorum 193. duos facit baptizatores 335. virtutem sacramentorum fidelibus adstringit 337. quod per quatenus explicat in cœna 376. infidelibus sacramenta ait esse sacramenta perfidiæ & incredulitatis 337. rationi humanæ nimium tribuit 609.Deum peccati caulam facit. 626

H.

HÆretici scripturas depravant 236. an sint capitaliter puniendi 559.seqq.
Herbornenses de λόγῳ extra carnem 108 38. de propositionibus personalibus 109. de communicatione idiomatum ibid.seq.
Reprehendunt dicentes λόγον incarnatum realiter habere carnem 109. faciunt sessionem duplicem 114.& duplicem adorationem 115. Christi corpus sacramentaliter manducari ne-

negant 382. leges Mosaicas revocare volunt 565. hæreticos capitaliter puniendos censent 566. electionem & reprobationem faciunt absolutam. 576
Hilarius de Christo 79. de particula sola. 143.
Hieronymus de persecutionibus 238. de Ecclesia 301. de Episcopis & Presbyteris. 511.

Hoffmeisterus art. 2. Aæ Cis approbat 44. in 3. art. quædam desiderat contra socios 70. de 4. art. mollius loquitur sociis 132. de præparationibus & operibus differit 179. art. 5. approbat 180. verbum internum cum Schvvenckfeldio defendit 190. de 6. art. modeste judicat 203. art. 7. per omnia approbat suis contradicens 225. idem facit circa 8. art. 229. Ecclesiam invisibilem statuit ibid. art. 9. ceremoniis exceptis approbat 318. ut & 10. ex parte 350. art. 11. approbat 407. sic & 12. art. 421. meritum Christi evehit ibid. Scholasticorum dogmata non omnia ait ab Ecclesia esse recepta 422. art. 13 de adultis intellectum approbat. 475. infantum communionem improbat ibid. de numero Sacramentorum rixari nequit 476. Episcopos Romanos taxat ib. circa 14. art. invehitur in nostros & suos 499. art. 15. non improbat, requirit tamen candorem. 525. negat traditiones ad salutem esse necessarios ibid. ceremoniarum numerum immutandum censet 526. artic. 16. approbat 553. itemque artic. 17. 564. ut & art. 18. 594. nec non art. 19. 619. circa art. 20. flagellat Lutherum & Melanch-

lanchthonem 648.art.21.approbat ex parte.670
Homo carnalis & Spiritualis quis 174.464. natura est immortalis,578. primus similis fuit Deo, non æqualis, 615.audit verbum, per quod tamen solus Deus operatur, 188. in conversione consideratur mere passive, 599. conversus cooperatur. ibid.
Hominis non renati vires quæ? 186.
Honorius Augustodunensis contra crucis adorationem superstitiosam. 672
Hosius de scripturæ authoritate. 225
Hostiæ asservatio, circumgestatio & adoratio rejiciuntur,372.tolluntur a Calvinianis,533.
Hostiensis de contritione. 422.
Huberus locum Rom.5.corrumpit. 618
Hugo de S. Victore Sacramentum definit. 478
Humanitas Christi V. Christus consideratur in communicatione,ut in persona τῦ λόγυ subsistens. 89.
Hunnii Calvinus judaizans. 35.
Hussus de bonis operibus. 207.

I.

IDiomatum communicatio V.communicatio.
Jejuniũ quomodo approbetur vel rejiciatur.527
Iesus,Salvator,olim præfiguratus,73. V. Christus.
Iesuvitæ confessionis machina omnia vincit.444
Ignatius Valentinum refutavit. 32
Imago dicit relationem producti ad producentem. 79
Imaginem crucis detestantur Calviniani, 675. in templo habere an sit idololatricum. 533.654.
Imaginibus nihil inesse numinis fatetur Cassander. 671. Im-

Immortalis quispiam dupliciter dicitur. 579
Imparatio a Calvinianis nobis imposita. 384
Impiorum damnatio erit æterna. 583
Impositio manuum unde? 507. an ad essentiam ordinis pertineat. ibid.
Imputatio fit secundum debitum vel secundum gratiam, 140. fidei quid sit? ibid. a Pontificiis exagitatus. 147
Indulgentiæ Papales quæ sint? 449. refutantur, 450. Earum origo nec ex scripturis, nec ex Patribus probari potest. ibid.
Induratio quomodo a Deo sit? 621. seq. 629.
Indurare explicatur per permittere, 629 seqq.
Infantes Christianorum qui? 324. non nascuntur sancti. 59. sunt baptizandi, 324. an recipiant fidem in Baptismo? 329. 338. fine Baptismo decedentes an salventur? 326. ante Baptismum an sint in fœdere, 331. sqq. Baptizati an justificentur susceptione sacramenti ex opere operato? 474.
Innocentius Quartus reges deposuit, 563. Octavus alium quam vini liquorem in cœna adhibendum Norvvegis permisit. 371.
Intemperantia etiam in V. Test. fuit prohibita. 657
Intentio in Sacramentorum administratione an necessaria? 328. 370.
Invocatio ad solum Deum dirigenda, 671. Sanctorum est contra Scripturam. 670 seqq.
Iohannes Saxoniæ Dux & Elector Aam Cem scribere iussit. 9
Iohannes Fridericus Dux Aæ Ci subscripsit. ibid.
Ira quæ prohibita sit? 655.
Irenæus Valentinum refutavit 31. de hæreticis qui Deum

Deum peccati causſam dixerunt. 620
Iubilæus annus a Pontificiis Baptiſmo conferetur 450. quando inſtitutus & correctus 451. verus quid contineat 450. ſeq.
Iunius negat Chriſtum Deum ex Patris eſſentia genitum 105. Angelos facit Eccleſiæ militantis membra 273. leges Moſis forenſes revocandas ait 565. hæreticos capitaliter puniendos cenſet. ibid.
Iurisdictio non competit Epiſcopis vel Sacerdotibus. 449
Iuſtificatio eſt vocabulum forenſe 133. definitur 135, tria comprehendit 136. eſt una 135. fit gratis ſine operibus & meritis propriis. 128. 129. 135. 138
Iuſtificationis cauſa efficiens prima 136. προκαταρκτικὴ 137. meritoria ibid. inſtrumentalis 138. formalis 136. finalis 139. ſubjectum. 136.
In juſtificatione lucet Dei juſtitia & miſericordia. 158.
Iuſtificati qui ſint 433. poſſunt amittere Spiritum S. ibid. an ſint ſine peccato? 458
Iuſtitia Originalis quid ſit? 48. 49. Chriſtianorum non eſt civilis aut Philoſophica. 641

K.

KEckermannus de differentia Perſonarum divinarum 37. de communicatione divinæ eſſentiæ 38. de ratione humana 63. Definitionem perſonæ Melanchthonianam ſugillat 38. tres facit juſtificantes ibid. negat Chriſtum Deum ex Patris eſſentia genitum 105. ſeq. fidem ad Sacramenti formam requirit 337. Rhetoricos Sacramentarios refutans Logicis accedit, 379. 380.

380. gratiam amitti posse negat 454. absolutam facit electionem ibid.
Κοινωνία quomodo a Calvinianis intelligatur. 387

L.

Lactantius de Ecclesia. 230
Λαμβάνειν quid significet? 362
Lapsis omnibus patet pœnitentiæ aditus. 434. sqq.
A Lasco de verbis: Hoc est corpus meum 389. Cœna usus est Witebergæ. 547
Lavaterus de privata confessione 415. de ritibus circa cœnam Ecclesiæ Tigurinæ. 537.
Legalia dicta ab Evangelicis discernenda. 597.
Legenda Sanctorum de Mariæ conceptione. 55
Λειτουργία cur dicatur S. Cœna. 354.
Leo Magnus de Arianizantibus. 39. 104.
Leo Papa de Militia. 565.
Lex Dei est perfecta, ut additione non sit opus. 651. 652. seqq.
Legis impletio impossibilis. 174
Libertas alia est naturæ integræ ante lapsum & gloriæ in vita æterna, alia vitæ præsentis 597. Christiana omnia facit bono ordine 358
Liberum Arbitrium V. Arbitrium.
Lingua peregrina sit missa 370. Vernacula sit Matrimonium. 532.
Logicus Sacramentorum ordo. 376. 380.
Λόγος an sit extra carnem. 36. 108
Lombardus de Spiritus S. processione 29. de Christo mediatore 99. de altera naufragii tabula. 329. de Sacramentorum numero 478. Semipelagianizat circa prædestinationem. 265

Lub-

Lubbertus Vorstium refutat. 41.
Lucifugæ Scriptores taxantur. 516.
Lucta carnis & Spiritus quid sit. 465
Lutherus Aam Cem conscripsit. 9. Doctoris Gallici judicium de Aa Ce ferentis narrat. 15. seq. Αλλοιώσιν Zvvinglii vocat larvam Diaboli 111. absolutum decretū adiecit. 283. Ecclesiæ nostræ nō est primo autor 311 segregavit transsubstantiationem Cochlæo teste, 350. an fuerit legitime vocatus & ordinatus, 312. seq. arbitrium hominis lapsi vocat servum, 596. quomodo Ecclesiam dixerit visibilem, 230. quid de Ecclesia sub Papatu senserit. 298
Lutheri sententia de Idiomatum communicatione olim fuit approbata 70. 95. seq. Versio Bibliorum germanica laudatur, 311. Dictum de Zvvinglii Logica. 376. Verba circa singulos articulos V. sub lit. Aæ Cis articulus.
Lutherani Ministri an sint legitimi, 511. non sunt hæretici 236. Eorum fides antiquissima, 11. tituli a Fabricio prolati. 420.

M.

MAgistratus solus non debet vocare ministros Ecclesiæ 505. etiam Tyrannicus est a Deo, 555. vocatur vel extraordinarie vel ordinarie. 556. ferat leges legi divinæ non adversantes. 500 leges Mosis forenses libere retinere potest. ib. sceleratos capitaliter puniat. 568.
Magistratus etymologia. 554. Synonimia. 555. definitio ejusque explicatio ibid. forma. 557. finis. 558. 562. officium in Ecclesia. 558. tum quoad religio-

ligionem. ibid. sq. tum quoad res externas. 559. Republica. 560. circa leges, ibid. circa judicia. 560. 570. circa bella. 561. 569.
Magistratui quid debeatur a subditis. 562. seqq.
Mahumetista una in Deitate persona statuunt. 32.
Malefici ad supplicia rapti converti possunt. 471
Manducatio est naturalis vel spiritualis vel Sacramentalis 363. Sacramentalis a Spirituali differt. 365. seqq. 387. Capernaitica qualis. 362. 363.
Manichæi quid de Deo sentiant 32. peccatum originale dicunt mali Dei κτίσμα 50. finxerunt miram hominis a peccatis purgationem 189. Deum peccati causam dixerunt. 620.
Marcionis error de duobus principiis de causa peccati. 620
Maria virgo non est adoranda 34. non est sine peccato concepta & nata 55. 172. non contrivit caput serpentis 103. non est regina cœli 671. cultu ὑπερδουλίας a Pontificiis veneratur 673. seqq. imo cultu λατρείας 671. seqq.
Marpurgenses Calviniani, in medulla & Anatomia de fide 151. sq. de Sacramentis 195. de panifragio 276. 534. de regeneratione 339. de particula Hoc in Cœna 376. de præsentia Christi in Cœna. 385. de voce κοινωνίας 387. de substantia V. & N. Test. Sacramentorum 492. de analogia Sacramentali 493. de vini effusione analogica. 536.
Dissimulandi studium amant 4. 5. Rhetorici sunt. 577. sensum Sacramentarium defendunt 380. sq. Edere ad solum panem referunt 381. edere per credere explicant. ibid. manducationem cœnæ faciunt

faciunt duplicem 381. seq. discrimen inter manducationem spiritualem & sacramentalem tollunt 382. indignos ajunt non accipere corpus Christi 383. quomodo loquantur de nostra sententia. 384. sqq.
Martinus de duabus Christi naturis exaltatis examinatur, Ep. ad Lect.): (13. infelix contra Arianos disputator est. ibid.
Martyr de unione personali 107. de b. operum merito 216. de verbis cœnæ 374. Dei potentiam minuit 35. Cœna usus in Anglia non consentientibus omnibus 546. seq. Hominem a Deo ad peccandum impelli ait. 608. Deum peccati causam expresse ait. 625. seq.
Maulbrunnense colloquium de Dei domicilio. 36. de Cœna. 380
Mediatores redemtionis & intercessionis Pontificiorum. 671. seqq.
Melanchthon Aam Cem concinnavit 9. idque authoritate publica 10. mutavit postea privato ausu 129. absolutum Calvinianorum decretum vocavit fatum Stoicum & peccatum tabulas 283. an statuerit Deum esse peccati causam 619.
Meletiani qui sint? 434
Mendacium etiam in V. T. fuit prohibitum. 662
Mensa domini dicitur Cœna. 353. v. Cœna.
Messaliani qui 189
Μετάνοια dupliciter sumitur 426. non est actio pœnalis ibid. non differt a μεταμέλειας in scripturis. 425
Metaphorica filii generatio Calvinianis. 36
Miletus de Christo salutis causa 99. de justificatione per fidem. 147. Mi-

Ministerium Evangelii est a Deo 182. unde ejus efficacia & dignitas dependet 184. dicitur ministerium spiritus 181. est unum 196. ejus confusio improbatur & refutatur. 516. 501.
Ministerii Ecclesiæ quid sint 302. soli Christo subsunt ibid. non sunt Ecclesiæ Domini 506. non debent una manu Evangelium tenere & altera vibrare gladium 557. Eorum qualitas nil confert nec aufert virtuti Ministerii 300. 321. v. ordinatio.
Missa quomodo Cœna dicatur 354. seq. Pontificia 370. est duplex ibid. quis ejus fructus 372.
Missaticæ vestes & Ceremoniæ. ibid.
Missificantium nomen & officium scripturæ est ignotum. 511
Molina perseverantiam in fide libero arbitrio tribuit. 607.
Mompelgardense colloquium de imaginibus 276. de Baptismi necessitate 331. v. etiam Beza.
Monstra an sint baptizanda 323.
Mortalis qui dupliciter dicitur. 580
Moscorovius de Ecclesia invisibili 289. de prædestinatione 293. electionem facit duplicem. 294. male definit Baptismum 339. infantum Baptismum reiicit ibid. 343. regenerationem Baptismo fieri negat 339. analogiam sacramentalem defendit. 340
Mundi vox quid notet 242
Munster Calviniano nos nominat Buchstabler 376
Musculus Dei potentiam limitat 35. facit gratiam Dei absolutam. 155
Mussus negat Dei nomen esse Deo proprium 33. Trinitatem etiam apud hæreticos esse celebrem ait. 34.

Mutatio qualitatis non infert mutationem essentiæ. 401.seq.
Mutilatio Cœnæ Pontificia. 367.370.seqq.

N.

NAturæ nomen unde sumptum. 25
Naturæ in Christo unitæ nõ sunt exutæ suis proprietatibus 86.cætera v.Christus & unio.
Natalis de igne mundum conflagraturo 575. de Maria Christi judicis coadjutrice. 576.
Nazianzenus de divina Christi operatione. 79.
Neostadiana admonitio prædicationes de Christo judicat verbales 109. Deum ait nominetenus passum 111. naturarum munia in Christi judicio distinguit 116. τὸ ῥητὸν S.cœnæ exagitat 374.Edere ad solum panem refert. 381.
Nestorii παράστασις. 87.seq.
NicenaSynod9 qualis 22.cur inAaCe allegetur.ib.
Nicephor9 dePhotini hæresi 39.deEnthusiastis189
Noetiani qui 32
In nomine Dei nõ in nomin9 baptizamur 344
Noribergensis Respublica Aæ Ci subscripsit. 9
Notitia Dei naturalis probatur 40.
Novati hæresis quando cœperit 434
Novatiani circa pœnitentiam errantes damnantur,&c. ibid.

O.

OBedientia Christi v.Christus,est vel legis,vel Evangelii. 170
Occam circa prædestinationem Pelagianizat.264
Oecolampadi9 Schvvenkfeldium laudat,191.corpus Christi in Cœna pro figura accipit. 377.

Of-

Offerre &obsignare sint duæ distinctæ notiones 480
Ομοουσία quid inferat 37.seq.quid sit 41
Ομοούσιοι tres sunt deitatis personæ. 27
Ομοούσιος nobis est Christus. 83
Opera bona quid sint 204.seqq.quæ excludatur a justificatione 170.seq.138. opponuntur fidei in justificatione 142. 168.ut & gratiæ ibid. ante justificationem nulla sunt 170.106.seqq. an sint necessaria ad salutem 215. fiunt a renatis 205. judicantur ex adverbiis 206. sequuntur justificatum ibid. non sunt meritoria 207. 645. sq. non conservant fidem 215. non incurrunt electionem 273. non sunt pars pœnitentiæ. 429
Operum bonorum causa efficiens 204.seqq. necessitas 205.seqq. forma 205 209.finis 210. isque varius ibid.seqq.distinctio 219.hostes 208. seq.
Opera mala non faciunt hominem malum. 647
Opus operatum & operantis quid sit Pontificiis.486
barbarum quid est. ibid.
Ordinatio Ministrorum quid 506. fit cum manuum impositione 507. an sit Sacramentum 508. seqq. est necessaria 518
Ordo ministrorum observandus est 507. numero tamen certo non definitus 507. seq. nec est ad primatum rapiendus. 508. non est Septenarius. ibid.
Ordo in Ecclesia recte constitutus studio novitatis turbari non debet. 519
Origenes justificationem soli fidei tribuit 144. non vocatus docens in errorem prolapsus est 515.finem ponit pœnis infernalibus 575
Osorius de B.operib9 213.jubilæum nominat tertium Baptismũ 450.Mariam Christo judici associat 576.
Ostorodus a Photino errores hausit 40.notitias natura-

turales negat. ibid. unitatem Dei de una persona explicat. 41. peccatum originale negat 64. 611. seqq. circa art. de Christo varie errat 121 circa justificationem errores cumulat 153. seqq. vocationem Ministro necessariam esse negat 198. Spiritus S. illuminatione non esse opus ait 200. promissionem vitæ æternæ ad N. T. adstringit 221. quæstionem, ubi sit Ecclesia, inutilem censet 290. seqq. de prædestinatione sententiam suam non aperit 296. divinam baptismi institutionem negat 340. circa baptismi efficaciam Calvinianizat ibid. circa infantum Baptismum Anabaptistis accedit 342. circa S. Cœnam ejus fructum & usum depravat 393. τὸ ῥητὸν cœnæ reiicit & tropicam interpretationem approbat 394. cur Christus panem appellarit suum corpus, declarat ibid. ægrotis Cœnam dandam esse negat 395. cum Calvinianis in Cœna in multis sentit 396. quomodo novatianos improbet 459. seq. privatam institutionem cum publica prædicatione confundit 495. de magistratu honorifice loquitur cum fuco. 516. 567. negat scelerato licere vitam adimere 570. bellum improbat ibid. negat licere latronem interficere ibid. judicia gerere nefas ait ibid. hominem natura dicit mortalem 578. seqq. de statu animarum post mortem errat 583. de resurrectione mortuorum quid credat narratur 584. seqq. Christi corpus a resurrectione mortale dicit ibid. negat corpus spirituale habere carnem 585. homini lapso liberum arbitrium tribuit 611. imaginem Dei in sanctitate consistere negari impletionem legis homini attribuit ibid. auxilium Dei facit duplex 612. legem a Deo impletam & perfectam esse statuit 654. legis imperfectionem probare conatur 665. proximum male definit 655. de moribus nihil in V. Test. præceptum esse judicat 656. male avaritiam definit 658. seqq. mendacium in N. T. tantum esse prohibitum ait 662

Ουσιωδῶς quæ prædicantur de patre, eadem de filio prædicari possunt 79

P.

PAnis qualis in Cœna intelligatur 358. quomodo sit typus & figura corporis 361. panifragium in Cœna an sit necessariam 533. seqq. quid sit Calvinianis 534. an sit repræsentativum. 536

Panormitanus de confessione auriculari. 414

Papa Romanus non est Ecclesiæ caput 263. 313. de facto ablegat suos in Indiam 313. non habet potestatem reservandi certos casus circa absolutionem 449. non habet jus vocandi ministros 510. Imperatores deponit 563. currus Dei dicitur, qui orbem portet 564. clerum eximit potestati politicæ ibid. subditos a juramento absolvit 565. non est Sanctissimus salutandus 673. Diaboli mancipium est. ibid.

Papistæ veritate non valentes obloqui circa minutias occupantur 18. Sanctos invocant 31. de sessione ad dextram inconstanter & ambigue loquuntur 97. satisfactionem Christi an ad peccatum originale tantum adstringant 99. 102. circa justificationem operum Photinianizant 145. quam honorifice loquantur de scriptura 190. Ecclesiam extollentes supra scripturam Papam supra Deum ponunt 263. dissimiliter numerant Ecclesiæ nostras. ibid. circa artic. de prædestinatione variant sententiis 263. seq. in artic. de electione silent de fide 270. campanos baptizant 329. fatentur Calvinianos in artic. de Cœna a nostris dissentire 351. pœnitentiam inter Sacramenta numerant. 438. seqq. Sacerdotes conficere Sacramenta communiter sentiunter sentiunt. 489. characterem

faciunt indelebilem ibid. nos calumniantur quasi discrimen pastoris & ovium tollamus 502. male solis rasis nomen clericorum tribuunt ibid. ordinem Ecclesiasticum in fœdissimum abusum convertunt 509. a cura religionis magistratum reiiciunt 564. alii Pelagiani, alii Semipelagiani sunt 600. præter verba de operum meritis nihil boni operis habent. 649

Papistarum errores circa art. de Deo 33. seqq. de peccato 52. seqq. de Christo 95. seqq. de justificatione 131. seqq. de B. operibus 212. seqq. de Ecclesia 262. seqq. de Sacramentis 327 de Baptismo 327. seqq. de Cœna 370, seqq. de confessione 512 seq. de pœnitentia 439. seqq. de Sacramentorum usu 485. seqq. de Ritibus Ecclesiasticis 508. seq. de Magistratu 531. seq. de Extremo judicio 575. seq de libero arbitrio 600 seqq. de causa peccati 627. sq. de cultu Sanctorum 673. sqq.

Παρεσασις Nestorii reiicitur. 87. 107

Pareus quid contra Photinianos præstiterit Epist. ad Lect. 8. Ejus Irenicum examinatur 2. seq. de Aa Ci sentiat 3. seq. Hassiacos suis conjungit 5. contra Calvinum Iudaizantem quis præstiterit 35. de gratia Dei nobiscum sentit 148. Piscatorem exculpare conatur 150. ut & Zvvinglium 151. facit gratiam Dei absolutam 156. Schvvencofeldianizat de verbo prædicato differens articulos Calvinianis impositos enumerat 281. seqq. de gratiæ amissione quid sentiat 455. sophistam agit circa promissionum universalitatem 458. prædicat consensum Evangelicorum circa Sacramentorum usum sibi suisque contradicens 493. doctrinam de peccati causa a se suisque devoluere conatur 627

Patres sive Ecclesiæ Doctores non sunt regula veritatis 263. fidem solam justificare docent. 143. seq.

Paulus Apostolus quomodo non fuerit missus ad baptizandum. 345

Pax Christiana in doctrinæ consensione consistit tanquam fundamento. 494

Peccatum in genere quid sit 46. non est mera privatio ibid. aliud est Diabolorum aliud hominum 48. aliud primum, aliud ortum ibid. 635. originale vel actuale 48. commissionis vel omissionis per ignorantiam factum 635. proprium vel

vel alienum 636. mortale vel veniale, quod tamen cum grano salis accipiendum est ibid. infirmitatis quid sit ibid. non regnans 636. petulanter admissum. 468
Peccatum originale quid sit 46. probatur 48. 55. 64. manet in baptizatis tanquam radix 49. idque ut vere peccatum ib. a quibus impugnetur ibid. Pontificiis negatur esse vere peccatum 52. seqq. propagatur a parentibus ad posteros 57.
Peccatum protoplastorum quantum sit 468. publicum publice redarguendum est. 636
Peccatum in Spiritum sanctum quid sit 637. 31. cur dicatur irremissibile. ibid.
Peccati causa non est Deus 619. seqq. sed Diabolus & homo 621. aliter licet de Deo multi statuerint ante & post Christum natum 620
De peccato alia est & Theologis, alia Philosophis doctrina 46
Peccata, cur Deus fieri permittat 631. non sunt paria 625
Pelagius & Pelagiani qui 50. sq. quid sentiant de peccato ib. de viribus hominis in divinis 190. 590. 600.
Pelagianismum an sapiat dicere electos esse per fidem 249.
Per filium quomodo creaverit pater. 27
Pererius tempus extremi judicii definit 576.
Περιχώρησις quid sit 84
Perkinsius amissionem gratiæ negat 454. electionem absolutam facit 576. Permissio divina a causa efficiente distincta est 630. seqq.
Persecutio an sit nota Ecclesiæ 237
Persona in Deitate qui sit 25. illa sunt plures 25. sed tamen tantum tres ibid. 41. distinguuntur tum ad intra 26. tum ad extra 27.
Personarum discrimen a Keckermanno & aliis positum 37. dualitas non est in Christo 84
Petri Cathedra quæ 226
Pezelius de filii immensitate 106. λόγου non esse extra carnem concedit. 38
Pfenning dreyerley: Zehr-Ehr- und Wehrpfenning. 66 seqq.
Philippus Evangelista ad prædicandum vocatus fuit 519
Philippus Landgravius Aæ Ci scripsit 9

Philosophi quomodo de affectuum moderatione disputent 44. veram de peccato doctrinam ignorant ibid. Photiniani unde nomen habeant 39. magis in destruendo quam ædificando occupantur, Epist. ad Lect.):(2. seqq. impugnant doctrinam de Christo, Epist. ad Lect.):(4. seqq. de Evangelio ibid.):(5. de Sacramentis ibid. 7. Nolunt dici Ariani 32. á Photino descendunt 39. negant naturalem Dei notitiam 40. Trinitatis Mysterium ibid. & Dei infinitatem 634. inviti loquuntur de DEI essentia 41. negant peccatum originis 64. & Christi Deitatem 218. seq. Faciunt e Christo novum Legislatorem 120. 220. negant Christi satisfactionem 152. 159. de justificatione varie errant 152. faciunt gratiam Dei absolutam 155. confundunt legem cum Evangelio 167. vocationem ministri non judicant necessariam 198. fidem male describunt 152. seqq. 217. & cum operibus confundunt 217. de B. operibus quid sentiant 217. negant in V. T. promissam fuisse vitam æternam 224. quæstionem, an & ubi sit Ecclesia, inutilem dicunt 289. eoque negant artic. de Ecclesia 290. 291. circa prædestinationem Pelagianizant 293. circa Baptismos plures errores faciunt 339. in multis errant circa cœnam 391. seq. & in ea varie Calvinianizant 396. quid de potestate solvendi & ligandi sentiant 416. confessionem privatam reiiciunt 417. verum Christianum non peccare statuunt 459. sq. negant se esse Novitianos, quamvis idem sentiant 466. de pœnitentia varie errant 468. doctrinam nostram de Sacramentis non admittunt 494. sq. ordinem Ecclesiasticum turbant 516. circa ritus Ecclesiæ Calvinianizant 548. de ordinatione politica frigide sentiunt 566. seq. circa extremum judicium varie errant 578. unum agunt, ut scripturas inflectant ad suas opiniones 586. Homini lapso liberum arbitrium tribuunt 611. tuentur Pelagianismum 613. totum Evangelium abnegant ibid. seq. negant præsentiam Dei extendi ad peccata futura 634. summam salutis in studio B. operum collocant 649. avaritiam male definiunt 658. quantum errant circa art. de B. operibus synoptice ostenditur 652. seqq. Calvinianizant circa sanctorum memoriam 675. sq. V. etiam Ostorodus & Raccovienſis Catechismus.

Pighi-

Pighius de peccato originis 53. Palagianizat circa prædestinationem. 264
Pincier de DEI præsentia 35. de Christi immensitate 106
Piscator Herbornensis admonetur, Epist. ad Lect.):(9. dextram Dei facit localem 37. facit tres causas socias salutis 38. in Deo ponit genus & species 39. negat Christum hominem esse Dei filium 109. novam de Christi satisfactione fovet sententiam 116. sq. damnatur in Synodo Wappinensi 150. facit meritum Christi particulare 149. infantes negat justificari fide sua 150. renovationi justificationem adscribit 151. 214. Photinianizat circa Christi satisfactionem 157. efficaciam salvandi Sacramentis denegat 195. Deum facit hypocritam 196. promissiones a voluntate distinguit 197. vim facit irresistibilem 276. 608. reprobationem facit absolutam 278. fatalem necessitatem introducit 280. 608. ordinem electionis & reprobationis invertit. circumcisioni virtutem suam detrahit 334. seqq. loca Ioh. 3. Eph. 5. Tit. 3. corrumpit 335. negat baptizatos regenerari, 337. aliter infantibus, aliter adultis justitiam imputari asserit 338. inconstans est explicatione verborum Cœnæ. 383. seq. Edere per credere explicat in Cœna 381. indignos tantum elementa ait excipere 383. negat præsentiam Christi in Cœna 384. vocem κοινωνίας male explicat 387. vocem testamenti tropice interpretatur 388. quid ei sit discernere corpus Domini ibid. amitti posse gratiam negat 454. gratiæ applicationem dubiose proponit 457. panisfragium defendit 535. Deum facit causam peccati. 608.
Pistorius Apostata de Aæ Cis mutatione 17. operari passive explicat 486
Platina in Bonifacio Octavo 453
Plebis solius non est vocare Ecclesiæ ministros, 506
Pœnitentia quid noret & unde 425. varia habet nomina ibid. seq. definitur 427. non est Sacramentum 439. non est altera post naufragium tabula ibid.
Pœnitentiæ terminus a quo & ad quem 428. effecta ibid. partes duæ ibid. non tres 429. concio est universalis 470
In Pœnitentia Lex & Evangelium concurrunt 432
Polanus Nestorianizat 106. Est explicat per significat 377. mor-

mortificationem & vivificationem facit pœnitentiæ partes 453. gratiam amitti posse negat. 454
Πολυθεία Ethnicorum reiicitur. 31
Possevinus Trinitatem ex scriptura probari posse negat 34.
Mariam Christi socio associat. 576
Præcepta Dei facere quid sit Scholasticis. 593.
Prædestinatio unde 239. quid sit ibid. multa ardua continet. 244. a præscientia Dei distinguitur 247. semper sumitur in bonam partem in scripturis 268. non differt ab electione ibid. non est absoluta. 276
Prædicantis nomen honestissimum 571. prædicationis stultitia quid sit præparatio ad gratiam nulla 191. 179. seq. præscientia Dei differt a Prædestinatione 247. referaur ad fidem. 247. seq. 255
Praxeani Trinitatis inimici 32
Pro nobis quid notet in S. Cœna. 367
Promissiones Dei sunt universales in sese 458. Earum nucleus est in Sacramentis. 481
Propositiones personales quæ 85. distinguuntur ab unione, quamvis inde fluant ibid. quomodo resolvantur a Calvinianis. 109
Propositum Dei in electione quid 243. non differt ab eius executione 244 discendum est ex Evangelio ibid. non est absolutum. ibid.
Proprietates rerum naturales frustra urgentur in Sacramentis. 496
Protestantes qui sint 9
Pseudo-Apostoli confundunt fidem cum operibus Pseudo-Lutherani qui sint Calviniaus. 173
Pudor nullus est ad meliora transire. 542
Purgatorium scriptura ignorat.

Q.

Quod pro quale vel quatenus non sumitur. 376. 403.

R.

Raceovienſis catechesis de Dei unitate 41. de peccato originali 64. de Christo 118. de justificatione 152. de fide 167. De B. operibus 649. de Ministrorum vocatione 198. de Cœnæ definitione & cur mortis annunciandæ causa fieri debeat. 391.

Ex-

Explicat verba Cœnæ 392. Sacrificium missæ reiicit cum transsubstantiatione nostrorumque sententia 393 potestatem ligendi & solvendi definit 416. missionem administrorum rejicit 198. Proprietatem novi fœderis describit 549. Magistratu verbis honorificis loquitur 566. seqq. hominem natura facit mortalem 578. homini sapso liberum arbitrium tribuit 610. singulis præceptis Christum addidisse statuit 649. seqq. imagines habere prohibet 652. juramentum vetat 653. Sabbathi Sanctificationem sublatam ait ibid. male avaritiam definit 657. Sanctorum memoriam tollit. 676.

Ramus duplicem tropum statuit in verbis Cœnæ 377. circa panisfragium sociis contradicit 536

Ratio humana quid in divinis valeat 127. contra verborum Christi proprietatem non est audienda. 397

Rebaptizati in Belgicis persecutionibus. 313

Reciprocatio in communicationis idiomatum genere non habet locum. 89

Reconciliatio inter Deum & homines summe necessaria est. 159. seq.

Regnum externum regno Christi non est contrarium 556

Religio doctrinam & ceremonias complectitur. 558. seq.

Rennecherus facit reprobationem absolutam 37. negat reprobos esse vocatos & redemptos 113. hominem a Deo ad peccandum impelli ait 608. 627.

Reprobationis definitio 258. Calvinisticæ 277. causa non est absolutum decretum. 259

Reprobi qui sint. 258

Resurrectio Christi tribus in Deitate personis adscribitur 28. 77. carnis qualis futura. 584. seq.

Rhetoricus Sacramentariorum ordo 377

Ribera mare fore consolidatum ait post mundi consummationem. 576.

Roffensis indulgentiarum originem ignorat. 451

Rutlingensis Reipubl. Aæ Ci subscripsit. 9

S.

Sa Iesuita de Baptismo dormientibus vel amentibus administrato 330. de Indulgentiis 449. de rebellione Clerici. 564.

Sab-

Sabbathicum ejusque Sanctificatio 654
Sabelliani qui 32
Sacerdotis vox nuspiam in N.T. tribuitur Ecclesiæ ministris. 302
Sacerdotes non habent jurisdictionem 449
Sacerdotium spirituale omnibus Christianis commune est. 502
Sacramenti definitio 319. non est in scripturis plene proposita 483. vox unde 479. est ἀγιασμὸς 383. finis varius primarius generalis tum respectu Dei 480. tum respectu utentium 480. dependens ex Dei verbo Sacramentum instituentis ibid. specialis alius Sacramenti initionis, alius Sacramenti confirmationis 482. ibid. secundarius multiplex ibid. seq. numerus binarius 483. septenarius pontificiorum 484.
Sacramenti contemptus non privatio damnat. 179.
Sacramenta typica ad V.T. pertinent 398. dant gratiam & non dant 178. offerunt gratiam & obsignant 480. seqq. quomodo conveniant cum verbo 185. qualia sint signa 481. sequuntur naturam doctrinæ, cui annexa sunt 483. non sunt sumenda ubi doctrina est diversa ibid. an justificent ex opere operato. 485
Sacramentorum recta administratio est Ecclesiæ nota 235. fit ordinarie a ministris Ecclesiæ 521. efficacia probatur 184. etiam est, quando a malis administratur 300. 182.
Sacramentum Altaris cur Cœna dicatur 354
Sacramentale panis & vini officium in Cœna 360.
Sacramentalis Manducatio vid. Manducatio.
Sacrificia V.T. sunt typi unici sacrificii Christi 359
Sacrificium cur Cœna dicatur 354
Sacrificium missæ V. Missa
Sadeel de Christi Incarnatione 36. de ratione humana 63. de Christi exaltatione 104. de humanitatis assumptione in Deum 107. de carne Christi vivifica. 112. de Christi majestate. 113. baptismi necessitatem negat 331 Sacramenta ejusdem esse efficaciæ cum Evangelio fatetur vocationem facit duplicem 415. de contradictione naturam ait judicare 609
Salmeron dissensum suorum circa Mariæ conceptionem fate-

fatetur 55. in meritis suis confidentiam ponit 100. justificationem facit triplicem 145. Mariam peculiari modo justificatum ait ibid. opera infidelium sua natura Deo grata dicit liberum hominis arbitrium infirmum ait 604. mortuos demum Sanctos vocat 673
Samosatenus unam tantum Deitatis personam statuit 32
Sancti qui 229. qui pontificiis 673. a Sanctis non nascuntur 59. an sint mediatores intercessionis 669
Sanctorum vox latior quam aliorum 229
Eorum festivitates quomodo licita 530
Sanderus de justitiæ imputatione 147
Sanguis quomodo Cœna dicatur 355. Christi verus nobis in cœna datur. 359
Saravia de diversis ministrorum Ecclesiæ gradibus 515
Satisfactio Christi probatur 162. non est nisi in Christo, 447. non valet nisi plena 448. pro peccato nulla est nisi infinita ibid. est tantum una coram Deo. ibid.
Satisfactiones humanæ nullæ sunt 161. Eas ipse Cassander examinat 423. Earum definitio 446. distinctio ibid. & refutatio 447. seqq.
Satisfactiones canonicæ 424
Scandalum est vel datum vel acceptum 529
Schaffmannus de peccatorum causis 633
Schrebar quid 429
Schmalzius de fide 199. de statu animarum post mortem. 583
Scholastici de peccato originis 50. de Christo 97. inter se pugnat. 52.
Schonfeldius de Sessione ad dextram 115. de præmiis gloriæ 216. de verbis Cœnæ 375. de panifragii analogia 536
Schröderus de Christi ad dextram Patris. 98
Schvvenckfeldius de Ministerio 189
Scriptura V. verbum Dei.
Selnecceri oratio de Aa Cc 16
Semipelagiani qui 600
Septenarius numerus celeberrimus 484. seq.
Servetus Genevæ exustus 32
Servetiani qui ibid.

Servum arbitrium V. Arbitrium
Signa sunt vel significantia vel exhibitiva 481
Signari & testari ad Sacramentorum finem non formam pertinet. 490
Simulatio Dei Sancta Calvinianis dicta. 277
Sixtus quartus Iubilæum ad 25. annum contraxit. 451.
Sleidanus de Anabaptistis 189. de missa Pontificiorum 370
Smalcaldici articuli de S. Cœna & Christi præsentia 352.
Socinus de sui erroris origine 40. de Ecclesia 290. dehominis mortalitate 378. 581. da statu animarum post mortem 583. de præscientia Dei circa peccata. 634.
Sohnius de differentia personarum divinarum 37. de λόγῳ incarnato 38. de Christi missione & officio 104. de ejus exinanitione 105. de Christo Dei filio ibid. de persona incarnata 105. de λόγῳ extra carnem 108. de sessione ad dextram. 114
Sola fides justificat 143. id quod habet Patres authores. ibid. seqq.
Sommerus peccatum originis fabulam Monachorum nominat 65. Novationis accedit. 467
Spindlerus de Prædestinatione absoluta 37. de Christi morte 149. de Dei voluntate 196. de causa peccati 608, 627
Spiritus Sanctus tertia Deitatis persona 29. procedit ab utroque ibid. 30. creavit Christi carnem 125. operatur per verbum & Sacramenta 180. seqq. quamvis non pure semper prædicetur aut administrentur 314. Ejus Deitas probatur ab appellationibus 29. attributis divinis ibid. affectis divinis. 30. cultu divino ipsi præstito. 31
Spiritum S. amitti posse probatur 455. 433. seq.
Spiritualis homo V. Homo
Spirituale corpus. 585
Stapletonus justitiæ imputationem spectrum cerebri Lutherani vocat 147. de successione Episcoporum recte sentit 264. Ecclesiam supra scripturam collocat 304. actionem pœnalem definit. 427
Strigelius de verbis Cœnæ 375
Suarez de Prædestinatione 266. de peccatis characterem deletis. 329.

Sub-

Subditorum officium erga Magistratum. 562
Successio Apostolica consistit in doctrina Apostolica 264
Symbolum nobis est tessera doctrinæ Christianæ. 7
Synagoge de vera Ecclesia in N.T. intelligitur. 227
Synaxis cur dicatur Cœna 353. v. etiam Cœna.
Synecdoche Calvinianorum circa idiomatum communicationem 87. circa art. de Ecclesia, 227. 233
Synergistæ qui 608
Syriaca versio V. Biblia.

T.

Tapperus de peccato originali 52. 54. de satisfactione Christi. 99. seq. 146
Taufretus de peccatorum causa. 633
Ταυτότης in Deo. 27
Templorum ornatus quis licitus. 530
Tertullianus de Sanctorum liberis 62. de reliquiis cœnæ 354. Valentinum refutavit 2. contra marcionem disputavit ibid.
Theodoretus verba Gen. 2. 17. de hominis mortalitate non male explicat. 583
Theophylactus de justificatione per fidem 144
Thesaurus veræ Ecclesiæ qualis 450. Ecclesiæ Pontificiæ habet indulgentias ibid.
Thesaurus Orthodoxæ fidei de verbo Dei 192. de Dei voluntate 196. de gratiæ amissione 454
Theschubati quid sit 427
Thomas facit gratiam absolutam 155. semipelagianizat circa prædestinationem 265.
Tigurini Dei potentiam labefactant 35. verba Cœnæ non admittunt pro fundamento. 374
Toletus de paganorum Baptismo 328. de materia baptismi ibid. de Baptismo dubio 329. de Indulgentiis. 450
Tossanus ex Sacramentis facit nuda signa 492. fatalem necessitatem defendit 608
Traditiones in scripturis non fundare non admittantur. 531
Transsubstantiatio Pontificiorū quid sit 371. reiicitur 362
Tridentinum Concilium de peccato 54. de Christo legis-

gislatore 100. de B.operibus 213. de confessione auriculari 413.de fide pœnitentiæ parte 442.de satisfactione propria 446. de absolutione 349. de casibus reservatis ibid.de ordinatione 508.de libero arbitrio. 601
Trinitas in Deo probatur 26. est doctrina Ecclesiæ propria 25.non probatur ex traditione 33. sq. intelligitur quamvis una tantum persona nominatur 27
Trinitatis opera ad intra sint distincta 17. ad extra sunt indivisa ibid.oppugnatores 31
In Trinitate nihil est prius neque posterius 27
Tripartita Historia Photini errorem enarrat 39.seq.
Tritheitæ qui 32
Tropi Calvinistici in Cœna 376.seqq. in Synopsi enarratur 388.seqq.
Turrinnus Baptismum Chrismate ait consummari 329

V.

Vadianus Trinitatem describit 36
Valentia negat Christum secundum bonitatem esse Deum 96.communicationem idiomatum negat 97.opera dicit meritoria. 213
De Christi satisfactione 99.de hominum meritis 100.de materia baptismi 328.de indulgentiis 449.de extremi judicii tempore 575. de igne mundum conflagraturo, ibid.de cœlis perituris. 576
Valentiniani Deum peccati causam dixerunt 629
Valentinianus gentilis Tritheita Bernæ supplicio afficitur. 32
Vega negat Trinitatem ex scriptura probari posse 34. audiens Ecclesiam Deum audit ibid.tempus extremi judicii definit 575,negat perituros. 576
Verborgen im Brod so klein/ quomodo intelligendum sit. 351
Verbum Dei est supra Ecclesiam 264. non est ambiguum vel obscurum 510. fuit patriarcharum tempore, 525. prædicatum in quibus efficax 177. auditum non est causa fidei meritoria 179. Quomodo sit hominis 264.internum non est ordinarium fidei medium 179
Verbi divini interpres quis 310

Verba

Verba institutionis in Cœna proprie sunt accipienda 363
Vinum quale in cœna exhibendum 358. miscetur aqua a Pontificis 371
Vini effusio analogica Calvinianis 536
Virvesius approbat 2. Æ Cis articulum 45 art.6. examinat 204.circa 12.tres Philosophicas insumsit 422.Sacramentum definit & de ejus usu differit 476.suos fatetur philosophari circa Sacramentorum efficaciam 477. approbat art.14. Philippi tamen explicationem rejiciens 499. traditiones humanas distribuit 326. art.16. approbat 553.de libero arbitrio differit 602. art.21. rejicit. 670
Vita æterna patribus promissa fuit in V.T. 221.
Vivificatio tribus personis Deitatis est communis 28
Vnio personalis sive duarum naturarum in Christo 83. seq.definitur 84.non est nuda carnis sustentatio 96.107
Vnio Sacramentalis in Cœna consideratur in actione 360
Vocati secundum propositum qui sunt 305
Vocatio interna & externa Calvinianis 197. efficax & inefficax iisdem 205. est universalis 274. 394. differt ab electione 295. dicitur vel a termino a quo vel termino ad quem 306.observanda est 307
Vocatio Ministrorum est necessaria 502.est vel immediata 503.quæ nunc cessat ibid.vel mediata 503.seq. quæ fit per Ecclesiam 504.competit toti Ecclesiæ 505
Volaterranus de Innocentio Octavo 371
Voluntas signi vel beneplaciti 305. 276. 246. antecedens vel consequens. 245
Voluntas Dei occulta rationi est manifesta in Scripturis 245
Vorstius de Deo 35. 122. de triplici Christi filiatione 122
Vrsinus Dei domicilium locum nominat 36. Personas Trinitatis male distinguit 37. Baptismi necessitatem negat 531. propositiones Sacramentales facit improprias & figuratas 334. baptizatos omnes regenerari negat 336. impios nuda ait in Cœna accipere symbola. 383

W.

Wittebergensis concordia de præsentia corporis & sang.

& sanguinis Christi in cœna 351. de transsubstantiatione 352
Wolffgangus Princeps Anhaltinus Aæ Ci subscripsit 9
Wormatiense colloquium de peccato originis 45

Y.

ὑπερδουλία Mariæ tribuitur a Pontificiis. 673

Z.

Zanchius de Christo Dei filio 105. de carne ὑφισαμένη 108. de B. operibus 214. de amissione gratiæ 454. de fractione panis 538. seqq. dextram Dei facit localem 36. contra humanam Christo naturæ veritatem sentit 106 dogma ubiquitatis blasphemum nominat 540. circa panisfragium suis contradicit. 541. seqq.
Zornwahl Calvinianis quid? 276
Zvvinglius nomen peccati originalis retinuit, rem sustulit 44. 50. gentilium liberos in Christo vitæ restitutos judicat 60. rationi humanæ nimium tribuit 61. 609. communicationem idiomatum ἀλλοίωσιν vocat 87. 111. adsensionem Christi opponit præsentiæ in cœna. 114. Herculem & alios in cœna collocat, 151. 273, de Cœna somniat 192. efficaciam verbi; & Sacramentorum extenuet 192. seq. 331. negat Baptismo hominem regenerari 332. explicat EST pro significat in Cœna 377. præsentiam Christi in Cœna negat 387. Sacramenta dicit nuda signa 491. seq. Hominem ait a Deo ad peccandum impelli 608. peccati autorem Deum nominat. 623. seq

FINIS.



the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 011
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9

EX.

roprie ſunt ácipienda 363
ndum 358. miſcetur aqua
371
anis 536
rticulum 45 art.6. exámi-
phicas inſumſit 422.Sacra-
ſu differit 476.ſuos fatetur
mentorum efficaciam 477.
amen explicationem reji-
hanas diſtribuit 326. art.16.
io differit 602. art.21. re-
670
fuit in V.T. 221.
tatis eſt communis 28
n naturárum in Chriſto 83.
a carnis ſuſtentatio 96.107
conſideratur in actione 360
qui ſunt 305
lvinianis 197. efficax & in-
rſalis 274. 394. differt ab e-
rmino a quo vel termino
307
ſaria 502.eſt vel immedia-
vel mediata 503.ſeq. quæ
tit toti Eccleſiæ 505
Octavo 371
i 305. 276. 246. antecedens
245
eſt manifeſta in Scripturis
245
lici Chriſti filiatione 122
im nominat 36. Perſonas
7. Baptiſmi neceſſitatem
cramentales facit impro-
atos omnes regenerari ne-
Cœna accipere ſymbola.
383

de præſentia corporis
& ſan-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821778757/phys_0763
DFG